2
I
2

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

73 73
C C
36 42

Digitized by Google

532

Digitized by Google

JOS. QUERCETANI,
Conſil. & Medici Regii,

TETRAS GRAVISSIMORUM totius Capitis affectuum;

EX DOCTISSIMORUM MEDI-corum, tum Dogmaticorum, *tum* Hermeticorum, *aſſiduis vigiliis, & accurata* Theoriæ & Praxis *obſervatione elucubrata.*

ADJECTUS EST IN EORUNDEM MORborum curatione, præter vulgatem Medendi methodum, ingens ſelectiſſimorum *Medicamentorum Spagyricorum* numerus: quæ magno cum fructu addiſci & adminiſtrari poſſunt.

ACCESSIT HAC TERTIA EDITIONE *EJUSdem Quercetani*, ad brevem Riolani excurſum brevis Incurſio, *olim ſeparatim edita.*

Bib. Sec. Soc. Coll. Rom. Soc. J.
Ex Legato Ill.mi Comini

MARPURGI, typis Pauli Egenolphi.

Anno M. DC. XVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPISTOLA NUNCUPATORIA,

AD ILLUSTRISSIMUM AC POTENTISS. PRINcipem MAURITIUM, *Landgravium Haſſiæ, &c.*

MAGNA, quæ inter Dogmaticos & Hermeticos Philoſophos orta eſt, concertatio: hi ut veritatem ex naturæ luce petitam ſartam tectam tueantur: illi ex ſuis theorematibus extrinſecùs petitis, & ex rerum ſuperficie erutis dogmata ſua medica aſſerant: me hìc non movet: nec inſtituti mei eſt, utriuſque partis ſtrophas diluere, aut lites componere: ſatis eſt, quòd veritatem rei penes me eſſe, Dei beneficio, agnoſco, eamq; in publicam utilitatem, ut jampridem id ipſum enixus ſum, pro viribus exerere contendo. Tibi verò, Illuſtriſſime ac Potentiſſime Princeps, tuoq; nomini hunc noſtrum commentariolum, tanquam recentem fœtum, hoc eſt, ab eo demum tempore, quo à te dimiſſus ſum, ex utraque ſchola embryonatum (ut chemicè loquar) cur nuncupem, & Celſitudini Tuę inſcribam ac conſecrem, duplex eſt cauſa: Una quidem, ut fideliſſimi, quo jam tibi devinctus ſum

obſequii, ac officii teſtimonium exhibeam: Altera, quæ longe præſtantior eſt, quòd tibi omnis literaturæ facile Principi, & inſtructiſſimæ ſcientiarum officinæ, nihil non in literarum ſtudiis reconditum admodum perſpicaci tuo examini meritò excutiendum debeatur. Tu enim is es, qui omni literarum genere cumulatè eruditus, potes de graviſſimis cujusvis ſcientiæ arcanis diſſerere: De quo etiã tanta apud omnes concitata eſt opinio ac fides, quibus notus es (ut apud omnes nominis tui perquàm celebris fama percrebuit) ut de quibuſvis in omni ſcientiarum genere difficultatibus enucleandis, plus quàm Gordonio nodo etiam intricatis, ad te judicium & veritatis enodandæ ſententia æquiſſimè deferatur, palmaq; rectæ pronunciandæ ſententiæ concedatur. Quid enim eſt, quod ferax & acre ingenium tuum, tanquam fœcundiſſimis ſaluberrimi cœli virtutibus impregnata tellus, non producat? Ea enim cœli facie ac compoſitione natus videris, ut omnem omnium aſtrorum in te contractam fœlicitatem eſſe nemo non judicet: quorum impreſſionibus quanta ubiq; emicet tua virtus, toti orbi conſpicuum eſt. Sed in primis quæ in te relucent divinitùs conceſſæ dotes, Pietas videlicet & Juſtitia, firmiſſimæ imperiorum columnæ, quanti fieri te ab omnibus oporteat, ſatis ſuperq; edocent.

cent. At quid mirum, cùm fortes ſoleant creari fortibus: eosque progenitores longa retrò ſeculorum ſerie habueris, qui nihil quàm pietatem ac juſtitiam unquam ſpirarint & coluerint, ut totus, non tantùm Germaniæ, ſed omnium terrarum etiam orbis, virtutibus eorum ac geſtis adhuc ubique perſonet? Macte igitur, Princeps avitis virtutibus, qui in ætate vix etiam matura, ſapientiſſimam ſenectam prudentiâ, conſiliis & judiciorum maturitate æmularis, nec non adæquas: Sic progenitorum tuorum virtutis veſtigia ingreſſus es, ut ea etiam longè lateque multis ante greſſibus ſuperaveris. Nec mirum, ſi quidem avitarum virtutum progreſſus uſq; adeò longa ſublimationum ſerie firmam ſtabilivit conſiſtentiam, ut in te uno tandem Philoſophicus ille virtutum lapis, poſt varias rotationes, perfectus conſideat ac conquieſcat: nec niſi in poſteros tui multiplicatione augeri poſſit. O quàm fœlicem prædicabat divinus ille Philoſophus Rempubl. cujus gubernatores eſſent philoſophi, aut in qua Principes philoſopharentur! Hoc nimirum ille ab antiquis Chaldæis, Perſis & Ægyptiis edoctus, qui neminem ad principatum promovebant, qui & Theologiam & Sophiam, jusque divinum & humanum eruditiſſimè non calleret. Hanc ſcilicet adepta eſt Reſpubl. tua fœlicitatem, ut quæ tantum,

 quan-

quantus es, Principem nacta ſit, cui triplex illud ſapientiæ genus æquali libramine (ne dicam graviore) cum ſapientiſſimi illius Hermetis Trimegiſti ſumma eruditione inſideat: ſiquidem vel ab ineunte ætate & ſacræ literæ, & vera rerum naturalium Sophia, cum Juriſprudentia, fixiſſimum in te domicilium ac ſedem conſtantiſſimam poſuerunt. Hanc antè viam ſequuti tui proavi, pietatis, inquam, & juſtitiæ alumni ac ſummi cultores, Dei beneficia cumulatè in ſe ſuoſque ſubditos congeſſerunt: Nec minùs omnium amorem ac gratiam φιλανθρωπίᾳ ſua ſibi devinxerunt, quàm pietate Deum optimum maximum conciliarunt. Hos quùm tu non tantùm ſequaris, ſed multis etiam paraſangis ac ſtadiis præcurras: Dei pariter hominumque omnium benevolentiam ac gratiam in te traduxiſti ac conſervaſti. Quin & tantò majorem Regum Principumque tibi amicitiam conciliaſti, ſubditorumque ſtudia & obſequia captaſti, quantò majores etiam tuos virtutibus omnibus antevertis. Sed in hoc rarum eſt tuum exemplum, qui omnibus aliis Principibus (abſit invidia dicto) præluces, ut clementia cœli ac larga liberaliſque ſyderum benignitas, nedum Dei Optimi prodiga indulgentia, profuſaque manus, in te uno omnia ſcientiarum genera coacervarínt: quarum ac ne unius quidem, ejusq;

vel minimæ, vix aliud ingenium fuerit capax, ut tanta profuſione nunquam quiſquam divinam ejuſmodi benignitatem ſit conſequutus. Quid enim eſt, quod te fugit? Si linguarum idiomata primò ſpectemus, ubique videberis eſſe natus & educatus, aut ſaltem quintas linguarum omnium ac gentium eſſentias in te contraxiſſe. Sive enim Hebraicè, Græcè, Latinè, Hebræi, Græci & Latini loquentem te audiant, omnes te ſuum agnoſcant, & terrarum ſuarum indigenam ac oriundum glorientur: Si Illyricè, Italicè, Hiſpanicè, Germanicè (quæ tibi vernacula eſt lingua) Gallicè, Anglicè, omnes ejuſmodi nationes de tua origine contendent, & ſingulæ, ut ſuum, te ſibi omnibus viribus & magna concertatione vindicabunt. Sed & hæc inter cætera minima ſunt, etſi non uſq; adeò exigua, quin ſublime ac divinum tuum ingenium prorſus arguant, & inſpiciendum omnibus præbeant. Longiùs autem progreſſus es, qui iſtis corticibus non hæſeris, ſed ex eis perfectè nucleum erueris. Quorſum enim linguarum cognitiones, ſi in uſum non revocantur, & ſenſa ſub eis comprehenſa negliguntur ac flocci fiunt? Præter enim inſignem illarum cognitionis fructum, quo cum omnibus totius orbis Principibus agere potes, & colloqui: nec non mutua conſilia, arcanaq; citra Interpretem cõmunicare: medul-

las etiam ipſarum linguarum, hoc eſt, cœli, terræque ſecreta myſteria ſub illis latentia non exuxiſti modò, ſed planè exhauſiſti: ita ut nihil Chaldæa, Judæa, Ægyptia, Arabia, Hiſpania, Italia, Illyria, Gallia, Germania, Anglia, reconditi habuerint, quod prorſus ex illorum ſcriptis ſummo judicio & induſtria non emunxeris. Hujus rei fidem faciunt tot monumenta jam à te edita: tot ſententiæ & divinæ & humanæ in privata conſuetudine, ac cum doctis viris colloquiis, ex facundo tuo ore promanantes, idem teſtantur πονηρεια illa tua tot vaſorum, fornacum, Vulcanorum peritiſſimorum, Ignium generibus, ac omni pretioſiſſimæ ſupellectilis ſpecie inſtructiſſima, te non corticem linguarum ad faſtum quæſiiſſe: ſed nucleum illis incluſum, quo non Celſitudinem ingenii tui paſceres, ſed omnibus ubiq; prodeſſes ac auxilio eſſes: longè ſecus, ac illæ ſitibundæ auri ſpongiæ, quæ auro perpetuò inhiant: cùm arcana naturæ tantùm rimari conſilium tibi fuerit, eaque in utilitatem publicam referre, ut abundè ex laboratorio tuo videre eſt, quod cum omnis generis eſſentiis, ſalibus, ſpiritibus, magiſteriis, arcanis inſtructiſſimum ac refertiſſimum ſit, abundè ex eo, quicquid in graviſſimis morbis deſideratur, expiſcari ac mutuari liceat; tanta eſt tua erga omnes benignitas ac liberalis animus. Cùm

enim uſque adeò ſagax ſit tibi ingenium, ut multa Hippocraticæ ac Galenicæ medicinæ (inter cætera) deeſſe deprehenderis, in iisque rebus, quæ longa, ex naturali proprietate & origine ſua, vita fruuntur, longam vitam incluſam eſſe ſatis acriter animadverteris, quæ extracta à corpore, & omnibus ſuis impedimentis expedita, facilè noſtræ commiſceatur, vitalesque ejus ſpiritus recreet, ac balſamum naturalem refocillet: totus incubuiſti, ut quæ ex variis linguis, arcana ejuſmodi interpretantibus, haurire potuiſti (ut multa præclarè ac perfectè) ea non ad rem tuam augendam, ſed ad communem hominum ſalutem, utilitatemq; omnia conferas. O dignum te Principe encomium, qui non te tibi, ſed Deo, Patriæ ac Parentibus, nec non omnibus hominibus natum eſſe didiceris! Quis non laudet inſtitutum tuum, quis non miretur ſolertiam, ingenii tui magnitudinem, in benefaciendo ſtudium, alacritatem ac promptitudinem? Hoc ſcilicet intellexerat etiam, piæ memoriæ, Parens ille tuus, qui juventutem tuam doctiſſimis totius orbis viris erudiendam commiſit, ut diſciplinas omnes, artes & ſcientias, tùm ſerias & graves, tùm delicatiores ac amœniores jucundioresq; animo recreando, ac celebrandis Dei laudibus, omni harmoniæ ac muſici concentus generè idoneas, calleres, ut vix ex

ephœbis excedens Pandoram ſcientiarum, virtutumque omnium alteram, præ te jam ferres.

Quis enim & in hoc poſtremo artium genere te æquet, nedum ſuperet? qui & ſuaviſſima voce, & canoris omnis generis organis, dum aërem demulces, omnia ad te pellicias ac rapias, ut Phœbus ipſe palmam teſtudinis lyræque muſicæ tibi invideat: Muſæ omnes ereptam ſibi victoriam indignentur? Sed & in Metaphyſicis, Mathematicis, Philoſophicisque aliis diſciplinis ac ſcientiis, quàm ſis verſatus, ut neminem in his verſatiorem, ſubtiliorem ac acutiorem videre liceat, ſatis ſuperq; ex ipſis etiam tuis elucubrationibus ac familiaribus colloquiis liquet, ut nihil demum in te deſiderari poſſit, quo ad benè beateq; vivendi exemplum omnibus non præluceas, & cujusvis, vel totius etiam orbis imperii præclarè & fœliciter adminiſtrandi non ſis capax. Sed vereor, ne, dum, neſcio quo, ad celebrandas tuas laudes, alioqui immenſas, ſpiritu abripior, & cumulum earum attingere contendo, Ingenii mei tenuitas eas potius deterat, quàm incremento ullo, aut etiam digno encomio ſatis ornare poſſit.

Tantùm hoc adjiciam, Illuſtriſſime Princeps, ut pro candore, humanitate, benevolentia & manſuetudine, quibus viros bonos & literatos

teratos omnes amplecteris, me, etſi illorum infimum, intueri digneris, noſtraque, quæ tibi ex candidiſſimo pectore voventur, ſcripta, ſi gratia tua digna ſunt, prout exquiſitè de omnibus pronunciare potes, Tuæ Celſitudinis clypeo, adverſus nebulones, maledicos ac virulentos homines, protegere ac tueri velis. Datum ex Muſeo noſtro Lutetiæ Pariſiorum, Idibus Decembris 1605.

Illuſtriſſimæ Tuæ Celſitudinis Cliens obſequentiſſimus,

JOS. QUERCETANUS.

JOS. QUERCETANUS BEnevolo Lectori S. D.

HAbes hîc, ſuaviſſime Lector, de quatuor graviſſimis omnium morbis tractatum: quem cùm ex affectuum magnitudine, cauſarum occultarum difficultate, curandiq; methodo, juxta dogmaticam veterum diſciplinam, plerunque parum efficaci, neceſſarium & perutilem eſſe ducerem: putavi, pro ingenii mei viribus, ex utraq; ſchola, tum Hippocratica, & Galenica, tum Hermetica & Spagyrica, operæ pretium fore, eum contexere. Scio tamen fortaſſe tibi multisq; aliis ingratum fore noſtrum hunc laborem: At cùm tam gravibus morbis, & auxilium præſentiſſimum deſiderantibus ex Galenicis dogmatis ſuccurri ſemper non poſſit, (ut ſatis omnes compertum habent) cum multis aliis doctiſſimis viris jam pridem ad eundem ſcopum collimantibus tentavi, vel ante viginti ſex aut ſeptem annos etiam proponere & explicare remedia, quæ verè eſſent medica, & ſcopum veri certiq; medici attingerent. Quid enim laudis eſt, medici titulo inſigniri, ſi morbum non tollas? Quorſum tot ratiocinationes & contentiones illæ medicæ de humoribus, complexionibus, & theorematibus medicis, ſi ad uſum, quicquid diſceptatur, revocatum nihil prodeſt? Habebis igitur in no-

in noſtro hoc tractatu non conſarcinatas hinc inde vulgarium medicamentorum formulas, quæ utcunq; (ſi Diis placet) auxilium præſtent: ſed, quantū potuit fieri, diligentia noſtra primùm inventas, dein elaboratas, ac demum multis experimentis comprobatas, nec non ex doctiſſimorum virorum laboribus ac mutuis colloquiis hauſtas: ut, ſi animum ad hæc noſtra excutienda appuleris Chemica auxilia, alioqui propemodum omnibus invisa, tuta & certa, ac vulgaribus etiam præſtantiora deprehendas. Utriuſq; tamen ſcholæ nos ſequi veſtigia, hoc eſt, theoremata, tibi perſuaſum habeas: quæ imitari, & utriuſq; ſcholæ, in remediorum præſertim præparatione, diſcrimen notare, ac certitudinem amplecti, ſi voles, poteris. Hunc ſi noſtrum laborem gratum eſſe tibi intellexero, ad alia etiam fortè præſtantiora meditanda, ac in lucem edenda, magis ac magis animum compelles. Te tamen deniq; hîc monitum velim, ut, ſi quid acerbius in noſtro hoc tractatu dictum occurrat, id ſolis tribus aut quatuor quibuſdam Cenſoribus maledicis, ac invidis gerronibus, non autem vel univerſæ Dogmaticorum ſectæ, cujus alumnus ſum, vel bonis viriſq; medicis, tanquam Præceptores ac fratres ſuſpicio & colo, dicatum intelligas.

Vale.

NOBI-

NOBILISSIMO,

Eruditione, virtute & experientiâ Excellentiſſimo viro:

JOSEPHO QUERCETANO,
Conſiliario & Medico Regio,

JOHAN. HARTMANNUS MED. D. & Chymiatriæ in Academ. Marpurgenſi Profeſſor, S.

OBſecutus ſum ante triennium, vir excellentiſſime, amice colende, deſiderio tuo, Tetrademq́ tuam graviſſimorum totius capitis affectuum Typographo noſtro excudendam dedi. Fecit autem bonitas & pulchritudo tum Philoſophiæ Hermeticæ, tum rerum quas inibi tractas, ut diſtractis omnibus exemplaribus denuò autor extiterim repetendæ editionis. Partum itaq́ tuum genuinum ſecundis meis curis renatum ad te mitto, obſidem amoris erga me tui, ſed vindicem & monitorem aliarum tuarum ingenioſiſſimarum lucubrationum, quas

jam

jam diu ante cupidæ rerum Hermeticarum turbæ pollicitus es. Expectavimus ſanè multos annos opus tuum de Recondita rerum natura: deſideramus etiam Pharmacopœam Spagyricam:. Vtroque igitur tandem limpidiſſimæ luci expoſito, & te nobis reſtitue, & pollicitationes ſolve, nec cunctare: ſiquidem veluti ignem fumo deſtitutum, qui protinus flammam dederit, & præter expectationem cuncta colluſtrarit, ita gloriam tuam, quæ non in ora hominum repentè, ſed paulatim hactenus pervaſit, invidia carituram minus caveris, cùm univerſus mundus nominis tui celebritatem unicè exoſculetur & deprædicet. Quòd ſi verò ab inquietis fucis, more ſcarabæi ex antiquo luto geniales pilulas rotantibus, nonnihil tibi metuis, apage ſis ejuſmodi metum, qui ſine cruciatu ad te venit. In iis enim artibus, in quibus ut te excellentem voluiſti, ita emines, ut paucos habeam, quos tecum conferam; quem præferam, habeam neminem. Oſores itaque ac Momos habere poteris: ſed imitatores paucos. Imò potiùs hoc ſtudiis Medicis tribue, ne, quia te auſpice multum de ſua integritate & perfectione ſperare cœperint, periclitari viciſſim videan-

videantur, ſi paulò tardiores in opitulando moras ſenſerint. Quantumvis verò firmiter exiſtimem, ceu ea una cauſa faxit, ut in iſta ſolitudine & tuas interì delicias ad Chymiatriam *amplificandam quotidianas curas tuas omnes colloces, tamen hæc philtra ac veneficia, quibus & memoriam & prudentiam tuam excito, volo eſſe publica, ut vel reluctanti tibi, non ſecus ac fidiculis hæc Eruditionis & Ingenii tui hoſtimenta extundam. Quicquid itaq; feceris, hoc unicè Reipub. literariæ præſta, ut etiam in gravi hac ætate tua fortiſſimus Stadiodromus pro Muſis Chymicis feliciter depugnaſſe videaris. Quid in noſtra* MARPURGENSI ACADEMIA, *conſilio & authoritate Illuſtriſs. Principis, Dn. Dn.* MAURITII, *Patris patriæ, & Nutritii noſtri clementiſſimi fiat, te ex Philoſopho meo ſeu Naturæ conſulto Medico jam tum intellexiſſe arbitror. Ego abſoluto jam ἐργαστείῳ publico Chymiatriæ ſtudia tam publicè quàm privatim docendo, exercendo, quantum in me eſt novo, & per univerſam Europam inaudito exemplo moveo & promoveo. Nec deſerunt conatus meos virorum præclariſſimorum, è quibuslibet*

mundi

mundi angulis applaudentium, & de tam præclaro inſtituto ſibi pariter ac toti Medicinæ gratulantium vota: tantum abeſt, ut reformidem quicquid propterea vel laboris domeſtici, vel etiam invidiæ alienæ mihi, ne averſanti quidem, ſuccreverit: à quibus utlibet mappa etiam grandis mihi miſſa fuerit, nunquam tamen, dum vixero, rectè facientem me deſeret benè de Philoſophia Hermetica & Medica merendi ſtudium, ſemper laudatiſſimo cum benefaciendi deſiderio conjunctum. Vt itaque omnibus modis proſim, nihil profectò non fecero, quod maximè in hoc ſtadio operoſum mihi fuerit. Nec ego, ſi cum paucis rectè ſentire, quàm cum multis inſanire maluero, eos, quos ſtomacho potiùs quàm rationi ſervientes æmulos & malevolos appellamus, iniquè toleravero, cùm mea quidem ſententia ſemper id procurent, quod dignum hac nuncupatione fuerit, interdum tamen committant, quod in ipſis reprehenſione indignum extat. Quotieſcunq; enim decempedam τῆς ἀληθείας manu arripio, video me τὴν σκιὰν μετρεῖν: cùm poſticam illam manticam excutio, nihil in me invenio de quo gloriari poſſim, præter illud unum for-

taſſe, quòd videor me jure mihi poſſe vendicare, ſingulare quoddam ſtudium, & incomparabile deſiderium earum rerum, quæ Natura in rebus etiam minimis abſcondidit; amoremq; in eos, qui iiſdem facibus effulgent, & quorum imitatio animum accendit. Quod utrumq; dum divina aſpirante gratia aſſequor, longè remotis quiſquiliarum putridis inquinamentis memetipſum intra ſepem contineo, ac de ſingulis bonis rectum judicium, promptamq; inſerviendi voluntatem unicuique ſpondeo. Vale, & Hartmannum tuum inviolabili amicitiæ lege tibi devinctum ama. Marpurgi Cattorum, Calend. Septembris, Anno ChyMIatrIæ DIgnè reſtItVtæ.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA

HERMANNI KIRCHNERI

J.U.D. C.P. Cæſarei, Hiſtor. Academiæ MAURITIANÆ, & pro tempore Facultatis Philoſophicæ Decani.

F*Atidicas memorant quercus quondam eſſe locutas,*
Dodoneq́, ſacri cultus honoris erat:
Magnus eò Macedo conſultum oracla tetendit,
Credita vim ſuperi quercus habere ſoni.
Vana ſuperſtitio! te, QUERCETANE, *perito*
Credamus Phœbi verius ore loqui.
Tu Regum acceſſu, tu cultu dignior, artis
Qui Cortina tuæ dia vocandus eris.
Quem, velut ex Phario regno olim Perſa petebat,
Quorum conſiliis æger haberet opem;
Liligera regione vocans MAURITIUS Heſsûm
Regnator, *meritæ laudis honore tulit.*
Felix ingenii, quem Princeps ille *probavit,*
Senſus cui tripodis judice major ineſt!
Felices ætate, ſati te auctore libelli,
Illos aſtra ſuper fama ſuperſtes aget.
Ante virere Jovis ceſſabit quercus & ilex,
QUERCETANE *tui quàm monumenta ſtyli.*

Hexametro Jambicum RODOLPHI GOCLENII PHIloſophi in Academia Marp. in laudes longè lateq; Clariſſimi Dn. QUERCETANI.

ET QUERCETANE *ex meritis* Hermeticus *audis*,
Theoricus ſimul ſagax,& Practicus.
Dogmaticos *calles, Hippocraticosq; peritus,*
Galenicosq; priſcos cum recentibus.
Naturæ quàm cœca mihi myſteria pandis!
Altiſſimæ hoc indaginis : magni ingenI.
Nota tibi varia eſt ratioq; modusq; medendi,
Impreſſionum gnarus es cœleſtium.
Nota tibi ante alios ratio Spagyrica multos,
Laborioſa ritè Naturæ æmula.
Vim medicatricem quantam Mineralia præſtent,
Cùm rectè habent, morbis vel in graviſſimis,
Te noviſſe, docet liber hic. Hunc profer in auras.
In liberis librisq; longùm vivitur.
Dotibus his verè per totum nobilis orbem,
Flore diu bonoq; vive publico.

SEcura & audax omnia perpeti,
Damni futura neſcia flebilis,
Humana gens pejor parente
In vetitum ſcelus omne tendit.
Imbelle, at audax Japeti genus,
Furore plenum ter temerario
Ignem intulit ſub fraude dirum
Gentibus innocuis doloſâ.

Sub-

Subducto at igni ex æthereâ domo,
Mox turba morborum & nova febrium
Triſtisq; peſtis, digna pœna
Subſequitur ſceleris peracti.
Hinc nata noſtris anxietatibus
Eſt anſa, noſtro ſanguine fervido
Vix expianda; hinc noſtra proles
Præpropera peritura morte.
Aſt QUERCUS ingens & ſoboles ſacra
Jovis ſupremi, dote Machaonis
Imbuta, nunc imis miſerta
Suppeditat medicum medullis
Noſtro dolori; Te puto nobili
Claroq; natum ſanguine, te puto
O nata, QUERCETANE, noſtris
Sollicitudinibus medela.
Dudum inſolentis tu Veneris luem,
(Quæ nata cœcis ſævit ab ignibus,
Et ſingúlos artus pererrans
Exagitat miſerûm, dolore
Pellente ſomnum) vel placidâ levas
Solâ diætâ, vel truculentiùs
Altas medullas lancinantem
Mercurio mediante tollis.
Infeſta morbi nota Podagrici
JOSEPHE dudum ſævities tibi:
Ignota non eſt huic medela
Fontibus è Chymicis petita.

Non ſævit ultra Tartareus dolor
Renes, vel internè latera occupans,
Et calculus mordaxq; arena
Te medicante fugit magiſtro.
Aſt nunc Caduci, nunc Apoplexiæ,
Vertiginisq; & nunc Paralyſeos
Tuliſſe vires ſævientes
Specificis juvat inſuetis.
Sic magne magnis ſubvenias malis
Dextrâ potente atq; artibus inclytis,
Noſtrisq; ab oris pelle ſtultum
Japetum, Japetiq; prolem.
Ignotus auro, aut non color ullus eſt
Terris avaris dum latet abditum,
Docta ſed effoſum manu, mox
Et pretium & color urit omnes.
Arcana fido pectore ſi occulis
Noſtrosq; in uſus promere denegas,
Aut lividæ longè invidendam
Invidiæ maculam ſubibis;
Aut culpam avaræ deſidiæ audies.
Hæc ergo Momis linquere candidus
Pergas; at ultrò nos docendo
Perpetuam mereare famam.
Nam lucubratis condita noctibus,
Doctaq; dextra ſcripta volumina
Vivunt, & ibunt planè eodem,
Quò Hippocratis labor & Galeni.

Sic

Sic ſolus ipſum non reparabile
Seclum priorum noſtraq; tempora
Vinces, tuamq; artem indolemq;
Poſteritas ſapiet futura.

Jacobus Moſanus Medicinæ Doctor, & in aula Caſſellana Medicus Ordinarius.

ELEGIDION
IN AUREUM LIBELLUM
τῦ ἰατρικωτάτυ ἰατρῦ D. JOSEPHI QUERCETANI, Med. Regii, &c.

O Deus, in quæ nos ſervâſti tempora, multi
Exclamant, ferro quæ graviora premunt!
O Deus, in quæ me ſervâſti tempora, & ipſe
Exclamo, en auro ſplendidiora micant.
Cuncta ruunt in pejus eis, ferrugoq; cuncta
Exeſt, in putridum mox reditura lutum.
In melius mihi multa fluunt, aurumq; reducit
Noſtra Rota in priſcum ſecla futura brevi.
Caligunt oculi, cor languet, membra ſenectâ
Mundi illis frigent, viſceraq; ima rigent.
Perſpiciunt animorum oculi hoc mihi clarius, acri
Decrepitusq; orbis corpore, mente viget.
Ut propiora Diis rerum primordia, ſic nunc
Ultima principiis ſunt propiora ſuis.

Sunt

HISTORIA CUJUSDAM NOBILISS. MULIERIS EPILEPSIA AFFECTÆ; quæ huic tractatui præbuit argumentum.

NObilis quædam mulier, eaq́; juvenis, utpote decimum octavum duntaxat annum ingreſſa, & duos ab hinc annos matrimonio juncta viro, licet ex parentibus integræ ſanitatis, ac ab omni hæreditario morbo prorſus ex optimâ ſuæ originis cõſtitutione, immunibus orta ſit: primos quidẽ annos ſatis habuit ſalubres: ut quæ omni variolarum & morbillorũ aut exanthematum genere tunc caruerit, quibus tamen, ab ipſo primo ortu, puerilis fermè omnium ætas inquinatur, quo tempore natura, ad ſui operis conſervationem, omnes conceptionis ſordes ſolet eluere ac repurgare. Quùm verò illa annum circiter duodecimum aut decimum tertium attigiſſet, nec natura tunc temporis reſerandis menſtruorum clauſtris præfixi, ſatis intẽta eſſet, aliquo, fortè viarum aut nobiliorum

Syndrome ſymptomat. ex retent. menſium.

corporis membrorum impedimento interpellata, cœpit juvenis tum virgo vitioſis coloribus defœdari, & ſenſim ingraveſcente cachexia, palloribus infici: ut quæ etiam tum ſimul, & cordis palpitationibus, & capitis doloribus, & anhelitus difficultate, ac faciei albicante tetroq; tumore, atq; id genus aliis ſymptomatibus tentata ſit. Quibus paulò poſt icteritia, cum lenta febre, adjuncta eſt: nec nō continua atq; quartana. Neque id ſatis: Quò enim longiùs ætate provehitur, hoc majore malorum copia premitur, & quaſi obruitur, tandemq; & crebris vertiginibus, temporis ſerie creſcentibus, uſq; adeò atrociter impetitur, ut modò viſu & voce (non tamen auditu) prorſus percellatur, modò omni judicio & cognitione deſtituatur. Idq; non ſemel tantùm quotidie; ſed etiã decies aut duodecies, in dies ſingulos, malum recrudeſcit: Alioqui, extra paroxyſmos, hilaris, lætiq; animi ſpeciem ſatis præ ſe fert & exhibet, vividioremq; colorem recipit. Cùm autem paratur illi à morbo obſidio, prænuncios ſubodoratur ſenſim hos ad ſe accedere. Primò in gyrum illi rotatur caput: rubeſcit facies, exclamat, ſe ab hoſte impeti,

Prodromi paroxyſ.

quod

quod confeſtim accidit: protrahiturq́ᷓ inſultus iſte ad integram horam. Hîc notandum eſt, nunquam ei fluxiſſe menſtrua: obſervatumq́ᷓ eſt, à quadam juniore puella crebris olim pavoribus fuiſſe perculſam. In iſto morbo quoſvis illius regionis celeberrimos medicos in cura experta eſt, quorum opera cachexiam quidem illam in meliorem corporis habitum commutavit. At vertigines, & quo atrocius torquetur, malum, in quod conſilium noſtrum efflagitatur, nulla adhuc arte coërceri, nec retundi potuit. Epilept. præcedentes.

Hæc morbi hiſtoria, quæ accuratè à quodam Pharmacopæo perſcripta fuit, certã nobis fidem facit, Epilepticũ eſſe affectũ: eumq́ᷓ ab inferioribus corporis membris potiùs κατὰ συμπάθειαν *derivari, quàm* ἰδιοπαθειχῶς, *primigenio affectu cerebrum laborare. Quamvis autem ex nobiliſs. ægræ affectæ conſpectu & præſentia, licuiſſet nobis fortaſſe circũſpectiùs rem totam expendere, & tutius, quod à nobis expectatur, conſilium & auxilium promittere: utpote qui oculis multa certiſſimè notare ſoleamus: & corã de multis inquirere, quæ non parum & ad firmam morbi cogni-*

tionem, & ad validas curationum indicationes faciunt. Siquidem ex auditu multa nobis de ægrotantis complexione, ut vocant, temperamentis & vivendi ratione, ex viſu ipſa inſultuum forma, ad accuratũ judicium neceſſaria, innoteſcunt. Veruntamen ex ipſo ſcripto ſatis ſuperq́ edocti ſumus, quæ ſedes ſit morbi, & ubi ſeminarium ac radix ejus deliteſcat, quiq́ fructus, quamq́ maligni, ſuo tempore epilepticum inſultum inducentes, ex illa producantur. Quæ duo capita, inter cætera omnia, apprimè cognitu neceſſaria fuerunt.

Fons & origo hujus affectus. *Vnde etiam colligimus, malum hoc ſuas in tota ſanguinis maſſa, ab ipſo utero, tanquam hæreditario jure, tam in maribus quàm fœminis corrupta, vitiata & infecta, ſcaturigines fixas habere. Quæ cùm in muliere nobili, de qua agimus, nunquam hactenus à ſuis impuritatibus, per variolas, morbillos, & alia corporis emunctoria, à natura dicata, repurgata ſit, & defæcata: prout citò vel tardè ejuſmodi purgationes accidũt, juxta balſami naturalis vim & robur, in aliis languidius & remiſſius, in aliis vigentius exiſtẽs: quemadmodum in ipſis arvis videre eſt, quorum alia fœcun-*

Simile ex Macrocoſmo petitum.

fœcundiora, alia aliis ſteriliora & infœliciora, ex radiorum etiam ſolarium, hanc vel illam terram obliquè vel directè, benignè vel malignè intuētium virtutibus modò citiùs, modò tardiùs, modò maturiores, modò crudiores, è ſinu ſuo flores fructusq; explicant ac producunt. Sic in hac noſtra ægrotante, cùm nondum, ex nimia balſami vitalis imbecillitate, emunctoria pateāt, tardiusq; ſanguinis maſſa hereditariis ſuis ſordibus expurgetur, fit, ut illa diutiùs, quàm par eſt, retineantur, & ex ejuſmodi radicum impuritatibus tot ſymptomata per univerſum corpus diffundantur. Neq; id mirum: Si enim ex Galeno, toti corpori expurgando menſtruus fluor à natura, inter cætera emunctoria, deſtinatus eſt: non abſurdum fuerit, ex ejuſmodi impuritatibus retentis, totum corpus ubiq; laborare.

Ex hoc igitur tam venenoſò mali ſeminario: in quo, per totam ſanguinis maſſam, tāta ſordium impuritas recumbit, ex denegato præcipuè ſtatis ſuis periodis menſium curſu: cujus vis eſt, inſignem ſanguini puritatem, ſummumq; vigorē conciliare, ab omniq; putrefactione maſſam illā penitus liberare, tot

tamq; varia ſymptomata concurrere neceſſe eſt. Inſtar enim fluentis aquæ, in perpetuo ſuo fluxu vitam conſervantis: à quo ſi præpediatur, aut ab eo ſeparata, in quantumvis capaci vaſe reponatur, ſtatim putrefit & corrumpitur, deſtituta videlicet ſuo fluore, in quo vita illius conſiſtit. Sic & ſanguis libero ſuo aere & fluxu per obſtructiones interceptus, in quo vita ejus poſita eſt, ſtatim depravatur & emoritur eo loco, ubi fluor ejus fuerit interpellatus. Sic enim Medici Hermetici ſanguinem in corpore microcoſmi collocant, ut mare vel Nilum in toto macrocoſmo, aut aliqua illius regione, conſtituunt. De qua ſympathia aut inter utrumq; mundum collatione & analogia, fuſius alibi, & ubicunque dabitur locus, poſthac adhuc pluribus agemus.

Aqua à fluxu præpedita putrefit.

Sang. eſt mare Microcoſmi.

Hac ratione igitur, in muliere iſta nobili, vitiatus & corruptus jam pridem ſanguis, à duodecimo aut decimo tertio ætatis anno, cœpit viſcera & membra nutritioni inſervientia obſidere: cujus infectionis aut cõtagii parte jecur, lien, & tota viſcerum œconomia depravata eſt; nec non circumvicinæ partes omnes corporis. Vnde ubiq; perverſis omnibus,

Mechanicus generationis prædicti morbi proceſſus.

multa

Digitized by Google

multæ cruditates obortæ ſunt: ac inde icteritia, pallor virgineus, febres: ac tandem frequens illa vertigo, ortũ & incrementũ ſumpſerunt. Quæ quamvis ex doctorum medicorum auxiliis & remediis utcunq; adjuta ſit, manente tamen impuritatum ſeminario, ex quibus omnia in corpore pervertuntur, non dubium eſt, quin cruditates creſcant in dies, ex quibus genitæ variæ ubique obſtructiones ſanguinis fluxum, & aëris illius libertatem remorantes, menſtruorumq; viam intercipientes, varios paroxyſmos & ſymptomatum concurſus pariant. Vnde potius incrementum morbi & habitum contrahat, quàm ullo ſymptomate ægra liberetur. Movetur enim natura quidẽ ad ſordium illarum expulſionem: ſed cùm impar ſit mali viribus, auget potius, quàm minuit morbum. Omnis enim materia commota, *ut teſtatur Gal.* deterior eſt ſeipſa quieta. *Gal. lib. 3. de lo. aff.* *Præter igitur aliorum membrorum alia accidentia, cerebrum quoq; ipſum ſucceſſu temporis his modis enervatum, fumisq;, vaporibus & exhalationibus in ipſum cõtinuè evectis, indeq; majore acrimonia & aciditate virulenta ac nitroſulphurea*

qualitate contracta, ex ſimplici ſcotomate aut vertigine, quæ ab antiquis, vel ipſo nomine, parva epilepſia inſignita eſt, in generalem ac univerſalem totius corporis convulſionem, cum omniū ſenſuum deperditione, & motus depravatione, quam antiqui epilepſiam vocant, planè degeneravit. Veruntamen, quæ notatur in hoc ſubjecto, epilepſia potiùs ſympathica, quàm idiopathica dici debet, quòd in ipſo cerebro, omni per ſe corruptione carente, ſed ex acribus, acidis, malignisq́ vaporibus, aut potiùs fumis & exhalationibus vitriolatis in ipsū elatis, & magna copia, qualitateq́ venenoſa receptis, forma fit ſympathicæ potiùs, quàm idiopathicæ epilepſiæ. Ejuſmodi enim pernicioſæ qualitatis exhalationes cerebrum ita conturbant, caligine ſuffundunt, aciditate ſua comprimunt, conſtringunt & coarctant, ut hoc modo expirationis ac reſpirationis libertas, quâ ſpiritum animalem, à cerebro ad cor, & à corde vitalem ad cerebrum permeare neceſſe eſt, aëris ſui intercepto curſu, propè tota eripiatur: unde concidit ægra, tanquam exanimis & quaſi prorſus extincta. Sed quùm in nervorum & menyngum genere,

Epilepſia ſympathica.

re,

re, quæ exquiſitiſſimi ſenſus ſunt partes in cerebro, acrimonia, malignitate, ac virulentia vaporũ ſeſe vellicari eæ partes, compungi & erodi, ac acriter feriri ſentiunt: hinc fit, ut inopino inſultu, violentoq́; & quaſi per proditionem impetitum cerebrum, vel potentia animalis, cum cauſa morbifica, tanquam cum capitali hoſte, confligat & colluctetur: hacq́; ratione ſe in ſeſe contrahat, & veluti in ſua colligat arma: ut tum ab obſtruentis, tũ erodentis materiæ offenſione ſe tueatur. Unde ſpaſmi & convulſivi illi motus excitantur, nunc longiores, modò breviores, ob materiei halituoſæ majorem vel minorẽ copiã: modò graviores, modò mitiores, ob illorũ halituum qualitatem magis vel minùs acrem ac virulentam. Eundem ferè motum patitur in ſingultu vẽtriculus: cùm vel acri is halitu mordetur aut vellicatur, vel cibo corrupto, aut alienæ qualitatis infeſtatur, vel cibi potusq́; copia gravatur, ut ſcribitur à Galeno.

Origo paroxiſmi epileptici.

Singultus ventriculi.

Atq; hæ ſunt internæ ac præcipuæ cauſæ, ad quas in conſultatione, ex communi conſenſu percelebris viri D. noſtri primarii, morbum hunc revocavimus. Quod enim ad externas

attinet, pavorẽ videlicet, de quo in ſcripto ad nos miſſo fit mentio: Item ad depravatã vivendi rationẽ, qua virgines ejuſmodi palloribus conflictatæ uti continuè ſolent; eas cauſas, inquam, ſilentio prætermittimus: quùm ex iis indicationes curativæ nequaquam peti debeant: cùm à ſubjecto recedant, nec illi inhæreant, niſi quatenus antecedentiũ cauſarũ pars potuit aliquãdo ab illis excitari. Quanquam quod ad pavorem attinet, is inter alias cauſas magnoperè poteſt ſpiritus commovere & perturbare, ac proinde cerebrũ ad ejuſmodi paroxyſmos proclive reddere: qui tamen raptim citoq́; ſolvuntur ac avolant: ut pavor ipſe ex ſpe redintegrata ſtatim abigitur.

Cauſæ externæ.

Incommod. ex pavore.

Hæc itaq; ſunt, quæ accuratè expenſa de natura morbi, de illius cauſis, & de partibus affectis indicavimus & pronunciavimus: unde curationũ indicationes duas in genere mutuabimur. Quarum altera morbi ſeminarium ac radicem ſpectet: altera verò fructus & paroxyſmos inde naſcentes excutiat.

Sed priuſquam ſcopos illos curationis aggrediamur, par eſt, ex dogmaticorum & hermeticorum medicorum ſententia, ut promiſimus,

Google

ſimus, de eſſentia, ſede, cauſis & formatione tanti, tamq́ occulti & horrendi morbi, nos diſſerere. Porrò hoc utiq́ malum tam formidabile & horrendum, quod ne poſt annum quidem vigeſimum quintum creditur prorſus & indicatur ab omnibus medicis tractabile, ullámve curationem admittere, eò nos compellet, ut, relicta regia ac detrita via, aliam quandam ſpinoſam etiam ſcabroſamq́ & ambagibus deviis refertam ingrediamur, ut, quò tendimus, ſi non citiùs, ſaltem tutiùs appellamus: hoc eſt, cogemur ſingula cominùs rimari & excutere, quæ à dogmaticis medicis & Philoſophis Hermeticis in naturam partis affectæ, & tanti mali cauſas diſputata ſunt & judicata: unde facilior nobis aditus ad curam & remedia ſternatur.

Quùm autem hic morbus multis aliis affectionibus, tanquã germanis ſororibus, hoc eſt, affinibus, & quæ in ipſam epilepſiam pronæ ſunt, aut contrà, ſtipatus ſit: opportunum ac juſtum fuerit argumentũ, de ſingulis una eademq́ via dicere: quùm præſertim tanta ſit illorum pernicies & exitium, ut potiſſimum hominis propugnaculum, ac fortiſſimam ar- *Epilepſ. plures morbos habet ſibi affines.*

cem,

cem, cerebrũ nempè, rationis & animæ ſummam ſedem, auſint invadere, hacq́ obſidione & incautis inſultibus prorſus æquent ea ſolo, ac extremã ruinam ſenſibus noſtris tum internis, tum externis, nec non ipſis ſpiritibus, vitæ noſtræ aſſertoribus, intentẽt & moliantur: Vnde tota ſtatim ædificii humani ruina, morsq́ ſubita & inopina ingruat. Agnati autem & affines morbi, de quibus agere inſtituimus, præter epilepſiã, de qua hoc noſtrum conceptum fuit imprimis cõſilium, ſunt vertigines, tanquam aliorum præcurſores, apoplexiæ & paralyſes, tanquã in extremo agmine collocati: quæ ſumma vi cerebrũ, ut ſuprà dictum eſt, ſenſuum omniũ, rationis & intellectus humani ſedẽ, impetunt & oppugnant.

Sed ut ordine Medicorum utriuſq; ſcholæ opiniones afferamus: Dogmaticorum priore loco æquũ eſt ſententias expendere, de natura, differentiis & cauſis malorum hujuſmodi: Ordiemur autem ab ipſa Epilepſia, quæ hujus tractatus nobis ſuggeſſit argumentum. Et de ejus natura, qualitate, magnitudine & ferocia, quæ varia idcircò ei nomina indiderunt, ediſſeremus.

TETRAS

TETRAS GRAVISSIMORUM TOTIUS CAPITIS AFFECTUUM, Epilepſię nempè, Vertiginis, Apoplexiæ & Paralyſeos ex doctiſs. Medic. tùm Dogmaticorum, tum Hermetic. vigiliis & accurata praxis obſervatione elucubrata.

Caput I.

De Epilepſia, ejusq́; differentiis, cauſis & ſignis ſententia Dogmaticorum.

Nomina Epilepſ. varia.

Hic calamitoſus affectus, ob ferociam & magnitudinem, varias appellationes variaq́; nomina, tùm apud Philoſophos, tùm Medicos, ſortitus eſt, communi autem vocabulo Epilepſia à Græcis ferè omnibus appellatur, ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνειν, quòd cerebrum & partes ſibi ſubjectas ita apprehendat, ut functiones illarum prorſus intercipiat, præſertim cerebri, quod idcircò omni propè motu & ſenſu ſpoliatur in hoc affectu. Dicitur etiã comitialis à Latinis: eò quòd, qui erant huic malo obnoxii, in comitiis eo frequenter corriperentur, & in alium diem comitia rejicerentur. Plinio dictus eſt Sonticus: Lunaticus Cœlio: Divinus Apulejo: Sacer Hippocrati & Tralliano, Herculeus invictusq́; Ariſtoteli probl. 1. ſect. 30. Hercules enim Melancholicus

Hip. lib. de morbo ſacro. Trall. lib. 1. cap. 15.

cus

cus fuiſſe naturâ putatur, & morbum comitialem ſacrum ab illo & herculeum priſci appellarunt, ſed vult Gal.lib.6.Epid. ſacrum & herculeum dici,quòd ingens & immotus ſit, quem difficilimè evulſeris, quàm ab Hercule clavam. Aretæus lib. 1. de cauſis & notis diuturnorum affectuum cap.4.de hoc portentoſo & terribili morbi genere hæc ſcribit: *Triſte medius-fidius eſt ipſius invaſionis ſpectaculum: turpis & ejus deſinentia, cum ſtercore & lotio & ſpontanea ventris ſolutione: ipſius quoq; morbi origo mirabilis, & præter hominum opinionem eſt:quippe nonnulli flagitioſis hominibus à Luna immitti exiſtimant, cujus rei cauſa & ſacrum morbum hunc nominant: Verum & aliis rationibus id nomen fuit ei impoſitum: aut ob magnitudinem (omne enim magnum ſacrum dici conſuevit) aut quòd humana ope tolli nequeat, ſed divina, aut quoniam dæmone correptus homo videatur: aut ob hac ſimul omnia ſacer morbus appellatus eſt. Nec immeritò,cùm hominem omnium animalium potentiſſimum regem, à quo omnia debellari debuerunt, tam ſubitò proſternat: tamq; horrenda diſtenſione, concuſſione atq; tortura, atrociſſimè dilaniet ac diſperdat, cum magno aſtantium pavore & horrore. Unde aliquid ſacri & divini, quod mentes noſtras procellat, in eo latere, colligere liceat.*

Is au-

Is autem morbus (ut eſſentia & natura ejus pateat) ab omnibus definitur eſſe, generalis omnium corporis partium convulſio: non perpetua quidem, ſicut in emproſthotono, opiſthotono & tetano: ſed quæ ex temporum accidat intervallis, idq; cum ſenſus abolitione & motus depravatione, ex ſententia Gal. 3. de locis affectis, c. 5. *Epilepſiæ definitio.*

Plures ejuſdem conſtituuntur differentiæ, quæ præſertim tùm à loco affecto, tùm à magnitudine, deſumuntur. A magnitudine, quòd aliâs gravior ſit, aliâs mitior. A parte autem affecta tres numerantur differentiæ: Una quæ fit per idiopathiam cerebri. Duæ reliquæ ſunt ſympathicæ. Morbi enim ferè omnes, ut & Epilepſia, fiunt per idiopathiam & ſympathiam. Idiopathia duobus modis accidit, vel per protopathiam, id eſt, generationem cauſæ morbificæ in parte jam affecta: vel per appulſum ejuſdem cauſæ ab iis, quæ extrinſecus veniunt, ut ab intemperie aliqua, vel ab aërea tempeſtate ſuſcitata, tetris vaporibus quibuſdam, vel fumis cerebro funeſtis: quales fumus cornuum, ſuffitus bituminis & lapidis gagatis eſſe creduntur: fit & per deuteropathiam, id eſt, ſecundariam affectionem: quando ſcilicet alterius partis vitio cerebrum afficitur, tranſlata, ſeu tranſplantata cauſa morbifica ab aliquo loco in illud, reli- *Differentiæ.*

cta

ĉta priore radice, foco & ſeminario: quod per metaptoſin fieri dicunt: quæ duplex à Dogmaticis conſtituitur: una critica, & ſemper ægroto ſalutaris, quæ διαδοχὴ appellatur: altera ſymptomatica, quæ metaſtaſis dicitur, perpetuò ægrotanti exitialis.

At ſympathica Epilepſia duobus modis excitatur, nempe per epigeneſin, quæ fit, cùm cauſa morbifica, per venas, arterias & nervos à priore alio foco, unde promanat, quiq; non deſinit ſubſiſtere, transfertur & propagatur in cerebrum (quæ ferè ſemper lethalis eſt.) Et per ſimplicem communicationem, quæ generis ſimilitudine, vel operis ſocietate, vel vaſorum vicinia intercedit, accidere ſolet. Atq; hi ſunt omnes ſympathicæ & idiopathicæ Epilepſiæ modi. Hinc illæ tres Epilepſiæ differentiæ, quarum unam comatoden Cœlius appellat, longè periculoſiſſimam, aliam quæ diverſo captu corpus afficiat, tertiam ex utraque mixtam. Vel, ut placet nonnullis, idiopathica hæc affectio Epilepſia propriè dicitur: ſympathica verò alia vocatur analepſia, quæ ex vitio ventriculi emergit, alia verò catalepſia, quę vel uteri, vel hypochondriorum, vel alicujus alius partis inferioris malè affectæ veneno ſuſcitatur. Hac poſtrema ſpeciē nobilem mulierem illam ex ſignis prædictis conflictari indicavimus. Sed ſunt & alia ſigna dia-

diagnoſtica horrendaque ſymptomata, quæ plerunq; horrendum hunc affectum comitari ſolent, quæ ab Aretæo apprimè deſcribuntur. *At* (inquit) *in ipſo morbi inſultu ſenſibus captus homo jacet: manus ipſi nervorum diſtentione convelluntur: crura verò non ſolùm diſtracta ſunt, ſed etiam huc atq; illuc à tendonibus projiciuntur: cervix incurvatur: caput variè diſtorquetur: ſiquidē nonnunquam pronum, ceu accus, inflectitur, quando pectori maxillæ adhæreſcit: nonnunquā verò in ſcapulas refringitur, veluti iis, qui per vim crinibus trahuntur, uſu venit: quando modò in hanc, modò in illam partem, ad humeros admovetur. Sic miſeri ægri magno hiatu os aperiunt: id ſiccū habent, linguā prælongam, ut periculum ſit, ne aut magno vulnere ſaucietur, aut penitus abſcindatur. Interdum convulſione dentes inter ſe colliduntur: oculi inverſi ſunt: palpebræ cum palpitatione frequenter dehiſcunt: quòd ſi quando connivere velint, palpebræ non immittuntur, ſed alba oculorū cernuntur ac ſubapparent, ſupercilia nonnunquam (ut iis, qui ad iram concitantur) in glabellā attrahuntur: malæ rubentes palpitant, labia interdum quidem in acutum clauduntur, interdum verò, ſed obliquè, dilatantur, quando in ridentis ſpeciem dentibus circumtenduntur. Cervicis vaſa diſtenduntur: vox ut vi ſtrangulatu auffertur: etiamſi vehementer inclames*

Signa Epilep. diagnoſtica.

non ſentiant. Eorum vox nihil niſi gemitus & ſuſpirium eſt: reſpiratio verò ſuffocatio quædam eſt, veluti in iis, qui laqueo ſtrangulantur, inter initia arteriarum motus vehementes ſunt & celeres & parvi; in fine verò magni, tardi & languentes. Quinetiam, ut magnis procellis concitatum mare, ſpumam ore profundunt, quando & tanquam jamdudum expulſo morbo reſipiſcunt & reſurgunt. Cæterùm quùm à morbo quieſcunt, ab initio membris ſegnes ſunt, capitis gravitate premuntur, diſſoluti ſunt, languidi, pallentes, conſternati animo: ob laſſitudinem morbiq́, verecundiam contriſtantur.

Cauſæ Epilepſiæ duplices. Cauſas tàm gravis & horrendi affectus medici dividunt in externas ſeu primitivas: & internas, nempe antecedentes & conjunctas. Magna ex parte victus depravatus hanc paſſionem generat ex Gal. ſententia Aph. 2. com. 45. & 5. de locis aff. cap. 6. Et alibi ſic ſcribit: *Jam olim vidimus, alios convulſione comitiali, ob oris ſtomachi vitium, correptos: cùm aut non probè coxiſſent, aut vini meracioris plurimum potaſſent, aut Veneri immodicæ operam dediſſent.* Idem ſentit Avicennas 1. & 3. tractatu 5. *Externa.* *Cauſas*, inquit, *moventes epilepſiam plerunq́ adjuvant cauſæ extrinſecæ, ſicuti immoderantia cibi & potus, & ſatietas nauſeativa, & mora longa in ſole, & coitus plurimus, & exercitium ſuper repletionem; & id, quod debilitat*

cor

cor ex timore. Inter eaſdemmet cauſas externas recenſentur ſuffitus bituminis, lapidis gagatis, cornu cervi, odor hepatis caprini aſſati, & ipſum hepar, dum editur, & pleraq; alia, quæ ab Aëtio commemorantur. *Aët. tetr. 2. ſerm. 2. c. 14.*

Porrò de cauſis internis & generationis modo, non una & eadem eſt omnium dogmaticorũ ſententia. Nonnulli enim ab humore craſſo, eodemq; ferè ſemper frigido & obſtruente, morbum procreari ſentiunt. In contrarium multa à peritis medicis afferuntur, qui cenſent hujuſce mali cauſam potiùs eſſe ſpiritualem, quàm corpoream: tenuem potiùs, quàm craſſam. Cita enim illius morbi generatio & ſolutio materiei paucitatem, tenuitatemq; argúunt: quùm id per materiei craſſitiem evenire nequeat. Siquidem craſſa omnia difficulter moventur, ex omniũ medicorum conſenſu. At Galenus, qui prioris eſt ſententiæ, eodemmet utitur argumento, quo ſuam, quam craſſitiei attribuit, confirmat ſententiam 3. de locis affectis, cùm inquit: *Non ab ariditate vacuationéve: ſed à craſſo ſemper humore, hanc affectionem induci argumento eſt, quòd & ſubitò fit, & ſolvitur confeſtim.* Nam ſubitaneam meatuũ obſtructionem à craſſo viſcoſoq; humore fieri conſtat. Sic medicis pleriſq; omnibus perſuaſum eſt, hunc morbum à craſſo glutinoſoq; hu- *Internæ. Diverſa de cauſ. Epilepſ. opiniones. Gal. 3. de l. aff. cap. 5.*

Gal. 3. meth. cap. 2. lib. 2. de ſymp. cauſis. cap. 7. de atra bile c. 5. li. 7. de hum. cap. 1.

more ſuboriri, ſic docentibus Hipp. lib de ſacro morbo: & Gal. pluribus in locis: & Paulo lib. 3. c. 13. Imò ipſemet Galenus 4. de loc. aff. loquens de ſopore. apoplexia, & morbo comitiali, inquit: *Horum trium morborum frigiditas ac craſſus aut omninò viſcidus humor cauſa eſt.* Similiter 2. apho. cap. 45. hęc ſcribit: *Morbus enim comitialis proximus quodammodo eſt morbo, quem apoplexiā vocant, quùm idem locus in utroq; patiatur, & idem humor in cauſa ſit.* Cui ſententiæ aſtipulantur multi neoterici, iiq; præſtantes viri. Sed hanc πιθανολογίαν demolitur cita illius morbi λύσις, præcepsq; & ſubitanea illius generatio. Quò fit, ut multi alii perquàm celebres dogmatici contrariam ſequantur ſententiam, ut ſuprà monuimus. Quorum utique opinioni facilè ſubſcribimus. Atq; ut illorū ſententiam corroboremus, & rationibus illorū aliquid tantiſper adjiciamus, dum fuſiùs mox & apertiùs mentem noſtram explicemus, cùm, quid ſenſerint etiam Hermetici, abundè demonſtrabimus. Hoc unum nunc demum quæremus ex illis, qui in craſſa ac corporea materia epilepſiæ cauſam ſtatuunt: & eandem eſſe cum apoplexia materiam aſſerunt, inducti ſcil. & perſuaſi craſſa illa Gal. opinione, quâ à craſſo ſemper humore hanc affectionem fieri ratiocinatur, quòd citò generetur & ſolvatur.

Refutatur opin. erron.

vatur. Quærēmus, inquam, ſi craſſities materiæ, ſubitaq; obſtructio, in epilepſiæ ſubitam generationem & ſolutionem neceſſaria eſt, ut volunt, cur eo modo, confeſtim non ſolvitur apoplexia, quā conſtat præcipiti quidem inſultu invadere, ſed non ita citò deſinere, nec niſi ægerrimè, aut longo pòſt tempore, vel morte etiā ſæpiſſimè finiri. Si enim in cauſas epilepſiæ inducendæ concurrunt craſſi ac pituitoſi humores, iique admodum materiales: cur inter externas cauſas, ab ipſis etiam comprobatas & receptas, recenſentur, ingluvies, immoderatus vini ejuſq; generoſi & halituoſi potus, intemperans luxuries, & coitus ingens, pavor & terror, halitus & vapores quarundam rerū, quas ſuprà jam commemoravimus, naribus excepti & olfacti? Num & hæ cauſæ in craſſa ſcilicet poſitæ ſunt materia, quæ obſtructionem generent, unde hic morbus naſcatur? At contrà, potus & cibus ventriculo excipiuntur in craſſa ſua materia, nec niſi ſpirituoſis halitibus & vaporibus in cerebrum efferuntur. Quod pariter de odoribus exitioſis dici poteſt, qui per halitus ſuos tantùm excipiuntur: hacq; ratione, non craſſa ſua materia, morbum inferunt. Quod ad cauſas internas, antecedentes videlicet & conjunctas attinet: jam ſatis in epilepſia, de qua ſuprà egimus, evicimus, eam ſym-

Cauſa Epilepſiæ non eſt materia aliqua craſſa.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Cauſa Epilep. eſt ſpiritualis.

pathicam eſſe potius, quàm idiopathicam. Quod quùm ita ſit, numquid cauſa eã generans, vel ex vitio ventriculi vel matricis, aut alicujus alius inferioris membri orta, ad cerebrum evehi debet, ut affectum procreet? Quæ ſi craſſa eſt, quomodo attolletur, ſi ſpirituoſis vaporibus & exhalationibus id non fiat? cùm craſſæ & corpulentæ materiæ proprium ſit, deorſum potiùs, quàm ſurſum, tendere? Ille ipſe Galenus multis in locis idem mecum ipſe loquitur, ſi rectè expendatur & intelligatur. Ut cùm quinto de loc. aff. c. 5. de epilepſia per conſenſum ventriculi ſcribens, exemplum de Grammatico adfert, qui, quoties docebat, meditabatur, iraſcebatur, morbo comitiali corripiebatur. Atqui hujuſmodi ſpiritus affectiones, rectène humori craſſo & gravi, qui naturâ deorſum vergit, tribuantúr? Poteſt & alter Galeni locus in eundem ſcopum citari: qui de quodam puero exemplum adfert, cujus à crure ad femur, à femore ad coxam, mox ad cervicem, ad caput demum ſenſim aſcendere vapor perſentiebatur, qui cerebro torporem inducebat, quo corripiebatur puer uſq; adeò vehementer, ut ne ſentire ac ne intelligere quidem poſſet. Habetur & aliud exemplum de ſcorpionis ictu, quamvis hanc epilepſiæ ſpeciem ratò contingere adnotaverit Aëtius.

Sed

Sed audiamus Aretæũ, de acceſſione morbi comitialis hæc verba proferentem: *Nonnullos verò & corripit à nervis, procul à capite poſitis, incipiens, quicunq; principium in conſenſum affectus inducunt. Itaq; magni pedum aut manuum digiti convelluntur, unde & dolor & ſtupor & tremor ſequuntur. Atq; hæc in caput impetum faciunt, ſi & malum ſurrepens caput invaſit. His porrò fragor quidam redditur, perinde ac ſi à ligno aut lapide verberentur, quumq; ab humo ſurrexerunt, quædam, tanquam ſi ex inſidiis vapulaſſent, commemorant. Hoc ſanè pacto illi, quibus primò id malum incidit, decipiuntur. Quibus verò familiare & conſuetum eſt, ſimul atq; morbus in digitum impetum dedit, aut alicunde exortum eſt, qui propè eos adſunt, adjutores inclamant, futuramq; ab experimento calamitatem proſpiciunt: obſecrant quoq;, ut membra, unde oritur malũ, conſtringant, reflectant, dirigant: quin etiam ipſimet ſibi ipſis affecta membra, tanquam morbum inde eximentes, trahunt velluntq;: Atque ita ſibimet auxiliantes nonnunquam & nos ad ægritudinis notitiam impulerunt.*

His paucis ſatis liquet, quàm abſurdè epilepſiæ cauſa ſemper ad craſſam & pituitoſam materiam referatur: quamq; ſit diſſimilis & aliena ab ea cauſa, quæ apoplexiam gignit, etſi contrà ſentiat Galenus.

CAPUT II.

De cauſis vertiginis eorundem Dogmaticorum ſententia.

ATQUI ut res clariùs demonſtretur, quis aſſerat, vertigines, quæ parvæ ab antiquis Epilepſiæ vocitantur, ex hujuſmodi craſſis, pituitoſis & frigidis humoribus procreari?

Cauſa vertig. externa. Si ad externas cauſas reſpiciamus, à quibus excitantur: propemodum ſimiles illis comperientur, quæ à nobis in generationem Epilepſiæ commemoratæ ſunt: quales ſunt ingluvies, vinum, & id genus alia: quæ vapores ſuos & fuligines in cerebrũ efferunt. Id maximè accidit, inquit Galenus (de cauſis primitivis vertiginis loquens) quùm vel ſub ſole æſtuarint, vel aliam ob cauſam calefacto fuerint capite: aut ex calido vaporoſoq; ſpiritu caput opplente, &c. Idem ſentit Aëtius: *Facilè capiuntur*, inquit, *ab hac affectione, quibus conſuetæ excretiones ſunt oppreſſæ. Sed & cruditas & ardores aſſidui, & ebrietates, affectionem hanc efficiunt.* Et idem author initio ſeptimi cap. ejuſdemmet libri ex Archigene & Poſidonio hæc ſcribit, *vaporibus calidis & acribus ad caput elatis, & animalem in cerebro ſpiritum evertentibus, primùm hebetudines quadam fiunt, &c.* Quibus omnibus rationibus expenſis,

Gal. 3. de l. aff. cap. 8.

ſis, liquebit, ex ſolis vaporibus, in cerebrum elatis, ejuſmodi vertigines excitari.

Quod ad antecedentes & conjunctas hujus mali cauſas attinet, hæc ſunt, quæ ſcribit Galenus de Antecedentibus: *Fit vertigo*, inquit, *ab humore, cum ſpiritus craſſitie, in corpore moto.* Idem Galenus Aphoriſ.3.com.31. de cauſa conjuncta verba faciens: *Vertigines*, inquit, *accidunt propter ſpiritum vaporoſum, qui in partibus cerebri inordinato motu cietur.* De vertiginibus item ſympathicis & earum cauſis, quæ ex conſenſu partium inferiorum excitantur, idem Gal. diverſis locis, cùm de illis diſſerit, eas omnes ad fumos, vapores & ſpirituoſas exhalationes revocat. Quod videre eſt ex ejus commentario 31. in 3. lib. Aph. & 3. de loc. aff. cap. 8. Idem ſenſerunt ipſe Avicennas, Oribaſius & alii: Ex quorum ſcriptis, omnes vertiginum cauſas, conſtabit, ad halituoſos, vaporoſos ſpirituoſosq; fumos potiùs, quàm ad craſſos & pituitoſos humores eſſe referendas: ſive ſpirituoſi & fuliginoſi illi vapores ſedem ſuam fixerint in cerebro, aut aliunde eò delati fuerint. Quando enim ad plexum choroidẽ fertur tetra & fuliginoſa anathymiaſis, per arterias cervicis: quo loco ſpiritus animalis flatulentos vapores gignit: ibidẽ & ubiq; iiſdẽ vaporibus obruitur & ſuffocatur: Aut ſi in nervos opticos ea de-

Antecedentes. *Gal. aph. 3. com. 27.*

Avicen. prima tertii. tract. 5. Oribaſ. aphor. 3. com. 20.

trudatur, ibi gyros & vertigines parit. Atque hujuſmodi etiam & eædem cauſæ epilepſiæ neceſſariò tradendæ ſunt: quum vel ipſe Galenus in lib. qui Introductio ſive medicus appellatur, ſcripſerit, caligines oculis offuſas, & vertigines cognata eſſe vitia morbo caduco, quæ ab iiſdemmet cauſis prodeunt, atq; eaſdē ſedes occupant, hoc eſt, caput. Quod quū ita ſit, conſequitur, nequaquam unam & eandē eſſe epilepſiæ & apoplexiæ cauſam, quod tamen alio loco, à nobis jam citato, aſſeruerat Galen. quùm apoplexiæ origo ab eodem Gal. & ex omniū propè medicorum conſenſu, ex frigidiore, lenta, craſſaq; pituita vel melancholia progignatur, ſatisq; oſtenderimus, vertiginum, quæ parvæ ſunt epilepſiæ, radices longè aliam habere naturam. Cùm autem inciderimus denuò in ſermonem de apoplexia, quam Galenus prorſus epilepſiæ affinem eſſe cenſuit, ut ſuprà diximus: ſive ſedem, ſive cauſas ſpectes. Quemadmodum etiam re ipſa videmus, epilepticos multos re ipſa in apoplexiā delabi, ac viciſſim apoplecticos ſæpiſſimè inſultibus epilepticis imperi: ex qua malorū complicatione mors ſæpiùs ingruit. Exactè nobis & natura, & ſedes, cauſæq; tam horrendi affectus, privatim excutienda ſunt: cùm videamus, potiſſimum hominis propugnaculum, cerebrum ſcilicet, non ſegniùs,

Non ſunt cauſæ eadem epil. & apop.

Paul. lib. 3. cap. 18.
Gal. aph. 6. com. 56.

imò crudeliùs & ferociùs, quàm ab epilepſia oppugnari & invadi: quũ omnes ſenſus uno momento cõcidant & extinguantur, morsq; utplurimum ſequatur: aut ſaltem tranſeat morbus in reſolutionem & quaſi ſideratio-nem dimidii, aut etiã totius corporis noſtri.

Accurata hæc perquiſitio & examen, quod de hujuſmodi affectu inſtituimus, clariùs fortaſſe nobis, quicquid occultum eſt & latitat in cauſis epilepſiæ, aperiet: hacq; ratione duobus iſtis graviſſimis, atque ſtupendiſſimis omnium malis, promptiorem & tutiorem opem ferre nobis licebit.

Caput III.

De apoplexia, ejusq; cauſis, differentiis & ſignis ſententia Dogmaticorum.

Hujus itaq; morbi, quem ſideratioñẽ & attonitũ Latini dicunt, Græci verò ἀποπληξίαν, ἀπὸ τ͂ ἀποπλήττειν, h.e. à percellendo vel percutiendo, nuncuparunt: quòd qui ea corripiuntur, veluti de cœlo tacti & percuſſi videantur: vel quòd tanquã ex lethali ictu & percuſſione repentinũ faciant caſum: hujus inquam morbi & naturam & differentiam, & partem affectam, & cauſas paucis ex Dogmaticorum ſententia perquiram: Eſt enim repentina motus & ſenſus, adeoq; omnium facultatum animalium privatio. Sic Gal. Paul. Aëtius.

Ratio nominis. *Cœl. lib. 2. oxeon. cap. 5.* *Defin. apoplexiæ.* *Gal. 3. de l. aff. cap. 10.*

2. aph. com. 42. Avic. 1. tertii tract. 5. Celſ. lib. 3. c. 27.

Aëtius, Avicennas, Celſus, & quotquot ſunt, ferè omnes antiqui & neoterici medici eum nominant, taliq; nomine naturam ejus exprimunt. Qui autem hoc malo corripiuntur, interdum nullis ſignis, aut indiciis aliis proximè antegreſſis, ſubitò cadunt: & veluti fulmine quodam icti, jacent attoniti, ſine motu, ſine ſenſu, ſine mente: cum ſtertore interdum graviſſimo: qui vocati non reſpondent: nec divulſis pilis, vel ſtimulo puncti quicquam ſentiunt. Quam apoplexiam (inter quatuor, ipſius quas conſtituunt, differentias) graviſſimam & actualiſſimam dicunt. Interdum nonnulla concurrere & præcedere ſigna accidit, ut gravitates & dolores capitis, vertigines & ſcotomiæ, error judicii & univerſarum facultatum animalium: totius corporis tremor: dentium ſtridor: vox tremula & interrupta: in ſomno gravitas & pigritia: membrorũ palpitatio, ac inprimis labiorum: jugularium venarum ſuſpenſio: extremarum partiũ, ſine ratione, algores: urina æruginoſa, atra & punicea: de quibus conſule Paulum & Avicennam. Apud quem videre etiam poteris, quibus ſignis apoplexia differat à caro ſeu ſopore, ab uteri ſtrangulatu, à ſyncope, ab extaſi melancholica: ab epilepſia, à ſimilibus deniq; affectibus apoplexiæ affinibus.

Signa Apoplex.

Paul. l. 3. c. 18. Avic. 1. tertii tract. 5.

Quùm igitur ex ſuperioribus compertum

habea-

habeamus, focum & ſedem apoplexiæ in affectione cerebri exiſtere: qua animalitas, ut ita loquamur, tollitur, hoc eſt, ſenſum & motum corporis in omni apoplexia extingui: aliasq; cerebri functiones animales prorſus aboleri (quæ quidem deſcriptio ex ſymptomatis tantùm deſumpta eſt.) Nunc videndũ eſt nobis, quæ ſit illa affectio, quæ ex ſe primùm uno momento, tàm inopino & veluti proditorio inſultu, diſtributionem, curſum, effluxum, & penetrationem ſpiritus animalis in nervos, motui ac ſenſui dicatos, remorari poteſt: eoq; modo viam omnibus elegãtiſſimis ánimæ functionibus obſtruere & intercipere. Præterea expendendũ eſt, an idem ſit cum epilepſia affectus, ratione ſedis & cauſarum, ut cenſet Gal. An verò vicinus, affinis, & germanus ſit inter ſe uterq; affectus. *Fomes & minera Apoplexia.*

Quod ſi ita eſt, unde ambô inter utramq; affectionem naſcetur differentia? qua epilepſia depravatum tantùm motum, cum membrorum concuſſione & torſione ſuſtineat? In apoplexia verò corpus omni motu ſenſuque prorſus ſit deſtitutus? Adde apoplexiam, ut plurimum in paralyſim degenerare & terminari: quod nunquam epilepſiæ contigit, ut omnes tùm græci, tùm alii percelebres medici, quotidiana ipſa experientia nixi, uno ore pronunciarunt, excepto uno ſolo Avicenna.

Ut

Diff. apoplex. & epilepſiæ Dogmaticorum.

Ut quæſtionem hanc ex multorũ dogmaticorum opinione expediamus: in apoplexia perfectam, completam, ac integram obſtructionem ventriculorum & meatuum cerebri eſſe autumant: qua curſus & fluor animalis ſpiritus in nervorum genus prorſus abrumpitur: quo fit, ut corpus ſenſu motuq; ſimul prorſus orbetur. At in epilepſia dimidiatam tantùm obſtructionẽ quandam augurantur, neq; eam omnium ſimul ventriculorum cerebri: ſed quorundam tantùm, qui ſenſum prorſus extinguendi, motũ verò tantùm depravandi vim habent: idq; ob nervorum varietatem: quorum alii ſenſui: alii verò motui à natura deſtinati ſunt. Atq; hæc eſt, quam ſtatuunt inter utrumq; deploratiſſimũ affectum differentiam dogmatici. At ſi cominùs intueamur & repetamus, quæ jam ſuprà de cauſis epilepſiæ ediſſeruimus: comperiemus, non tam ex humorum aut craſſorum vaporum obſtruente copia malum naſci, quàm ex maligna & venenata quadam qualitate, ex diametro cerebro oppoſita & noxia: Quod ex morſu ſcorpionis, qui epilepſiam induxit, & aliis teſtimoniis quàmplurimis, quæ huc afferri poſſent, nobis facilè innoteſcit: Ita ut inde liceat inferre, epilepſiam non tàm organicum eſſe affectum, quàm totius ſubſtantiæ cerebri corruptorẽ ac depravatorem, ac proinde

inde longè aliud eſſe inter utrũq; hunc morbum diſcrimen, quàm ſtatutum ſit: quod dilucidè explicabimus, cùm Hermeticorũ ſententiam excutiemus. Ut autem ad apoplexiam redeamus, & exactiùs tam ſubitæ ſenſus ac motus privationis cauſas rimemur: confirmabimus, quod ſuprà diximus: Impedimentum illud eſſe, quod ſpiritus animalis tranſitum in nervoſas partes interpellat: cõmunicationemq; ejus membris omnibus interdicit: eamq; affectionẽ, qua hujuſmodi impedimentũ cauſatur, unã & ſolam eſſe omnium iſtiuſmodi ſymptomatum radicem: ac proinde concludemus, ἔμφραξιν eſſe, ſeu πίεσιν, hoc eſt, obſtructionem eam, de qua jam loquuti ſumus, vel quandam coarctationem ac compreſſionem viarũ & ventriculorum cerebri: qua præpeditur, quò minus in cor ſpiritus animales transfundat, vel ſpiritus vitales ab eo excipiat: quos poſtea in partes nervoſas trajiciat. Etenim ſi facultas vitalis denegetur cerebro, propter compreſſionem & obſtructionem venarum jugularium, & arteriarum caroditum, cerebrũ jam quaſi vita deſtitutum, & veluti ſepultum, aut tenebris obrutum, nulla vi pollet, animales ſuos ſpiritus in nervoſa membra diffundendi, & functiones ſuas per totum corpus obeundi. Nihil enim præſtare poteſt, ſi vitá deſtituatur, hoc

Cauſa ſymptom. apoplect.

hoc eſt, vitali ſpiritu orbetur, cujus appulſu animatur, & ad particulares functiones, quæ ſecundæ ſunt energiæ, obeundas compellitur. Nam ſi ea vita, quam cerebro impertitur, ipſi deſit, ſecundas quoq; energias deficere, & proprio motu prorſus privari neceſſe eſt. Quod in ſyncopis & uteri ſuffocationibus videre eſt: ubi cor præſertim, non cerebrum invaditur. Omnes enim animales cerebri facultates hîc ſilent, tanquam extinctæ, omniq́; ſenſu & motu orbantur corpora, eodem propè, quo in apoplexia, modo: quòd videlicet oppreſſo corde, vitali ſpiritu cerebrum deſtituatur. Sic Aſſyrii, ut teſtatur Alexander Bened. lib. 10. cap. de apoplexia, ſimilem propemodum affectionem juvenibus & antiquis inducunt, quibus præputium volunt circuncidere. Qui, ut doloris ſenſum omnem eripiant, colli & juguli venas conſtringunt ac comprimunt, eosq́; hoc modo tanquam apoplecticos, ſenſus & motus expertes reddunt. Atq; hæc de cauſa formali apoplexię dicta ſint. Ubi tamen inquirendæ & inveſtigandæ ſunt iſtius obſtructionis & coarctationis particulares cauſæ. Quæ quidem cauſæ ſunt & externæ, & internæ. Externæ ſunt, nimia frigoris intemperies, cerebrũ conſtringens, comprimens, & quaſi conglacians: caloris vehemẽtioris exceſſus, ipſum colliquans ac diſſol-

Cauſæ obſtruct. particulares.

Externa.

ſolvens: concuſſio capitis ex caſu aut ictu excitata: & id genus aliæ externæ cauſæ, quæ internas commovent. Obſtructio enim, ut ab ea ordiamur, à qua ipſa apoplexia procreatur ſæpius, quàm à coarctatione & compreſſione, fit, aut ex humoribus in vaſculis cerebri contentis, hoc eſt, in venis & arteriis à jugularibus & carotidibus, id eſt ſoporiferis, productis: aut ab humoribus extra illa vaſa diſperſis naſcitur. Quæ ab humoribus in vaſis contentis fit obſtructio, ea tum generatur, cùm humor, hoc eſt, ſanguis craſſus & melancholicus ea ſupra modū opplet vaſcula. Unde in cerebro ſpecies quædam phlegmonis oritur, ut vult Gal. quales in carnoſis partibus, ex nimia ſanguinis copia, ex vaſculis reſudante, aut copioſè affluente, incenduntur. Siquidem in ventriculos cerebri effuſus ſanguis eos replet, unde generatur obſtructio, motu & ſenſu corpus deſtituens. Quæ ſi in arteriis fiat, ſpiritus vitalis aſcenſum in cerebrum prohibet: cujus inopia & defectu cogitur cerebrum ſuis functionibus & actionibus carere, ut ſuprà diximus.

Interna.

Gal. comment. aphoriſ. 42. 2.

Atque hæ ſunt iſtius obſtructionis cauſæ. Eaſdem externæ coarctationis cauſæ origines habent. At compreſſio arteriarum carotidum, qua vitalis ſpiritus in cerebrum aſcenſus intercipitur, ſi manu, aut laqueo fiat ſuffo-

catio: ſive vapore aliquo eas partes opplente, ut in ſtrangulatu matricis fieri ſolet, alias habet cauſas, & rationes, quas aliò rejicimus explicandas: quùm eæ ex Hermetica ſchola petendæ ſint.

Hæ ſunt igitur cauſæ internæ & antecedentes apoplexiæ: quibus re ipſa cerebrum oppugnatur: & ex quibus meatus ac vias cerebri occludentibus, conjunctæ ipſæ affectus cauſæ naſcuntur.

Superſunt aliæ cauſæ internæ, remotiores, ut diatheſis & propenſio naturalis ad hoc malum, ſive aliunde, ſive hæreditario quodam jure partæ: ut quibus cerebrum imbecillius ac intemperatius eſt: quibus craſſum & amplum caput eſt, utpote multorum vaporum capax, quos nequeat aut coquere aut diſcutere. Nonnullæ ſunt externæ, quæ gignunt, præparant, & aptas huic malo internas reddunt: qualis eſt ingluvies, aut cibi & potus exceſſus: uſus ciborum frigidorum & vaporoſorum: venus immodica: locorum & regionum natura & proprietas, nec non temporis conſtitutio, quæ huc multùm confert: quùm hujuſmodi affectus faciliùs hyeme, quàm alio tempore excitari ſoleat, juxta Hippoc. Ætas enim nullo negotio eum procreat: ſiquidem is ex ſententia ejuſdem Hippoc. aphor. 31. primi lib. aphor. veteribus familia-

ris

ris eſt, atque idem generatur maximè ab anno quadrageſimo ad ſexageſimum uſque, eodem Hippoc. teſte 6. aph. 57. Cujus rei ratio eſt, quòd tunc temporis omnium humorum hi duo craſſiſſimi, pituita ſcilicet & melancholia præcipuè in corpore abundent. Ex quibus, propter utriuſque humoris communem craſſitudinem, ut docet Gal. aphoriſ. 6. com. 56. apoplexiæ & convulſiones enaſcuntur. Hunc autem inter ſtupendos & reformidandos affectus, graviſſimum eſſe teſtatur ipſe Hipp. quùm ſcribit: *Solvere morbum, quem apoplexiam vocant, fortem, impoſſibile: debilem verò non eſſe facile: quia in paralyſin plerunque deſinit.* Unde colligere eſt, hujus morbi curã calamitoſam & deploratiſſimam eſſe. Atque id ipſum eſt, quòd ſcribit Ægineta his verbis: *Apoplexia morbus nequaquam aut rarò curatur, ut quæ minetur mortem in propinquo:* Si verò etiam remedia admittat, ut plurimum cum partis alicujus reſolutione diſcedit. Non eſt igitur perfecta hæc cura: ſed potiùs univerſalis mali in particulares permutatio. Quo fit etiam, ut obiter de eo aliquid nobis dicendum ſit.

Hip. aph. 42. 2.

C 2 CA-

CAPUT IV.

In quo agitur de cauſis & diff. Paralyſeωs, ejusq; cum aliis affectibus affinitate, ex mente Dogmaticorum.

QUOD igitur omnes Græci Paralyſin vocant, Latini nervorum reſolutionem interpretantur.

Avic.3.tert. cap.deParal. Hic autem affectus, ut loquitur Avicennas, duplicem habet deſcriptionem: unam propriam: alteram communem. *Duplex Paralyſis.* Paralyſis enim, inquit, quandoq; dicitur ſermone abſoluto: quandoq; ſermone proprio, &c. Hanc alii eodem ſenſu in exquiſitam ac conſummatam, & in imperfectam dividunt: exqui-
I. ſitam vocantes eam, quâ ſenſus & motus in una aut pluribus corporis partibus, in uno aut altero corporis latere, extinctus eſt: Aut cùm dimidia corporis pars, aut totum ipſum corpus, à capite ad pedes, prorſus perculſum
II. eſt. Quùm verò motus tantùm, ſalvo ſenſu, ſublatus eſt: aut ſenſus, permanente motu, extinctus, ea eſt, quam paralyſin imperfectam vocant. Verum quidem eſt, Galenum ſcribere, cùm motus ſublatus eſt, integro remanente ſenſu, hunc affectum propriè dici poſſe paralyſin. At ſenſu extincto, ſi motus reſtat integer, ejuſmodi membrum nō poſſe pro-

propriè dici reſolutum: at ſenſu deſtitutum.

Sed quî fieri poteſt, ut interdum motus pereat, citra ſenſus extinctionem: quùm omnis nervus, quantumvis duriſſimus, ſit ſenſu tactus præditus? Hanc Gal. quæſtionem ſolvit quàm optimè, cùm ſcribit, quibuſdam partibus, utpote, inter alias, oculis & linguæ, motum & ſenſum per diſtinctos & diverſos nervos à natura impertiri: Aliis verò per eundem nervum communicari. Hoc poſito facilè intelligere eſt, cùm ſoli motus nervi detrimentum acceperint, ipſum etiam motum ſolum viriari, citra ullam ſenſus jacturam, & contrà. At non ita facilè res capi poteſt, cùm ab iiſdem nervis motus & ſenſus prodeunt: ſi alter iſtorum, altero manente integro, extingui ſolus poſſit. Quùm tamen experientia ſatis nos hoc poſſe fieri, & ſæpè contingere edoceat: afferendæ ſunt hujus dubii rationes, & expedienda ſolutio eſt. Dicimus igitur interdum motum deleri poſſe, citra ſenſus deperditionem: At nequaquam ſenſum, citra motus jacturam.

Quæſtio.

Solutio Gal.

Alia ſolutio auctoris.

Niſi enim paralyſis graviſſima, integra & exquiſita fuerit: motum quidem vitiare poterit: at non ſenſum, quòd motus majorem animalium ſpirituum copiam, ad actiones ſuas obeundas deſideret: Senſus verò, utpote qui patiatur, & non agat, paucis indigeat. At ſi

C 3 magnus

Digitized by Google

magnus eſt affectus, confirmatus, & altis radicibus corporis infixus: tunc utriuſq; ſimul apparet interitus: quùm ne tantillum quidem ſpiritus animalis impertiri queat, qui ad ſenſum excitandum ſatis eſſe poſſit. Itaq; in exquiſita paralyſi, certum eſt, utrumq; perire: at in imperfecta & non plenè conſummata, alterutrum ſtare poteſt.

Paralyſ. & ſtuporis affinitas & diff.

Stupor, quem Græci νάρκην & νάρκωσιν vocant, eſt huic incompletæ paralyſi cognatus morbus, in quo ſenſus motuſq; non prorſus pereunt: ſed torpent & hebetes fiunt. Hoc
» vult Gal. 4. de ſympt. cauſis, dum inquit: Si
» nervi à principio fiant ſtupidi: deinde omni-
» nò ſenſum & motum amittant, paralyſis, id
» eſt, nervorum reſolutio dicitur. Ex quibus patet paralyſin à ſtupore, ſola tantùm magnitudine, differre. Eſt enim πρόδρομος, & tanquam præcurſor paralyſis.

Alia paralyſ. ſpecies.

Eſt & alia abuſiva paralyſis, & καταχρηστικῶς appellata: quæ nihil aliud eſt, quàm partium mollificatio, & vis effœta: ut, quando quis penem arrigere nequit, eum paralyticum nominare poſſumus, non eò quòd ſpiritus aut facultas, ſed pars ipſa ſuſcipiens in vitio ſit, de qua hîc non loquimur, non minùs quàm de ea, quæ paraplegia dicitur, quæq; vel præciſione, aut nervorum luxatione vertebratum cervicis efficitur, aut ex humoribus, ex pul-

pulmone decumbentibus, de qua mentionem facit Hippocrat. ſectione 2. libr. 2. Epid. in muliere illa, cui reſoluta manus dextra fuit, atque crus ſiniſtrum, ſine ulla mentis facieiq; alteratione, idque ex tuſſiculoſo affectu.

Atq; hæc eſt magna illa affinitas & ſocietas inter ejuſmodi morbos: præſertim inter apoplexiam & paralyſin, debili ſcilicet apoplexia in paralyſin deſinente: hæcq; eſt, quæ propriè paraplexia nominatur: cùm totum videlicet corpus occupatur ab ipſo capite ad infimas uſque corporis partes, vel dimidia pars corporis tantùm, quæ tùm dicitur hemiplexia, vel hemiplegia, ut idem Gal. teſtatur, Pro. 3. com. 26. At illa longè deterior eſt hac: quæ alterum tantùm latus, aut unam duntaxat corporis partem obſidet, ut aurem, linguam, maxillam, labium, manum, coxam, pedem, quarum cauſæ & externæ & internæ accuratè perveſtigandæ ſunt & excutiendæ, ut nempè intelligatur, num à cerebro vitium oriatur, an verò à ſpina dorſi, unde nervorum origo producitur. Quæ partes præcipuæ, ſi ab hoc vitio & affectione immunes fuerint, quærendum, num in aliquo particulari nervo cauſa hæreat: quæ ſi in eo eſt, an in toto ejus proceſſu, an verò in parte aliqua locata ſit, ſive ea principium ſit nervi, ſive

Canon curat. medium, aut ipſa ejus extremitas. Siquidem radici & origini mali non alibi admovendum eſt remediũ, ut cura rectè inſtituatur. Quùm enim cerebrum, ſpiritus animalis fons & origo: aut quùm medullaris ſpina, via ſcilicet, per quam emergunt & diffunduntur in corpus nervi, ſenſui & motui dicati, oblæſa ſunt & depravata: illa ipſa remedium expetunt, nõ pars reſoluta. Exempli gratia: Si alicujus partis faciei motus periit, quærenda eſt cauſa & origo mali ex primis ſpinæ vertebris. Si ſenſus ſolus extinctus eſt, ex tertia nervorum cõjugatione vitium oritur. Si cum dimidia corporis parte, dextrâ vel ſiniſtrâ, eadem faciei pars reſoluta eſt; ab eadem parte cerebrum quoq; patietur & affectum erit. Si quæ ſub facie poſitæ ſunt partes omnes ſunt reſolutæ, principium ſpinæ perculſum quoq; fuerit.

Cauſa hemiplex. unde petenda? Quod ad hemiplexiarum cauſas attinet: eæ non ſunt in tota ſpina quærendæ: ſed in aliqua tantùm ejus parte: ut ſi altera tantùm coxarum reſoluta eſt, ad lumbos tantùm, nec altiùs cauſa eſt revocanda. Si tota in tranſverſum ſpina affecta eſt, omnes corporis partes inde patientur, quum ſuorum nervorum ex ea originem mutuentur. Si ex parte tantùm laboret, pars quoq; corporis aliqua ex ea reportabit incommodum. Plura iſtorum videre licet apud Gal. ac inprimis particulare exemplum,

emplum, quod de Pauſania Syro adfert: qui ex caſu in principio dorſi læſus, duos ſiniſtræ manus digitos amiſerat. Atq; ut omnia iſthæc rectè comprehendantur, & certò, peritiſſimum eſſe anatomiæ ſeu diſſectionis neceſſe eſt, ut inde omnium nervorum origines, proceſſus, & in partes diſtributiones teneantur. Internæ autem particulares cauſæ, paralyſes inducentes, apud eundem authorem videri poſſunt: atq; etiam cognoſci ex iis, quæ jam à nobis de apoplexia dicta ſunt. Si morbus ortum habuit ab externa aliqua cauſa, utpote, à prava vivendi ratione, à vehementiore frigore, aut etiam calore, à caſu aut ictu, ex ipſius ægri relatione diſci poſſunt. *Cauſa interna.* *Externa.*

CAPUT V.

In quo docetur, legitimam morborum anatomiam ex luce Naturæ Majoris mundi (cujus typus eſt homo) eſſe petendam: ſeminalesq́; plurimorum morborum fomites atq; mineras ex vitalibus variarum exhalationum tincturis ceu fontibus ſcaturire atque effloreſcere demonſtratur: Idq́; ex ſententia Hermeticorum.

SED ecce obmurmurantes, & de nobis expoſtulantes audio Hermeticos, quòd acura-

curatiùs & fuſiùs, quàm par eſt, dogmaticorũ partes, in naturam, differentias & cauſas ſuperiorum affectuum, citra ſe excutiamus & ſuſtineamus, tandiuq; ipſos multis pòſt ſtadiis à tergo relinquamus. Quibus tandẽ ut ſatisfaciamus, ſciant illi, nos priorẽ honoris locum dogmaticis, tanquam noſtris majoribus, & ex quorum ſchola prognati ſumus, & à quibus ipſam accepimus poteſtatẽ, non ut ita loquar, dogmatizandi, ſed liberè & docendi & ſcribendi, promiſiſſe ac deſignaſſe: ex quorum uberibus educati, obteſtati ſumus, nunquam à partibus Aſclepiadis diſceſſuros, verumq; me ejus alumnũ fore: nec unquã alterius doctrinæ ſectatorem futurum, quàm veræ antiquæ. Nec videri debeo jusjurandum infringere, ſi & Hermeticorũ placitis adhæream, ut quæ à ſecta dogmaticorum verbis potiùs quàm ſententia diſcrepent, ſi omnia rectè perpendantur. In hoc, ô Hermetici, me commodi veſtri ſtudioſiſſimũ agnoſcetis, quùm pretioſas veſtras margaritas, rubinos, adamantes & ſmaragdos, auro dogmaticorum illuſtrem & elegans lumen conciliem, oculis ipſis videndũ, idq; apertis verbis & methodica explicatione, exhibuero: quantumq; verò cuilibet Aſclepiadi myſteria veſtra, etſi Eleuſinis longè obſcuriora, occultiora, & confuſiùs ac perturbatiùs, vitio fortè & perverſitate quorundam veſtro-

veſtrorum ſectatorũ, deſcripta, admirationi potiùs quàm rejectioni & vituperationi eſſe oporteat. Non tamẽ velim aperta hac mea explicatione bobus aut porcis uniones & margaritas veſtras tàm illuſtres objicere, qui eas ſua invidia & linguæ maledicentia inquinant. Illis enim nõ loquor. Attamen publicæ utilitati potiùs conſulendum, quàm hujuſmodi porcorũ fœdæ conculcationis habenda ratio eſt. Attentis igitur auribus litis veſtræ diſceptationem ex me, pro vobis orante, excipite.

Non immeritò ſanè nec abſurdè homo microcoſmus appellatur. Siquidẽ quicquid majore mundo circumcirca diffuſum cõtinetur, totũ hoc microcoſmo, ceu cõpendio, contrahitur, ut ſcribit his verbis Greg. Nazianz. initio lib. de hominis opificio, quod etiam alibi annotavimus, hominẽ nempe à Deo poſt reliqua factum fuiſſe, ut Deus in ipſo exprimeret, ſub brevi quodã compẽdio, quicquid diffusè antè fecerat. Neq; hic de intellectuali & cœleſti mundo, qui etiã in hoc cõpendio reperitur, velim verba facere: ſed de elementari tantùm, tanquã nobis proximo & adhęrẽte, prout in ſuperiorẽ & inferiorem regionẽ diſtinctus eſt. Quam etiam diviſionem humanum corpus patitur: ut caput ſit regio ſuperior: vitales verò partes & nutritioni dicatæ, utpote imo loco ſitæ, inferior aquæ & terræ regio, ſeu

Homo Microcoſmus.

Diſtributio corp. humã. in duos elem. globos.

ſeu globus vocentur. Quemadmodũ autem in terræ penetralibus, tum ſolis radiorum virtute, tum ipſius terræ calore nativo & proprio, multæ exhalationum & vaporum ſpecies excitantur, quæ mixtorum imperfectorum corporibus eſſentiæ cauſam tribuunt: utpote quæ varia ſulphurum, bituminum, ſaliumq́; ac liquorum ſive mercuriorum genera procreant: hacq́; caloris utriuſq; tum ſolaris, tum terreſtris, nec non & aſtrorum influxus ratione, in elementari mundo, tanquã in ſuo continente, tot & tam varia contentorum genera, ex matricibus ſuis progenita cõſpiciuntur. Haud ſecus in humano corpore evenit, quod & continentibus & contentis partibus conſtat, ut etiam alibi ſcripſimus: quarum ſolidiores, ligamentoſæ & carnoſæ ſeu molliores, cum elementis collatæ, locorum & matricum officia in eo exercent: ut quæ & principia hypoſtatica, & alias ſubſtantias varias, tam fixorum corporum, quàm volatilium, tam materiales, quàm ſpirituoſas eſſentias contineant. Quæ quidem ſubſtantiæ contenta in ipſis matricibus dicuntur: quorum alia impetuoſa, & huc & illuc fluctuantia ſunt: alia ſunt humectantia, alia effluentia.

De ſignat. rerum internis.

Spiritus.

Impetuoſa contenta ſunt ſpiritus noſtri tam naturales, vitales & animales (qui puriſſimi, ſinceriſſimi, & maximè omniũ ætherei ſunt) quàm

quàm impuri, & malignam quãdam qualitatem præ ſe ferentes. Humectantia ſunt humores noſtri naturales, tam utiles, quàm inutiles & excrementitii. Effluentia verò ſeu exhalantia contenta, ſunt halitus tùm ſicci, tùm humidi, hi vapores dicti, alii fumi. *Humores.* *Halitus.*

Fumida illa exhalatio, quùm ſit ab arido fumus expreſſus, calida, ſicca, levis & ſubtilis, ſemper in altum fertur, ſulphureæ & igneæ naturæ propinqua, ut quæ facilè ardeat, & flammam concipiat, atque ſic incendat & urat. Contrà vapor aut fluxus humidus, cùm naturæ ſit raræ, mercurialis, & aqueæ, ſi ab externa caliditate, frigida ſua qualitate ſpoliatus in aërem efferatur, & ibi frigore concreſcat, priſtinam ſuam naturam recipere cogitur, ita ut ſcilicet in aquæ naturam convertatur & redeat.

Ut autem in majore mundo videre eſt, ejuſmodi vapores & exhalationes, ſolis calore & aſtrorum influxu: nec non propria ac interna terræ caliditate excitatos, materiã tam diverſis ac ſtupendis meteoris ac corporibus imperfectè mixtis ſufficere, tùm in aërea regione, tùm in ipſis terræ penetralibus: præſertim ex vaporibus mercurialibus, frigidis, humidis, & naturæ aqueæ, nubes & pluvias, grandines, nives, gelu & ventos generari. At ex ſulphureis & calidis ſiccis, coruſcationes, *Meteora Macrocoſmi.*

toni-

tonitrua, preſteres, fulmina, & id genus alia ardentia meteora effingi. Sic in minore mundo, hoc eſt, humano corpore, ſimiles & iidem vapores ac exhalationes materiam multis & diverſis meteoris efformandis ſuppeditant. Unde tot ac tàm varia morborũ genera, eaq́; ſtupenda, modò mercurialia, frigida & humida: modò ſulphurea, calida & ſicca, non forma quidem & accidente, ſed ſubſtantia, hoc eſt, virtute eſſentiali talia, tum in inferiore ventre, tum ſuperiore (hoc eſt, in capite & cerebro) partibus utiq; terræ penetralibus, & aëris regioni correſpondentibus, prorumpere palàm eſt.

Microcoſmi.

Etſi autem hujuſmodi vapores & exhalationes, necnon ex illis prodeuntes ſtupendi morbi & ſymptomata, phyſicis quibuſdã rationibus nitantur: ejuſmodi tamen morborũ cauſæ intellectus noſtri captũ plerunq; longè ſuperant (ut paulò antè diximus, cùm de apoplexia loqueremur) altiusq́; repetendæ ſunt origines, utpote quæ abditæ ſunt & divinæ. Atq; hîc agnoſcenda mẽtis noſtræ imbecillitas, ut omnipotentiam, providentiam, ac ſapientiam Dei ſuſpiciamus, ac admiremur. Is enim ſubinde modò pluvias, modò tẽpeſtates immittit: modò ejus generis morbos, atq; adeò ſtupendos, omnemq́; curam reſpuentes excitat, ut eorum cauſæ, nos, etſi magna & ſtudio-

τὸ θεῖόν τι morbis ejuſmodi aſtralibus ſubeſt.

Digitized by Google

ſtudioſa indagine illas rimantes, prorſus fugiant aut lateant. Quod teſtatur ipſe Jehovah, cùm ſic loquitur: Si in decretis meis, inquit, deambulaveritis, dabo vobis pluviam ſuo tempore. Si autem non audiveritis me, conſtituã ſuper vos febrem, tabem, peſtilentiam & ſcabiem, quæ non poſſit curari, ac dabo cœlum ſicut ferrum, & terram ſicut æs.

Attamen ſi citra tàm altum volatum, phyſicis rationibus inquirendis acquieſcimus, & naturam ſubſtantiarum ſpiritualium, hoc eſt, impetũ facientium, & earũ, quæ humectant, illarumq;, quæ effluunt, excutiamus: quę quidem in corpore noſtro latitant: & tàm boni, quàm mali radices in eo conſtituunt: earum utiq; interna potiùs, quàm externa, juxta vulgi moré, ſuſcipienda erit anatomia. Ad quam, quod jam tractatu noſtro, *de ſignaturis internis rerum*, abundè ſcripſimus, haud parvã lucem afferet, nec non etiã vini exemplũ, quod anatomicè diſſecuimus: & ſanguinis noſtri ſub vino etiam diſſecti, ob magnam utriuſq; analogiam inter ſe, rem non parum enucleabit. Ut enim vegetativũ ab animali ſumptum, varia concoctione in ſenſitivum commutatur, ut videre eſt in pane & vino, quæ in ſanguinem convertuntur, ſanguis verò in ſemen, ex quo generatur homo. Haud ſecus mineralis liquor, radicibus plantarum & vege-

Vitalis mineralũ morbificarum anatomia.

vegetabilium exceptus, & abſorptus, vegetabilis redditur, qui tandem in hominem tranſeunt, iſtiuſmodi animalibus veſcentem: ita ut pro ratione liquoris, ſulphuris & ſalis mineralis, vel morbi mercuriales, vel ſulphurei vel ſalini effloreſcant. Atq; ſic in homine videre licet ſales ſaccharinos nutrientes, ſales nitroſos, amaros, acutos, purgantes ac mundificantes: alios marinos, inſtar balſami conſervantes: alios gemmeos: alios aluminoſos, ponticos & adſtringentes: alios deniq; vitriolatos, acidos, eſurinos, appetitũ & concoctionem excitantes. In eodem humano corpore variæ præterea reperiuntur aliorum liquorum ſpecies: quorum alii dulces ſunt: alii amari, ſalſi, adſtringentes, pontici, acidi, & id genus alii, juxta variam ſui mixtionem & quantitatem. Reperiuntur porrò in eodem corpore tot bituminum, naphtarum, pinguedinum, reſinarum, gummi, lachrymarũ, atq; id genus aliorum ſulphurum ſpecies, quot ſuperiorum liquorum aut ſalium. Ex quibus ſulphuribus, alia odorifera & fragrantia, eaque recreantia: alia fœtida & inficientia: alia papaverina ac ſoporifera: alia anodyna ac lenientia: alia ſeptica & arſenicalia ac peſtifera: alia vitalia & ſalutaria. Ad quarum rerum accuratam diſcuſſionem plus temporis requiratur, quàm ferat tractatus ratio.

Salia.

Sulphura.

Atque

Atque ex his liquet, quomodo ſpiritus omnes noſtri, ſive puri & ætherei, ſive impuri, venis & arteriis corporis contineantur: omnesq; corporis noſtri liquores, ſive utiles & nutritioni idonei, ſive inutiles & excrementitii, ibidem inhæreant: ex quibus exhalationes omnes, & vapores ſicci & humidi proficiſcantur: qui in eodem corpore unà cum reliquis contineantur, & ſæpè ipſum torqueant. Quomodo deniq; ejuſmodi ſubſtantiæ ſalinam, ſulphuream & mercurialem naturam poſſideant, metallicam proinde & vegetabilem: quarum aliæ dulciores & benigniores, naturæq; noſtræ magis familiares in hepate convertantur in ſanguinem: cujus ſincerior & purior pars, per venas in dextrum cordis ſinum delata, ibiq; ſubtilior reddita, & in eſſentiam quintam calore cordis vivifico circulata, per totum corpus. ad omnia membra nutrienda, per arterias diffundatur: nec non in cerebro ſubtilior, ac cœleſtior reddita, ſenſibus omnibus ac intellectui etiam proſit. Aliæ verò impuriores & excrementitiæ ſuis locis peculiariter ſerventur, dum per emunctoria propria, purgando corpori deſtinata, abigantur: utpote aliæ, per halituoſas tranſpirationes: aliæ per ſudores: aliæ craſſiores & ſordidiores, cuti adhærendo: cum quibus ſimul & aliquid ſpirituum noſtrorum, & calo-

Sequeſtratio puri ab impuro.

D ris

ris innati exhalat & evaneſcit: nec non aliquid radicalis humoris, & vitæ noſtræ nectaris pretioſiſſimi. Hæc quidem evaporatio aut reſolutio, ſi ſenſim & lentè, ac leni velut igne Balnei maris à natura fiat, ad ſenilem uſq; ætatem tandem facilè decurrimus. Si contrà præcipitanter & ab æſtuante velut calore ac febrili, ardoreq; colliquante: nec non motibus corporis violentis, ac animi perturbationibus, & affectuum dolorumq; vehementia exprimatur ejuſmodi exhalatio & diſſolutio: hinc lipothymiæ, ſeu animi deliquia & ſyncopæ, ſymptomata morti quàm proxima conſequuntur.

Scaturigo morborum. At ſi quotidianæ ejuſmodi exhalationes excrementitiæ in corpore retineantur & coërceantur, quò minus expirent, aut ab ipſa corporis cacochymia, aut à temperamento vitioſo, aut ab ætate debiliore, aut à tempore & regione frigidiore, aut ab obſtruente victus ratione: hæc ſexcentorum morborum in corpore procreandorum anſam & materiam præbent.

Interceptio etiam generalis illius & ſecreti aëris corporis noſtri, nec non ambientis, quò minus liberè inſpiret & expiret (quæ operatio naturæ virtuti propria eſt, nunquam non ejuſmodi functiones per cordis & arteriarum motum exercens) hoc, inquam, aëris impe-

impedimentum, vel à duriori cute, nec ſatis perſpirabili, vel ab aëris ambientis frigidiore intemperie, aut ab alia ejuſmodi cauſa allatum, multis variiſque morborum graviſſimorum generibus excitandis radices & fomenta præbet. Quod idem præſtant & vaſorum nimia plenitudo, & fœces ac tartara humorum, dum vaſa opplent & obſtruunt, hacq; ratione Eurippos, hoc eſt, fluxum ac refluxum quotidianum ſpirituum remorantur ac interpellant: unde varii halitus & fumi excitantur, corrumpuntur, incenduntur: qui internas variorum affectuum & gravium ſymptomatum cauſas ſuſcitant: febrium ſcilicet, inflammationum internarum, cachexiæ, cardialgiæ, hyſtericæ ac ſoporiferæ affectionis, & aliorum infinitorum id genus. Obſervandum eſt autem & notandum, quotquot vapores, fumi, halitus, fuligines quotidie in corpore noſtro generantur, & ex quibus evaporationum ac exhalationum generibus tot ac tàm varia, perinde ac in majore mundo, meteora in nobis, ſive frigida, ſive calida & ignea, humida vel ſicca excitantur, ſuccorum ac ſubſtantiarum mercurialium, ſulphurearum & ſalinarum naturam redolere ac participare: à quibus etiam prodeunt & exhalant, ut ſubjectæ ſubſtantiæ ſimilem eſſe

defluxum oporteat. Modeſtiores enim, benigniores ac utiliores vapores nunquam non à mercuriis aut liquoribus bonis & laudabilibus proficiſcuntur, ut à ſanguine ſincero, qui ab omni ſuperfluo ac corrupto humore, crudo aut retorrido, acri aut ſalſo purus ſit & defœcatus: benignoq́; ac naturalis balnei noſtri leni igne ſit probè concoctus & dulcoratus.

Atq; his aut hujuſcemodi dulcibus & benignis vaporibus, ut & aliis optimi nutrimenti, ejuſdem caloris naturalis beneficio excitatis, perfuſum & imbutum cerebrum, nec non referti nervi: condenſatis utcunq; in illis partibus ejuſmodi vaporibus animales ſpiritus, antea vigiles & mobiles, ſubſidere incipiunt, & quodammodo aggravari, membra antea labore agitata quieſcere, & motum ac ſenſum paulatim deponere, ſuavi ſcilicet & placidiſſimo obrepente ſomno & quiete: dulcibus etiam & gratiſſimis perfuſa inſomniis.

Generatio ſomni.

At contrà, ſi vapores ex liquoribus mercurialibus, iiſq́; incoctis, crudis aut malignis humoribus exhalaverint, inde moleſtior ſomnus & gravior futurus eſt, nivoſis inſomniis, glacialibus, & diluvia effigiantibus, ſtipatus. Quæ quidem temperamento pituitoſo & phlegmatico, ac mercurialibus humiditatibus referto, propria ſunt. Bilioſorum verò

Cauſa diverſitatis inſomniorum.

verò vapores, aut eorum, qui calidiore ſunt ſanguine, aut nitro ſulphureo præditi, breviores in cerebro ſomnos conciliabunt: quorum ſomnia ſeu phantaſmata, ac evanida rerum ſimulachra, nihil præter incendia, coruſcationes, bella, furores, repræſentant. Sicut etiam melancholicorum halitus, nil niſi moleſtiſſimos ſomnos inducent, & in ſomniis deſerta, cœmiteria, ſepulchra, pavores, terrores, ſuſpiria, lachrymas, & id genus alia exhibebunt.

Atq; hi ſunt vaporum & exhalationum effectus, qui pro varia hominum natura & temperamentis varii etiam produci ſolent. Qui verò vapores caloris exceſſu & vehementia, ex ſanguine, aut vitioſis & excrementitiis, ac non naturalibus, ſed alienis humoribus procreantur: ii non in cerebro tantùm, ſed aliis etiam partibus, longè alios effectus, ſiniſtros nempe & morbificos proferunt: præſertim ſi diutiùs in corpore retineantur, & ab eo exhalare, reſolvi, aut diſſipari per meatus, & occultos corporis ductus nequaquam poſſint.

Iſta de primis exhalationum generibus & differentiis, qui mercuriales ſunt liquores in corpore humano, dicta ſint. Illi enim primi omnium expirant, ut in artificioſis diſtillationibus videre eſt. Hos ſequantur calidio-

res & ſicciores, ac ſpiritualiores fumi, ſeu aquæ vitæ, ac benignioris ac ſuavioris ſulphuris ſanguinis noſtri naturam redolentes: quique per temperatum caloris gradum è ſanguine exhalantes, optimum & gratiſſimum ſpiritibus noſtris alimentum erogant. Qui ſi ab extraneo & vehementiore calore, ſive externo, ut à violentiore motu: ſive interno, utpote aliqua calidiore intemperie, aut ardore febrili, hujuſmodi fumi pellantur & urgeantur: ii acriores redditi, & aridiores, nec non incendio concipiendo adaptati, vigilias, deliria, & inquieta ſomnia inducunt: idq; juxta eam naturam & qualitatem variam, quam ex diverſis calorum gradibus, ex variis hominum temperamentis, & humorum proprietatibus poſſident: ſive etiam mercuriales, ſive ſulphurei, ſive tartarei ii ſint fumi, qui evaporant. Horum enim alii acriores & mordicantiores, alii minùs, alii tenuiores & ſpirituoſiores, alii craſſiores & denſiores: qui, juxta variam illam ſuam conditionem, varios affectus in corpore ſuſcitant.

Exhal. ſulphur. effectus.

Halitus aquoſi & mercuriales denſiores ſunt & minùs ſpirituoſi fumis calidis & ventoſis, quòd hi de ſulphure viſcoſo & glutinoſo ſanguinis noſtri magis participent. Qui autem per ſecundum caloris gradum ex temperato & laudabili ſanguine, exeunt fumi aut hali-

halitus, ii quiddam commune & affine habent cum ſubtili & vitali arteriarum noſtrarum ſanguine. At ſi ex corrupto ſanguine & calidiore exurgunt hi vapores: quùm plus, quàm par eſt, incendio urgeantur, benigniores quidem & utiliores halitus evaneſcunt. Alii nitroſulphuream & inflammabilem naturam induentes, in cordis ſinus delati, ſynochum invaleſcentem aut decreſcentem ſuſcitant, prout ejuſmodi halitus minùs vel magis vitioſus: aut velocioris vel tardioris fuerit reſolutionis.

At quæ ex humoribus excrementitiis exhalationes, utpote ex fœcibus & tartaro corporis noſtri emergunt, & violentiore impetu extruduntur, pro natura ſui generis diverſa, diverſas quoq; morborum & ſymptomatum ſpecies inducunt.

Caput VI.

De natura & diff. fuliginum, earumq́; valida atq; efficaci ad generat. morborum agendi poteſtate.

DE quarta & ultima evaporationis ſpecie reſtat nunc dicere, quæ fuligines ſunt, quibus aptiùs ſublimationis nomē congruit: quod ſiccæ & aridæ exhalationes efferantur: ut evaporationis nomen mercurialibus hali-

tibus, vaporibus & fumis rectè tribuatur: quòd, cùm naturæ ſint liquidioris, minore negotio evaporare etiam poſſint. At fuligines, mercuriali prorſus humore, & unctuoſo liquore ferè deſtitutæ, ſalinam potius naturam, eamq. volatilem, craſſiorisq;, denſioris ac fœtidioris ſulphuris materiam partim poſſident: partim verò viſcoſam quandam exhalationem, quæ huic tantùm ſublimati ſpeciei, quæ fuligo dicitur, producendæ gluten ſuppeditat. Quæ quidem fuligines, quùm liquore omni nutriente, recreante, necnon anodyno, & familiari noſtræ naturæ, prorſus ſpoliatæ ſint: præterquam ſeminaria & radices vitiorum, in corpore noſtro nihil procreant.

Natura fuliginum.

Different.

Inter eas tamen hæc ſtatuitur differentia, ut aliæ aliis ſint periculoſiores, & pro humoris & materiæ, vel ſulphureæ vel tartareæ, naturalis, aut non naturalis conditione, magis vel minùs incommodi & detrimenti inferant. Ignis autem gradus, quo ejuſmodi fuligines præparantur, quartus ſit oportet, hoc eſt, violentiſſimus, ut qui ſpiritus omnes humidos & mercuriales, nec non ſubtiliora corporum ſulphura abſumpſerit & exhauſerit. Sic enim videre eſt, ex quovis ligno fuligines fieri, abſorpto videlicet, priùs ab igne, mercuriali & ferè oleoſo humore omni.

Inter iſtas autem fuligines (ut quotidiana con-

conſtat experientia) aliæ ſunt ſubtiliores, aliæ verò craſſiores & denſiores. Aliæ ſalinam magis naturam & ſubſtantiam poſſident, unde acriores redduntur: aliæ ſulphureã, quę flammæ concipiendæ aptiores ſunt. Ejuſmodi varietas cernitur in ligno quercino & abietino. Quernum enim & faginum, de natura ſalina magis participant: Abiegnũ verò de ſulphurea. Quòd ſi in majore mundo hoc fieri conſpicimus, certum eſt, & in microcoſmo idem præſtari, quùm in eo & querna, fagina, & abiegna ligna, potentia & ſubſtãtia deliteſcãt, non forma: quæ immoderato noſtro calore, tandem in actum erumpunt, ut diverſas fuligines etiã excitent: variiſq; in locis ſeſe ſublimantes, & variis membris adhærentes, ac ſeſe agglutinantes, unde varia morborum genera emergunt: quales ſunt melancholiæ, maniæ, præſertim cùm in aëream regionem microcoſmi, hoc eſt, cerebrum evehuntur: ubi microcoſmica ejuſmodi meteora generantur, ardentia & ignea, ut in majore mundo coruſcationes, fulmina, fulgura, varii cometæ, & id genus alia ex propriis exhalationibus procreantur. Si autem ejuſmodi fuligines vim habeant & naturam napelloſam, aconitalem, auripigmentalem aut arſenicalem, in interna capitis parte, ſi evehantur, morbos peſtilentiales ibi producent, ſi in exteriori aliqua alia

Effectus fulig.

D 5 par-

parte, anthraces, carbunculos. At ſi membranis pectoris ſublimatæ adhæſerint, eam pleuritidis ſpeciem inducent, quæ nō ſit vulgaris, ex defluxione ſanguinis in eas partes orta: ſed peſtilentialis. Aut ſi in inferiores partes corporis, vi & robore naturæ, cum excrementis protrudantur, eam in inteſtinis dyſenteriæ ſpeciē progignent, quæ peſtilentialis eſt, non alia ratione ipſum inteſtinum exulcerantes, & venenoſam ac ſphaceloſam prorſus qualitatem inurentes, quàm ſi ſepticum aut cauſticum medicamentum affixum eſſet. Nō quòd illæ fuligines, citra alias ſanguinis ſubſtantias, qualitatis hujus alienæ & malignæ ſolæ ſint participes, concurrunt enim tùm mercuriales, tùm ſulphureæ malignæ impuritates, quæ morbum augent, longè deteriorem reddunt, aut etiam multiplicant. Quemadmodum in peſtilenti cōſtitutione peſtiferum venenum, aut arſenicale ſulphur accenſum, non unum tantùm cor impetit: ſed per totum corpus virus ſuum febremq; peſtilentē diffundit: cujus effervefcētia & malignitate aliæ duæ ſubſtantiæ in ſanguine contentæ, ſal nempe & mercurialis liquor, exardeſcunt, commoventur ſimul & inquinantur: ac inquinatæ virus etiam ſuum particulatim exerunt. Ex mercurialibus enim humoribus inquinatis, expurgatienemque ſui per emunctoria molientibus,

bus, oriuntur in adenis emunctoriorum & glandibus tumores, bubones & apoſtemata peſtifera. A fuliginibus verò & ſpiritibus ſalium ſepticis, prout variis in locis hærent, carbunculi & anthraces varii peſtilentes, ubiq; efflorescunt. Cùm enim eæ fuligines ſint, vel etiam arſenicales, non ſolùm naturam ſalis, ejusq; acerrimi: ſed arſenicalis etiam obtinent, ut non eſcharam minorem aut mitiorem inducant, quàm ſi cauſticum aut ſepticum aliquod arſenicale violentiſſimum cuti affixum eſſet.

CAPUT VII.

Quæ ſint morborum radices, & quo pacto ſignaturas ſuas in corpore humano explicent, clarius oſtenditur.

ATQUE hæ ſunt diverſæ exhalationum aut evaporationum ſubſtantiæ: quas ſanguis noſter, aliiq́ue ſucci, aut humores in corpore noſtro contenti, poſſident: & ex quibus in eo, varia morborum genera originem habent, cùm extra temperamenti ſui cancellos evagantur & excurrunt. Neque ideò morborum cauſæ dicuntur, quòd tantùm ſint vapores ſimplices, halitus, fumi & fuligines, aëreæ & ſpirituoſæ naturæ, aut calidæ, frigidæ, humidæ & ſiccæ qualitatis:

quod

Impreſſion. exhalatio- num poten- tes ſunt mor- borum radi- ces.

quod parum,&exigui eſt momenti:ſed quòd ſpiritibus flatuoſis, impetuoſis, turbulentis, ſalſuginoſis, pōticis, acribus,acidis,mordacibus & virulentis,ſulphureis,nitroſis,fœtidis, narcoticis, peſtiferis, arſenicalibus, antimoniacis, & id genus aliis turgeant: qui ex variis noſtri corporis liquoribus, ſulphuribus, ſalibus,fæcibus,tartaris exhalant & expirant:unde tot morbi & ſymptomata,ſive proprio caloris naturalis motu & operatione: ſive præternaturalis, aut alia quavis abdita ratione id fiat, excitantur & invaleſcunt.

Nolim tamen omnes omnium morborum cauſas in genere ad ejuſmodi exhalationes & evaporationes revocare: bonā tamen earum partem illuc referre auſim. Uſq; adeò potentes &admirandi ſunt effectus ac varii ſpirituū illorum, quùm ſubjectum proprium & congruum nanciſcuntur. Quod facilè ſexcentis exemplis confirmare, & reipſa comprobare poſſemus,ni brevitati ſtuderemus. Concedo quin etiam, multos affectus ab intemperie ſimplici, & cum humore conjuncta, ſive pituitoſo, ſive bilioſo & melancholico, aut ſolis, aut mixtis: naturalibus aut non naturalibus, proficiſci. Naturales voco, qui in maſſa ſanguinis continentur: quiq; in verum ſanguinem, in pituitoſum, bilioſum & melancholicum diſtinguuntur: quos Hermetici qua-

qualitatibus frigidis, calidis, humidis, ſiccis non diſcriminant: ſed quatenus in eo ſanguine mercuriales, ſulphureæ, & ſalinæ ſubſtantiæ continentur, quarum ratione ſanguinis partium aut contentorum fit diſtinctio, ſicut in lacte videre eſt, in quo ſeroſa portio mercuriali liquori, butyroſa ſulphureæ ſubſtantiæ: caſeoſa verò & ſolidiſſima pars ſalinæ aut tartareæ reſpondet.

Hermetica humorum anatome.

Jam de ſanguinis & vini collatione exemplum ſuprà attulimus: quo, quanta ſit inter ea analogia, proportio & affinitas, ſatis ſuperq́; luculentis rationibus oſtendimus. Ut enim vinum clareſcit ac defœcatur in ſuis vaſculis: ſic ſanguis noſter in ſuis venis contẽtus, ſedimenta ſua deponit & exuit. Ex vino, lento calore, aqua vitæ elicitur: ſic ex ſanguine, lento & naturali cordis calore extillatur, fitq́; aqua vitæ, nempe ſpiritus vitalis: ex quo animalis ſpiritus ſumit originẽ, quiq́; circulatione per balneum maris naturale cerebri perficitur, non ſecus, ac ex aqua vitæ ſpiritus vini artificioſo maris balneo prolicitur, qui longè aquâ vitæ ſubtilior & ſpirituoſior eſt, ut cujus gutta effuſa citiùs in auram evaneſcat, quàm in terram delabatur. Sic ſpiritus animalis ſubtilitate vitalem, in arteriis contentum, longè ſuperat & excellit. Quùm autem ejuſmodi tentamus extractiones, ſpirituum videlicet vini:

Specialis ſang. anatomia.

vini: quæ anima eſt illius, magnã phlegmatis copiam, eamq; invalidam, & nullius virtutis, licet conſpicere, quæ ſubſidit in imo, poſt ſpirituum extillationem. Sic in ſanguine, præter illum ſpiritũ aut aquam vitæ naturę humanæ, comperitur etiã magna phlegmatis quantitas, humoris videlicet pituitoſi, prorſus itidẽ inutilis. Pręterea in vino, præter phlegma deſtillatione eductũ, fæx quædã flava aut rubra conſpicitur, ſulphuris & ſalis nitri plena, mediocriter volatilis: quod idem in ſanguine deprehẽditur, ſi deſtillatione tentetur: idq; eſt, quod bili, quam à ſanguine natura ſeparat, aptè comparari poteſt: cùm utraq; fæx prorſus nitroſulphureæ ſubſtantiæ ſit. Si integrã vini Anatomiã compleas, licebit tibi præterea copioſam ejus fœcem liquidã intueri: ex qua acetũ fiat ab artifice, quod naturalẽ melancholiam acidã & ponticam aptiſſimè refert, quæ in ſanguine ſubſidit: & ex qua materia natura acetum ſuum exprimit & elaborat, humorem ſcilicet melancholicum. Porrò, poſt aceti in formam liquidam extractionẽ, remanet quędã fæx aut tartarus, uſq; adeò acer, niger & ardens, ex ſaliũ vitriolatorum copia, quam continent, ut ex tantilla illius in aquã inſperſione ea promptè tota acetata reddatur. Quod etiã in ſanguinis anatomia obſervare licet, ex utriuſq; analogia: ſiquidem ejuſmodi aceti fæx

Ichor ſang.

Bilis ſang.

atræ

atræ bili,quã vocant,& aduſtæ reſpondet: nõ quòd ea talis ex aduſtione evadat, ut pleriq; ſcribunt:ſed ex mercurialiũ & ſulphurearum ſubſtantiarum ſeparationibus: quarum commixtione ſales antea in ſuo ſtatu & officio tẽperati continebantur: qui ſoli ex ſeparatione relicti,ſeſe ipſos exacuunt & efferunt.Magna eſt ejuſmodi vitriolatorũ ſaliũ copia in multis vegetabilibus,quibus nutrimur,& ex quibus elaboratur ſanguis:ſed præſertim in vino:cujus mater, ſcilicet,vitis plus,quàm vegetabile ullũ aliud, metallicos terræ ſpiritus haurit & depaſcit.Hinc fertur bacchus amare colles & petroſa loca, iiſq; delectari: quod multis aliis vegetabilibus nõ contingit, quinimò ex vino ipſo ſi phlegma detrahas,&in igne etiam violentiſſimo coquas & recoquas, nunquã tamẽ ipſum ad eam ſalſuginoſam naturam adducas, niſi quid ſalis fortè in ſe retinuerit,quod, liquido humore evaporato,reliquum corpus acrius reddat, & mordacius ſit. Phlegmata aut humores noſtri nihil per ſe continent aduſtione ſalſuginoſi. Nemo enim tenetur dare, quod non habet: nec qualitas ſubſtantiã generat, ut alibi diximus. Cæterùm tartareas fœces, omni humore ſpoliatas,acetarius lucri cupidus, vi ignis calcinat, cineresq; ſuos (qui cendres gravellies Gallis dicuntur) præparat, idque in remoto ſeceſſu, ne videlicet *Melancholia.*

vicina

vicina loca aut urbes fœtore tetro inficiat, fœcibus ejuſmodi uſq; adeò impuro & putido ſulphure ſcatentibus. Ex his cineribus fit ſal tartari, fit ex ſale oleum, fiuntq́; lixinia, ſapones varii, variis rebus extergendis apti utilesq́;. Eadem operatio etiam fit in ſanguine, in cujus ultimis & aridioribus hypoſtaſibus exhalant, vel mediocri etiam igne, uſq; adeò fœtentia & exitialia ſulphura, ut vel integræ regioni inficiendæ ſatis ſint, ſi tanta earũ copia ſuppeteret, quanta vini fœcum habetur. Ut autem in fœcibus vini ejuſmodi ſulphura & ſalia reperiuntur: ſic in pomatio, pyratio, cerevíſia, & id genus aliis potulentis & eſculentis ſimilia inſunt: quibus cùm veſcamur, & ex iis ſanguis noſter elaboretur: ſimilibus quoq; is potitur & inficitur: ſiquidem nullæ non fœces & tartarea excrementa craſſiora iiſdem ſubſtantiis mercurialibus ſulphureis & ſalinis ſcatent: quæ non, niſi vino defœcato ſeparatæ, cerni poſſunt: Atq; hujuſmodi ſubſtantiæ humoribus pituitoſis, bilioſis & melancholicis, iisq́; præternaturalibus comparantur, quæ ſeorſum à ſanguinis maſſa ſubſidunt. Harum pituita, nunc dulcis vel ſalſa, liquori dulci aut ſalſo comparatur: Bilis nitroſulphurea ſulphuri nitroſo reſpõdet. Melancholia acetoſarum & ponticarum qualitatum prædita ſalis vitriolati & aluminoſi naturam

turam refert. Quę quidem ſunt inſtar ignium terreſtriũ, ſulphureis, aëreis & æthereis ignibus ita oppoſitorum, ut aqua vitæ nulla arte extrahi poſſit. At ſi quid primò ex eo proliciтur, illud propè inſipidum phlegma eſt, à quo corrigitur, & velut coërcetur. Cujus conſortio ſi fuerit privatum, eam acrimoniæ violentiam adipiſcitur, ut ſaxa, nec non ipſa metalla vel denſiſſima & ſolidiſſima perfringere ac erodere valeat. A ſimili ratiocinandum eſt, humorem videlicet melancholicum, à proprio phlegmate ſpoliatum, eam acerbitatis & acrimoniæ vim contrahere, ut deſinat cenſeri ampliùs naturalis, ac præter, imò contra naturam haberi: ut quæ omnium acerbiſſima, graviſſima & exitialiſſima in corpore humano ſymptomata inducat. Siquidem aquæ fortis, ex vitriolo, alumine & nitro conflatæ, naturam redolet: cujus etiam effectus imitatur. Siquidem ea modò orexes, modò caninam famem aut rabiem excitat, cum ea in ventriculo congeſta furit & inſultat: modò melancholiam illam, quam ex hypochondriorum ardore, ſublimato illo humore, hypochondriacam vocant: unde ex menyngum & pericranii, ab illo humore, invaſione, mens perturbatur & delirat: modò per anarrhopen ſurſum ſublatus humor: modò per catarrhopen deorſum, varia, eaq; prodigioſa & ſtupen-

Liquore ſeparato tartari ſeu ſalis malignitas pateſcit.

ſtupenda teſtimonia de ſe exhibet. Qui quidẽ effectus ſiccitati, humiditati, frigiditati aut caliditati humorum non ſunt arrogandi: ſed cauſis illis omnibus, ad quas ſupra ejuſmodi affectus revocavimus, ut ab exemplis propoſitis cognoſci poteſt. Ita ut hinc inferã (quod pace magni illius Galeni, celebriumq; ejus ſectatorum dictum ſit) iniquè humorẽ hunc melancholicum cum fœce vini & amurca olei conferri, cujus receptaculum ſplen conſtituatur. Siquidem hujuſmodi humor nunquã in liene ſeorſim deprehenſus eſt: quùm nullum in liene à natura proprium deſtinatum ſit iſtius humoris phylacæum, quale bili in fellea cyſtide ad jecur deſignatum eſt: ut ejus opera in jejunum inteſtinum exundantis, tanquam ab aloë provocata expultrix facultas, aut à rhabarbaro cholagogo, corpus humanum vitioſis humoribus & craſſioribus excrementis quotidie repurget. At non ſic ſpleni conſultum eſt: in quo quidem, etſi acetum ſanguinis naturæ liquidæ, non autem terreſtris (quod de melancholia naturali dictum velim) ingeneretur: nuſpiam tamen craſſum & fœculentum quid aliquam illius partem propriam occupat: quin per totum ejus ſpongioſum corpus diffunditur, ut ſic corpus ejus, hoc humore acido & acri perfuſum, tanquam fermento, in raram & ſpongio-

Gal. 3. de l. aff. c. 7. & de nat. fac. c. 9. 2. de tem. ca. 3. 14. meth. m. cap. 9.

Lien non eſt fœcis melanch. emũctorium.

gio-

gioſam naturam attollatur: ut in pane videmus fieri, qui fermento maceratus attenuatur, ac levior ac ſpongioſior redditur, quum ſecus futurus eſſet gravis, denſus & ponderoſus, ſi eo deſtitueretur. Ut autem acetum vini non, niſi poſt deperditum, aut ſeparatum ſpiritum (quæ volatilior eſt & ſulphurea atque mercurialis vini eſſentia) fieri poteſt: quod idcircò aceſcit, eò quòd ſalem ſolùm armoniacum, volatilẽ & acrem, nec non vitriolatum retinuerit: quem ſibi ſemper habet latenter conjunctum, à quo qualitatem & vim obtinet longè aliã, quàm frigidam & ſiccam, ſed modò dirimentẽ & reſolventẽ potiùs ea, quæ duriora, & fixioris ac ſolidioris ſunt ſubſtantiæ: modò coagulantem, quæ mollioris & magis ſpiritualis ſunt corporis, ut alibi apertè demonſtravimus. Sic etiam humorem melancholicũ in corpore noſtro diſſipata priùs dulciori & ſuaviori eſſentia, aceſcere certum eſt: & eaſdem facultates, quas acetũ, non frigidas & ſiccas, ſed longè potẽtiores à ſale ſuo obtinere, & in actum tandem producere. Omnis autẽ melancholicus humor, quatenus humor eſt, craſſum quid aut terreſtre dici nõ poteſt. Fluidæ enim & liquidæ naturæ eſſe neceſſe eſt: nec à terrea natura, calcinatione & aduſtione, acrimoniam, quam in ea deſcribimus, nigredinem, acredinem, fermen-

De ſign. rerum intern.

Natura humor. melanch.

tationem aſſequitur: ſed à mixtione ſalis cujuſdam armoniaci, volatilis, ſubtilis atque acris acidivé ac vitriolati, quem in ſe ſolutum continet, quiq; eſurinus & provocando appetitui condimenti loco eſt: & ignis naturæ admirandæ proprietatis concoquentis, digerentis, devorantis, abſumentis, aliaſq; id genus functiones obeuntis intra momentum temporis, quas nullus alius ignis, ſola caloris qualitate & vi, vel intra longũ temporis ſpatium præſtandi vim habeat.

Vſus ejus.

Tantùm itaq; abeſt, ut hujuſmodi melancholia, fœx & amurca dici debeat, omniumq; humorum craſſiſſima ac maximè terreſtris, qualis nobis depingitur (citra tamen experimentum, quo talem in liene deprehendi cõſtet (ut contrà bilis in cyſtide fellea, ad cavum jecoris, receptaculũ ſuum & ſedem habens, longè craſſior humor cenſeri debeat, utpote ſulphuris nitroſi habitum retinens, tartarei, oleaginoſi, viſcoſi & denſiſſimi, ut quæ non tantùm externo ignis calore promptè condenſatur: ſed immodica etiam caloris hepatis intèmperie, coagulatur & induratur tota fermè in tartaream conſiſtentiam, ſilices & nigros lapillos referentem. Quod ex melancholia, in liene comprehenſa, fieri, nullo experimento comprobatur: qui tamen lien, ſi interdum obſtructionibus ſcateat, unde ſcirrhi

rhi naſcantur: nequaquam humori melancholico ſimpliciter hujus rei cauſa tribuenda eſt, ſed variis aliis impuritatũ & tartareorum aliorum humorum mixtionibus: ex quibus in hepate etiam, aliisq; viſceribus, hujuſmodi ſcirrhi generantur. Sed jam plus æquo in altum mare vela expandimus: illa contrahendi nunc tempus eſt, & receptui canendũ. Veruntamen ita neceſſe fuit, hæc à nobis priùs diligenter excuti, & fuſiore oratione explicari, quòd meliùs intelligatur, quid inter Hermeticos & dogmaticos ſit diſcriminis, in natura partium examinanda, & cauſis epilepſiæ, vertiginis, apoplexiæ, & paralyſis tradendis. Atq; etiam, ſi fieri poſſet, utramq; ſectam ut conciliaremus: aut ſi conſenſum ubiq; integrum non licet elicere, ſaltem bona fide, quæ in hoc argumentum ab utraq; parte rationes afferuntur, referremus. Atq; ſic doctioribus, nulla inclinatione obliqua, ſed recto judicio ductis, anſam præberemus, utra ſanior fuerit opinio, rectam ſententiam pronunciandi: quò omnia in utilitatem Reipub. medicæ cedant & convertantur.

Abundè jam, quùm dogmaticorum litem agitaremus, & eorum partes tueremur, ediſſeruimus, & docuimus ex vulgatiore eorum opinione, quì veræ epilepſiæ ſedes in cerebro poſita ſit, & quas cauſas morbi habeat, humo-

rem videlicet pituitoſum, craſſum & obſtruentem: qualem & apoplexia habere cauſam dicitur: à qua (ex Galeni ſententia, quam ex multis ejus ſcriptis probavimus,) epilepſia nec ſede nec cauſa differt, niſi ratione magis & minùs: utpote in apoplexia, materia in univerſum cerebri corpus obſtruente: in epilepſia verò, particulares quoſdam illius ventriculos tantùm occupante. Sed quænam ſit hac de re Hermeticorum ſententia, nunc nobis paucis explicandum eſt.

CAPUT VIII.

De ratione inveſtigandi fomites ſeminaria morborum Aſtralium, atq; adeò epilepſiæ diſceptatio Hermetica.

ATQUE ut ordiamur à parte affecta in epilepſia: quam Dogmatici, ut ſuprà, cerebrũ eſſe pronunciant. Hermetici contrà longè aliter, & de loci natura & proprietatibus ac peripateticorum plerique ſentiunt: qui mathematicas diſciplinas rebus naturalibus adaptare conantur. Apud Hermeticos enim, *Natura Elementorum.* Elementa, matrices, agri, ventriculi, mineræ, loca ſunt rerum non otioſa: ſed ſuis proprietatibus dotata, quæ vitam alimentumq; ſuppeditant, ſuis locatis & contentis, id eſt, ſeminibus,

nibus, ex quibus tandem fructus producant, quos in penetralibus reconditos aſſervant. Quot igitur in corpore humano ventriculi, quot foci, mineræ, matrices elementavé, ſeminum vitalium proprietatibus prædita: tot morborum quoq; ſunt loca. Et quæcunque ſemina ſanitatis vim continent, eadem & morborum radices ſibi inſitas quoque habent. Sanitatis enim & morbi idem eſſe ſubjectum, certiſſimum eſt, ita ut alterum ab altero, ex uno & eodem loco, juxta contrariorum legem ac diſciplinam pellatur & extrudatur. Et hæc eſt loci apud eos receptio, medicæ arti, ipſiq; curationi, accommodatiſſima. Differunt autem inter ſe loca, ſubtilitate, ſpiritualitate, craſſitie, coagulatione, vita & poteſtate.

Cæterùm, pro rerum differentia & cõjunctione, diverſitas erit in loco. Longè enim aliter in terra eſſe dicitur truncus carioſus & rancidus, lapis demortuus, vitaliq; ſpiritu deſtitutus: & longè aliter arbos, radicibus & fibris ſuis terræ infixa, & hauriens ab ea, tanquam matrice, ſuum alimentum. Longè ab his etiam dicetur eſſe mineralis quidam ſpiritus, in abyſſis terræ deliteſcens ad tempus digeſtum, unde anniverſariæ repullulationes novarum generationũ, & origines tranſplantationũ dependent. Sic & in corpore humano *Diff. locorum.*

differentias locorũ demonſtrant lapis in veſica vel renibus coagulatus: podagricorum tophi in articulis: ſed primariò in mucilaginibus, in quibus vigent ſpiritus & tincturæ ſalium.

Loca & matrices morborum investigandi ratio.

Cæterùm loca morborum, alia faciliùs per corporeos analogiſmos, ſenſuum beneficio, perquiruntur & cognoſcuntur: alia difficiliùs: facilè quidem ab actione læſa, ab excrementis, à doloris ſpecie & ſitu, à tumore, aliiſq; ſymptomatibus & ſignis, à morborum proprietatibus proficiſcentibus. Hac ratione cognoſcimus, ſpiritus arſenicales, corroſivos ſeſe in membranas, arterias, venas, muſculos pectoris inſinuaſſe, ibiq; pleuritidi peſtilenti materiam ſuppeditaſſe: quùm id nobis facilè appareat ex tuſſi, dolore pungente, viribus ſtatim proſtratis, ſputo cruento purulentoq;. Quemadmodum & in inteſtinis adeſſe ejuſmodi arſenicales ſales oſtenditur, ex peſtilenti dyſenteria, quam ſuſcitant: ex perpetuo teneſmo & egerendi cupiditate, illo ſale arſenicali ea loca erodente, vires confeſtim dejiciente, excrementa nigra, fœtida ac purulenta reddente, nec non dolores graviſſimos, pungentes & lancinantes inferente.

In aliis quibuſdam morbis, citra ſigna, eorum loca facilè deprehenduntur, quæ etiam ab ipſo ægro demonſtrari poſſunt. Cujuſmodi eſt

di eſt podagra, ſtrumæ, cancer, omnesq; alii ſub aſpectum cadentes affectus. Quamvis autem cancroſæ radices fructus ſuos quandoq; ad faciem, interdũ ad pectus, & ad mammillas protrudant: quòd ſanguine tenuiſſimo & ſalibus volatilibus refertæ illæ partes, ut plurimùm nutriantur. Aut quamvis ſtrumoſę reſolutiones ad collum evehantur, & ibi effloreſcant, quòd iſthic glandulas, venas, domeſticis mercurialibus liquoribus, aluminoſis & aronicis ſcatentes, ſuæ progenituræ opportunas, nanciſcantur. Deniq; quamvis podagricæ tincturæ, ad articulos, mucilaginoſos fructus ſuos propellant: nihilominus iſtorum morborum, licet etiam manifeſtorum, mineræ & radices ſenſum effugiunt, & occultæ manent. Et quamvis illorum maturi fructus percipiantur: exordia tamen itinerum & progreſſiones nequaquam perſpectæ ſunt: ſed penitus latent: ita ut & fontes ac origines ejuſmodi fructuum aliunde petendæ ſint, quàm ubi ſuos fructus, & eorum tincturas ac impreſſiones propagant.

Loca aſtralium morborum difficillimè inveſtigantur.

Morborum autem aſtralium ſive ſpiritualium loca difficillimè euceſcunt: ac longè alia ratione diſquirenda ſunt. Ejuſmodi enim morbi, unà cum vitalibus tincturis, toti in diſſolutionem diffluunt: non ſecus ac in meteoris, & ſuperioris globi generationibus vi-

dere eſt. Hujuſmodi quoq; in ſuperiore microcoſmi globo meteora generari certũ eſt, apoplexiam videlicet & epilepſiam veram: de quibus nunc nobis diſputandi locus occurrit. Illorum enim morborum loca ſunt occulta, quorum ſemina ſunt aſtralia & ſpiritualia, quæ fulminis inſtar uno momento, vitalia univerſi corporis elementa procellunt & ſyderant. At, epilepſiam & apoplexiam ſimilia eſſe in microcoſmo, conſtat, eſſe meteora. Ergo inferendum eſt, illarum loca eſſe ſpiritualia, nulloq; modo conſpicua. Siquidem aſtrales tincturæ, & ſpiritualia ſemina, nullis certis locis inhærent viſibilia, ut corpora. Ejuſmodi enim ſemina, ſive in cerebro, ſive in ventriculo, ſive toto pancreate, utero, menſtruo, ſanguinis maſſa, aut alia corporis parte, locata ſint, per analogiſmos dignoſci haud poſſunt. Læſarum quoq; partium conſideratio parum hîc facit. Ergo, corporearum ſedium loco, elementa perquirenda ſunt, in quibus ſpirituales tincturas, ſpirituali quâdam potentiâ & ratione inſitas deprehendere liceat, non ſicut lapis in renibus hæret, aut veſica, aut fuliginoſæ impuritates in viſceribus; ſed quemadmodum minerales ſpiritus in elementis potentiâ deliteſcunt, qui opportuno tempore effectus ſuos producunt.

Ratio.

Error Gal. Hinc colligere eſt, quàm hallucinetur Galenus,

Digitized by Google

lenus, cùm, ob functionis animalis depravationem, epilepſiæ ſedem (de qua privatim hoc loco agimus) ſtatuit in cerebro: imò etiam in poſteriore illius ventriculo. Etenim cur morbi ſeminarium in ea parte potiùs, quàm in corde collocat, quùm cordis functiones non minùs, imò magis quàm cerebri, vitiẽtur? Quod magnæ illius viſceris palpitationes, pulſuum perverſiones, ſuffocantes ſyncopæ, & animi deliquia ſatis ſuperq; teſtantur. Nec non ingens illa lucta, quâ cor vitæ noſtræ fons, quùm ſe anguſtiis & vitæ periculo urgeri videt, aſſumptis & acceſſitis undequaq; ſpirituum viribus, protegere ſe & tueri, nec non infeſtiſſimum hoſtem repellere & expugnare conatur. Unde concuſſiones & convulſiones capitis, colli, diaphragmatis, brachiorum, manuum, & pedum, ex ea lucta potiùs, quàm ex ficta illa obſtructione cerebri, & menyngum ejus vellicatione, oriuntur & ſubſequuntur. Nec abs re id, quùm multas epilepſias ejuſmodi concuſſionibus ſtipatas videre liceat: in quibus tamen, citra ullam oblæſionem, phantaſia aut imaginatio, nec non memoria integræ maneant. Quin & viſus & auditus incolumes perſtant, ut in hac nobili muliere, pro qua prius conſilium inſtituimus, ſæpiſſimè notatum & obſervatum eſt, ut ad nos perſcriptum. Hac utiq; animad- *de ſubjecto epilepſia.*

ver-

verſione Hermetici demonſtrare poſſunt, in quibuſdam epilepſiis cor primariò & per ſe affici: cerebrum verò per conſenſum. In omni enim corporis affectu pars illa non eſt primò affecta, cujus actiones manent integræ, genito jam affectu. Atqui in quibuſdam epilepſiis interdum imaginatio & memoria, aliâs viſus (actiones cerebri) manent integræ genito affectu. In illis igitur cerebrum non eſt primariò affectum. Atq; hinc ſequitur, alibi interdum, quàm in cerebro, quærendam eſſe epilepſiæ primariam ſedem, nec ſemper in cerebro eſſe collocandam. Cùm enim uno impetu irruens morbus hominem illicò proſternat, ex corde hos inſultus contingere, non minùs quàm ex cerebro, credibile eſt: ſiquidem in corde fons vitæ recumbit, quam his conatibus impeti certum eſt.

Fomes epil. non ſemper eſt in cerebro.

Atq; hæc de epilepſia, aliisq; morbis aſtralibus, de affecta parte, ſede, minera & foco Hermeticorum ſententia & opinio eſt.

CAPUT IX.

Omnium actionum cauſas in tribus hypoſtaticis principiis conſiſtere, è quorum reſolutione, ſeparatis impuritatum ipſis annexarum tincturis atq; exaltatis radices morborum dependeant.

AT

AT recordor, in diſceptatione litis Hermeticorum, nos à ſententia quadam venerandi ſenis Hippoc. exorſos eſſe: quando diximus, nos conſtare continentibus, contentis & impetum facientibus. Qua contextus ſerie probare ac demonſtrare certiſſimè voluimus, ab Hermeticis actionum omnium ſive bonarum, ſive pravarum & vitiatarum corporis noſtri cauſas attribui naturis potiùs quibuſdam & ſubſtantiis efficacibus, aſtralibus, ſpiritualibus, omni ſaporum, odorum, colorum, aliarumq; virtutum genere præditis: quas non imaginatione, ſed re ipſa inveſtigare licet, in tribus illis hypoſtaticis rerum omnium naturalium, vegetabilium ſcilicet, mineralium & animaliũ principiis, ſale nempe, ſulphure & liquore mercuriali: quàm nudis illis caliditatis, frigiditatis, humiditatis & ſiccitatis qualitatibus, aut intemperiei ſimplici, vel cum materia conjunctæ, ut bona dogmaticorum pars ſentit & docet. De qua opinione cùm aliquid jam alibi attigerimus: dignum eſt tamen argumentum, quod obiter repetatur. *Vnde omnes actiones prodeant.*

Dogmatici enim docent, ex frigidorum & calidorum humorum occurſu, alimentisq; frigidis aut calidis, intemperiem frigidam aut calidam in nobis generari. At Hermetici, mutata rerum vice, non qualitates, ſed ſubſtan-

ſtantias & materias quaſdam benè temperatas aut intemperatas, qualitatibus illis ſaporum, odorũ, &c. efficacibus dotatas: quas radices vel ſeminales tincturas appellant: quæque in ſpiritualibus ſolummodò corporibus, omni propè magnitudine, corporeisq; impuritatibus deſtitutis, interdum latent: interdum verò copioſos impuritatum fructus, ſive continenter & ſine intermiſſione, ſive per circuitus producunt. Ex occurſu ergo illarum ſubſtantiarum vel acidarum, vel acrium, vel ciborum, qui iſtius naturę ſunt participes, generatur aciditas vel acrimonia, ex qua actiones lædantur, juxta Hermeticorum doctrinam. Sed hoc adjungunt, niſi in frigidorum aut calidorum uſu adfuerit cherionium, ut appellant, vel *δυύαμις* quædam, ſeminali & ſpirituali tinctura prædita, morbũ in corpore non permanere, nec relinqui poſſe. Quam *δυύαμιν* in acribus, ſalſis, acidis, piperatis perpetuò adeſſe & reperiri teſtantur.

Velle igitur in *βυλιμία* aut appetentia ciborum inexplebili: quam Hippocr. λιμὸν dixit ſimpliciter, quæ canina appetentia rectius quàm fames dici debet, intemperiem frigidam cogentem & exprimentem, vel caliditatem reſolventem accuſare, ut Gal. Paul. Aët. & Avicennas faciunt nonnullis in locis, futile eſt, & inanis ratiocinationis. Idcircò etiam

Gal. 2. aph. com. 1. Paul. lib. 2. c. 51. Aët. ſer. 9. c. 1 Avic. 13. tract. c. 12.

iidem

iidem ipſi authores, iiſdem in locis, coguntur attentiore ſtudio cauſam ad humorum acidorum vitia, ſive ii phlegmatici ſint, ſive melancholici, referre. Quam Hermetici veriùs, aptiùs ac perſpectiùs aciditati cuidam famelicæ tribuunt, ſeu ſpiritibus vitriolatis inſaturabilibus, à quibus in acerbationem & rabiem ſuam exaltatis, repentè & uno momento, quicquid eſt non molliorum tantùm, ſed duriſſimorum etiam ciborum, nec non oſſium, lapidum ac metallorum vel ſolidiſſimorum, devoratur & conteritur. His ſpiritibus ventriculus ſtruthionis, ferrum concoquens, abundare creditur. Quarum virium ratio non aciditati ſimpliciter tribuenda, quatenus frigida aut alia eſt: at quatenus ſpiritibus ejuſmodi famelicis gravida & prægnans, utpote ſalibus armoniacis & vitriolatis, naturâ voracibus, ſtipatur, & iis acuitur. Citra hos enim nulla aciditas, frigiditas aut caliditas, huic operationi par eſſe poſſit: ſiquidem in ſolis illis ſpiritibus aciditatem comitantibus, & in ea contentis, tota vis ejuſmodi repoſita eſt. Atque ut faciliùs vel hebetiores, ac rùdiores, in effectis diſſolutionum corporum naturalium admirandis parum exercitati iſta capiant: exemplum de aqua forti ſubjiciemus: quæ cùm in ſeſe ſpiritus ejuſmodi, nitroſos, acidos

Cauſa Bulimiæ.

Cauſa facult. reſolvent. in aq. forti.

&vi-

& vitriolatos contineat: quamdiu eos retinet, argētum, aut quodlibet aliud metallum, facilè diſſipat ac ſolvit. At in ejuſmodi ebullitione, quâ metallū ſolvitur, cùm multi ſpiritus, inſtar ignis rubentes, exhalare & evaneſcere cōſpiciantur, qui antea quieti in ipſa aqua forti del teſcebant: & quorum virtute corpora metallica diſſolvuntur ac diffluunt. Si poſt ejuſmodi ebullitionem, & metalli ſolutionem, eadem aqua forti, poſt deperditos ejus ſpiritus, uti voles, & aliud metallum eâ ſolvere, fruſtra id facias, quùm, licet acrimoniam, ſaporemq; priſtinum retineat, ſpiritibus tamen illis voracibus & corrodentibus ſpoliata, nihil ampliùs idcircò ſolvere aut ſeparare queat. Hoc uſus ſum exemplo, quòd omnibus fermè res hæc ſit notiſſima, præſertim aurifabris: & unde diſci poteſt, cui rei tantæ corroſionis & voracitatis cauſa tribuenda ſit. Satis perſpici poteſt, quanto labore & induſtria, in deſtillationibus, ad retinendos ſpiritus, ſalium præcipuè, in quibus præcipua vis & actio conſiſtit, opus ſit. At fortaſſe quis

Objectio. objiciet, ejuſmodi vitriolatos & nitroſos ſales in corporibus noſtris deeſſe, ex quibus aquæ fortes & regiæ extillentur. At veriſſimè aſſerere poſſim, ex lotio noſtro, nitroſis, armoniacis & vitriolatis ſalibus referto, diſſolventia uſq; adeò valida & potentia extrahi, ut niſi

niſi ſumma cautio adhibeatur in regendo & exhibendo igne, & recipiente commodo aptando, ac in aquam frigidam demergendo: à ſpiritibus, in nubis formam exhalantibus, vas recipiens, uſq; adeò incaleſcat & urgeatur, ut ſæpiſſimè cum ingenti ſtrepitu, & propemodum ſclopetario æquali, in mille partes diſſiliat. Qui tamē ſpiritus, ſi retenti, commodeq; extracti, ac in aquam reſoluti fuerint: non minore virtute & diligentia, ac aquæ fortes & regales dictæ, argentum & aurum diſſolvunt.

Atque hi ſunt ſpiritus, quibus ſolis Hermetici omnem vim ejuſmodi operationum conceſſerunt, & ex quorum materia quamplurimos in nobis morbos procreari aſſerunt. At dogmatici occlamabunt, nullum ſic ab Hermeticis diſcrimen ſtatui inter morbū & morbi cauſam, quaſi unum & idem ſint: quod abſurdiſſimū dictu eſt. Præterea addent, ſe quoque ex magno illo Hippocrate didiciſſe, hominem conſtare partibus cōtinentibus, contentis & impetum facientibus, & vitia rerum contentarū (quos humores eſſe dicunt) morborum eſſe cauſas: continentiū verò partium defectus, morbos eſſe ipſos: & ſymptomatū fructus in ſpirituum impetu & agitatione apparere. Sed dum ita loquuntur, non advertunt, quid ſibi ab Hermeticis reſponderi poſſit, ex ipſius Hippocratis libro de flatibus, ubi *Alia objectio dogmat.*

F mor-

morbos omnes ſcribit Hippocrates ἀπὸ πνευμάτων, à flatibus aut ſpiritibus proximè proficiſci. Ubi in exemplum adfert nõ epilepſiam tantùm: ſed & hydropiſim & febres. Nec non plurimis rationibus & obſervationibus ibidem probat & ſuſtinet, omnes omnium actionum debilitationes, depravationes & abolitiones, ex potentiis & impreſſionibus vitalibus ſpirituum promanare. Quod cùm ita ſit, quomodo morbos continentibus partibus, aut corporibus craſſis & immotis Dogmatici potiùs quàm mobilibus ſpiritibus adſcribant? quùm ab ipſis, ut ſuprà dictum eſt, primò & præcipuè actiones vitientur? iiſque ſolis morbi appellatio propriè congruat? Nam illud, à quo proximè lædũtur actiones, morbus appellari debet. Atqui à ſpiritibus pravis proximè læduntur actiones. Ergo ſpiritus pravi morbi appellari debent. Porrò in ſpiritibus duo conſideranda: ipſe ſpiritus ſimpliciter dictus, qui eſt cauſa ſanitatis vel morbi: vel ſpiritus bona vel mala conſtitutio, quæ dicitur ſanitas vel morbus. Unde ipſe ſpiritus materialiter ſive impropriè, pravitas autem & mala conſtitutio ipſius propriè & formaliter morbus appellari debet: ut verbi gratia, quando dicimus, febrem eſſe calorem in corde accenſum, ipſe calor non eſt propriè ſeu formaliter febris, ſed intemperies & exceſſus calo-

Duplex. ſpirit. conſideratio.

caloris eſt ipſa febris: unde febris dupliciter definiri poteſt, materialiter & formaliter, ut ſcholæ loquuntur: materialiter, ut, febris eſt calor in corde accenſus: formaliter, ut, febris eſt intemperies cordis calida, vel eſt ametria ex accenſis ſpiritibus ſulphureis in corde, ut placet Hermeticis. Sed objiciet quis, morbũ in ſpiritibus reſidere non poſſe, cùm morbus tantùm partibus corporis inhæreat, ex dogmat. decreto. Huic occurretur, cùm corpus noſtrũ & cõtentis & continentibus, & unumquodq; membrũ duabus partibus, craſſiore ſcilicet & ſubtiliore conſtare dicimus: craſſiore, ut ſunt oſſa, venę, carnes, parenchymata: & ſubtiliore, nempe vaporoſo ſpiritu: ideò dum morbus ſpiritibus ineſſe dicitur, etiam membris, & partibus animalis inſidere affirmatur. *Objectio.*

Sed fruſtrà nominibus & appellationibus, ſpreta rerum diſquiſitione & differentiarum cognitione, inhæremus. Neutrius autem ſectæ, hac in re, partes tueri velim: ſed dicam tantùm (ut, quod ſit inter illas diſcrimen, oſtendam, & ſimul rationem afferam, quâ conciliari poſſint, quod meum eſt inſtitutum) à dogmaticis jure, nec citra firmas ac validas rationes, morborum cauſas ab ipſis morbis, & eorum ſymptomatibus diſtingui debere, ut quæ nec unum & idem ſint, quemadmodum cauſa & effectus idem eſſe non poſſunt:

Diff. cauſa, morbi & ſymptom.

ſed eſſentialiter, ſeu eſſentiali definitione differant. Contrà verò ab Hermeticis ſcribi, hęc tria non differre genere, aut eſſentiali definitione: ſed accidente duntaxat: quòd unum ſit actu, alterum poteſtate morbus: quemadmodum ſulphur accenſum non differt ab eo, quod non eſt accenſum: maturus fructus à non maturo, ipſo genere & eſſentiali definitione. Sed quod unum ſit actu ipſo inflammatum & maturum: alterum nequaquam, at quod tamen inflammari & maturari poteſt. Quod ſi Ariſtoteles primo metaph. refellit Megarenſes, qui negabant, quicquam eſſe δυνάμει: ſed illud tantùm eſſe aliquid affirmabant, quod eſſet actu: Ita meo judicio Hermetici poſſunt nonnullos dogmaticos, in eo, jure refellere, quòd nolint cauſam morbi appellare morbum: quia cauſa morbi actu non ſit morbus. At quid ſum loquutus? En ferè tota dogmaticorum ſchola obmurmurans in me parata eſt inſurgere, quòd apertè nimis Hermeticorũ partibus ſuffragari videar. Sed lentè quæſo feſtinate, amici, nec iras præproperè in me acuite. Recolligite me Oratoris vel Advocati officio hoc loco defungi: meiq; eſſe muneris, quod juſtum & æquum eſt demonſtrare, cauſamq; Hermeticam hic jure defendere: ſicut ad veſtram tuendam & ſuſtinendam, nihil à me omiſſum, quod afferri

debue-

ebuerit, compertum habetis. Quòd enim ˛âc ratione viam vobis aperuerim, vobis, inquam, qui iſtius litis futuri eſtis judices: quò ęquiorem & rectiorem ſententiam pronunțietis: laudem potiùs à vobis, & gloriã, quàm reprehenſionem & vituperium promereri, omnes æqui affirmabunt judices. Sed ut eò, unde digreſſa eſt, redeat noſtra oratio, agnoſcamus, inſita eſſe in nobis ea ſemina & radices, ac rerum principia, quæ digeſtis temporibus in exaltationem ſuam adducta, fructus ſui generis, hoc eſt, morbos & ſymptomata actu producant. Atq; hac lege, dicent Hermetici, latere in corpore radices, ſemina, impuritates nitroſulphureas, febriles, vel mercuriales, vitriolatas, epilepticas: quæ maturo & opportuno tempore accenſæ, ſeparatæ & exaltatæ, fructus febriles & epilepticos poſſunt producere, tum in corde, tum in cerebro: utpote rigores, frigiditates, calores præter naturam: repentinum caſum, motus convulſivos, oris & faciei diſtractionem, & id genus reliqua tum febrilia, tum epileptica ſymptomata. Has radices Hermetici cũ dogmaticis appellare poſſunt cauſas antecedentes morborum, febrium videlicet, & epilepſiarum: quæ ubi accendentur, exaltabuntur, & fructus ſuos producent, erunt etiam morbi, morborumq; ſymptomata. At ſi progrediamur

Cauſa morborum antecedentes.

 mur

mur ulterius, & cauſis iſtis antecedentibus morbi appellationem tribuamus: nihil abſurdi inde conſequetur: ſiquidem malorum radices & ſeminaria, in corpore latentia, ea ipſa ſunt, quæ, dum quieſcunt, modò breviores intermiſſiones febribus: modò epilepſiis longiores concedunt. At dum exaltantur, in actum proferunt ſuos paroxyſmos: ita ut unum & idem ſit cauſa morbi, & morbus. Saltem fatendum eſt, in illis radicibus malum aut affectum potentiâ ineſſe: ſicut in canis ſemine, canis potentia ineſt, in ſemine erucæ, eruca. Quin & in febrium intermiſſionibus, & epilepſiarũ ſilentiis, ſecurè dicimus, hunc vel illum hac vel illa febre laborare, aut epilepſia conflictari: licet paroxyſmi ſileant. Sed quis hæc inficiabitur, quùm vel ipſe Galenus dubitarit, quando eſſet dyſenteriæ nomẽ impoſiturus: an ipſo principio exulcerationis inteſtinorum, quo tempore nondum prorſus læſæ ſunt actiones: an quando prorſus depravatæ ſunt? Sed diutiùs, quàm par eſt, cortici hæremus; nucleum ipſum excutiamus. At in horum quatuor morborũ cauſis, quos tractamus, quid ſentiant Hermetici, & quid aut quantum à dogmaticis diſcrepent, videamus.

CAPUT

Caput X.

Omnia ſpirituum divina actionum, poteſtate pollentium miniſterio à Natura tam ſuperiore, quàm inferiore adminiſtrari, illasq; actiones injuſtè craſi qualitatum elementarium aſſignari.

UT igitur ab epilepſia ordiamur, coacti jam fuimus, cùm dogmaticorum litem agitaremus, oſtendere, ipſis inter ſe, in præcipuis iſtorum morborum cauſis, non convenire, quùm eorum alii, etiam medicorum Coryphæi, ſubſtantiis frigidis, craſſis, pituitoſis & terreſtribus cauſam aſcribant: alii fumoſis & ſpirituoſis. Jam quoq; perſpectum etiam reddidimus, eorum craſſiſſimam eſſe opinionem, qui craſſæ & terrenæ materiæ adjudicant, ut repetitione & probatione ampliùs non ſit opus.

Qui inter dogmaticos halituoſas & ſpirituoſas horum morborum cauſas cõſtituunt: vapores nempe & fumos aliquos, eosque acres & malignos: aliquid quidem ad rem dicere videntur: at non quod ſatis eſt, quùm acrimoniæ & malignitatis ejuſmodi halituum originem & radicem ſilentio prætereant: & à quibus ſpiritibus, citra quos nullius ſint

poteſtatis, acuantur & animentur, indictum prorſus relinquant. Ex quorum ſilentio hanc longam narrationis ſeriem contexuimus: ut oſtenderemus, omnem prorſus vim & actionẽ à ſolis ejuſmodi ſpiritibus proficiſci, præſertim ad diſſolutiones & coagulationes inducendas: illosq; hallucinati, qui externis illis frigidis aut calidis qualitatibus, ad ejuſmodi effectus producendos, immorantur. Quinetiam, ſi locus & tempus hoc concederent, ut cœleſtem cum terreſtri medicinam conjungeremus, (quod in alium locum rejicimus) palàm faceremus, iſtiuſmodi calores & frigora tùm demum vim ad agendũ obtinere, cum hujuſmodi ſpiritibus ſtipantur. Quod ſatis teſtantur frigidi illi Saturni ſpiritus, qui ſiniſtris aſpectibus uſque adeò vel ardentiſſimos ſolis radios, totumq; aërem refrigerant, ut ipſum interdum, vel media etiam æſtate, conglacient. Idem teſtimonium nobis exhibent frigidi ſpirituum Atlantidarũ, aut Plëiadum aſpectus, ex fructuũ terræ deperditione, quos frigore ſuo congelant: cùm menſe Aprili, & circa Maji principium, Sole in ſigno Tauri, & prope aſpectum Plëiadum exiſtente, uſq; adeò ſolarem radiorum calorem ſua frigiditate infringunt & coërcent, ut loco temperatiſſimi caloris omnia frigore horreant & gelu.

Impreſſionum cœleſtium cauſa.

Videmus è contrario, quando ſol eſt in ſi-

gno

gno leonis, atque in ſua exaltatione, prope martialem & ardentem caniculam, cum toto aëre ſolis radios ardentiores fieri: qui tamen frigidis Saturni ſpiritibus ſæpenumerò obtunduntur, cõſopiuntur, & propè extinguuntur: ut ſuperioribus annis in noſtra Gallia experientia didicimus, cùm ſedens in virgine Saturnus, caniculæ erat proximus. Quinimò ipſimet falluntur, qui ventorum virtutes definiunt ſola caliditate aut frigiditate. Sic Auſter, non quia humidus & calidus, caput gravat & replet: ſed quia in illo virtus quædam opiática à ſoporiferis ſpiritibus inſit illi propria. Hippocrates ideò Auſtrum βαρήκοον νωθρὸν, καρυβαρυκὸν, διαλυτικὸν appellat. Neq; Aquilo tantùm quatenus frigidus eſt & ſiccus conglaciat, acerbusque eſt & mordax, ſed quòd ipſius proprietates vitriolatæ, acetoſæ, berberiſatæ ſint, eodemmet Hippocrate teſte. Atq; hi ſunt ſpirituales effectus, qui ex aſtris cœleſtibus perpetuò in hæc inferiora influunt: quorum ſpiritibus uſque adeò referta ſunt omnia, ut veriſſimum ſit iſtud Poëtæ: Jovis omnia plena. Sed notandum eſt, quam Ariſtotelici vocarunt δύναμιν οὐσιώδη, , & Latini potentiam eſſentialem, propriam cuiq; ſubſtantiæ, quamq; aſſerunt eſſe in categoria ſubſtãtiæ, ab Hermeticis dici ſpiritus, eosq; ſcientia inſtructos concoquendi, diſſolvendi, moven-

Ventorum qualitates.

Quid ſit δύναμις οὐσιώδης peripatet.

di,ſentiendi,&c. In vẽtriculo, corde,cerebro & cæteris partibus, quos ſpiritus ſubſtantias vocant, ut hac in parte utriuſq; ſectæ ſententia parum diſcrepet. Etenim ſcientia illa eſt ipſamet δύναμις ἐιδώδης, quam Ariſtoteles & alii Philoſophi conſtituunt in omnibus rebus,& ex qua omnes actiones proficiſcuntur. Nam quemadmodum anima eſt, quæ cernit, cui tamen non perſpiciuntur colores,niſi per quædam inſtrumenta, quibus utitur, nempe per pupillam oculi: quæ ſi vitiata fuerit, aut totum oculi inſtrumentum, denegatur homini videndi actus, etſi in anima perſtet videndi facultas integra. Sic planè natura nihil producit, niſi per ſpiritus, qui inſunt ac deliteſcunt in rationibus rerum ſeminalibus. Ejuſmodi ſpiritus ſunt veluti inſtrumenta, ſine quibus ſemina ad propagandum inutilia ſunt. Ex quovis enim ſemine,ſi ſpiritus exhaluerit, ſemen infœcundum eſt prorſus. Ergo cùm Hermetici dicunt, illos ſpiritus ſcientia mechanica eſſe inſtructos fabricandi ſibi corpora: illisq; omnes actiones tribuunt, nec tamen naturam excludunt: quæ virtus eſt divina, rebus naturalibus inſita: at per metonymiam inſtrumento tribuunt, quod artifici, nempe naturæ adſcribendum eſſet propriè.

Notandum interim eſt, hanc ſpiritus vocem variè uſurpari, & in diverſas ſignificatio-

nes

nes torqueri, quod cognitu ſummè neceſſarium eſt, ut omnis vitetur homonymia & amphibolia. Quidam enim habentur ſpiritus, qui medii ſunt inter corporeã naturam & incorpoream: ut qui & ſpiritus ſint corporei, & corpora ſpiritualia dicantur. Ejuſmodi ſpiritualia corpora aut corporei ſpiritus prima vocantur materia, quòd radicibus vel ſeminariis rerũ principiis proximi adhæreant: à quibus dona, proprietates & officia corporibus finitima emanant: ita ut ii ſint, qui propriè innata quadam mechanica arte, ſeu artificioſa ſcientia inſtructi & dotati ſunt: quiq; ſaporũ, colorum, odorum, reliquarumq; qualitatum virtualium, ut & figurarũ, magnitudinum, dimenſionum & proportionũ notitiam poſſident. Ii in omnibus ſeminibus cõſpicuis, tanquam matricibus, incluſi deliteſcũt: ut ſic videre liceat, dum functiones obeunt, ex tantula glande proceram quercũ enaſci: & ex grano, aut ſemine nigri vel albi coloris extrinſecus apparentis, varios ac diverſos colores, juxta proprietatem, quam intrinſecus habet inſitã, nec non varios odores atq; ſapores emergere. Quod omnibus ſeminibus, cujuſcunq; ſpeciei ſint, innatum eſt & propriũ: ita ut nihil ejuſmodi ab illis produci queat, ſi ſpiritibus ſuis deſtituta fuerint. Et quamvis quantitate & mole corporis extrinſecus nihil imminuta depre-

Fons & origo omnium qualitatũ.

deprehendantur: omni tamen propagationi & generationi, ex privatione ſuorum ſpirituum, prorſus inutilia ſunt: utpote qui ſpiritus ſoli authores ſint ejuſmodi impreſſionũ, ſignaturarum vitalium, omniumq; actionum & facultatum, quas neq; ad craſim & temperaturam, neq; ad nudas illas elementales caliditatis, frigiditatis, humiditatis & ſiccitatis qualitates referre jure liceat: ut quæ ſint agẽtia ὁμοειδῆ, eam ſimul qualitatẽ extrinſecam, quam habent, in patiens corpus imprimentia. Sic enim ignis calidam rem efficit, glacies & nix frigidam. At ſpirituales illæ rerum ſubſtantiæ καθ' ἐντελέχειαν agere dicũtur, id eſt, intrinſeca ſua vi & facultate, quæ ἐντελέχεια ſeu perfectio dicitur. Ariſtotelici autem & nonnulli medici, quod ſpiritibus adſcribere debuerunt, id toti ſubſtantiæ, & ſubſtantiali formæ arrogant, illas nimirum facultates, vires, poteſtates, actiones, quarum nullam aliam cauſam eſſe volunt, quàm ſubſtantiam & formam ſubſtantialem, quæ καθ' ἐντελέχειαν afficiunt & movent aliquid ſeu alterant: Non quòd id præſtent manifeſta ſenſui qualitate, prout elementa: ſed occulta vi & potentia formæ ſubſtantialis: ut, verbi gratia, calor zinziberis non eſt manifeſtus, nec tactu percipitur, ut ignis calor: ſed occulta eſt vis ipſius zinziberis: & ejus actio, niſi calore animalis movea-

Tota ſubſtantia peripatet.

Digitized by Google

moveatur, percipi non poteſt. Quod propriũ quidam eſſe autumant occultarum potentiarum ſeu facultatum abditarum: & κατ᾽ ἐντελέχειαν fieri dicunt, ut ſuprà.

Quod autem iſti tribuunt ſubſtantiali formæ, Hermetici aptiùs & tutiùs prædictis ſpiritibus adſcribunt, tribusq; principiis hypoſtaticis, nempe ſali, mercurio, & ſulphuri. Sali quidem & mercurio ſapores & colores vendicant, cum detergendi, aperiendi, mundandi, evacuãdi, & inſtar balſami, ab omni putredine corpus cõſervandi facultatibus, ſulphuri verò odores, cum conſolidandi, agglutinandi, & dolores ſedandi viribus & proprietatibus. Ita ut hinc videre liceat, quàm parum inter ſe utraque ſecta diſſideat, & ad mutuam concordiam, ſecus quàm creditur, propenſa ſit.

Sed ut ad ſpiritus noſtros redeamus: abundè docuimus, illis ſolis propriè omnes omnium actiones deberi: clarioremq; inde doctrinam ac demonſtrationem percipi, ſi eis tàm illuſtres & admirandi ejuſmodi effectus tribuantur, quàm ſi formis, aut toti ſubſtantiæ adjudicentur. Alioqui perinde eſſet, ac ſi procul, & quàm remotiſſimè, è cœlo videlicet, peteremus, quod penes nos & præ manibus habemus: ut multis vitiũ hoc commune eſt, quòd internæ corporũ anatomiæ, in quibus,

vel

vel ipſis oculis, ſpiritus admirandis virtutibus & actionibus præditos intueri licet, ignari ſint. Qui quidem ſpiritus, pro varietate ſeminum, ſubſtantiarum, & principiorum hypoſtaticorum, quibus inhærent, tanquam in geminis matricibus, alii corporaliore forma, alij ſpirituoſiore, varios etiam effectus producunt. Inter enim ſpiritus hæc diſtinctio eſt, ut alii magis ſint corporei, alii magis ſpirituales, alii verò medium inter utroſq; teneant. Mercuriales, vaporoſi & aquoſi, volatiliores ſunt, & qui omnium primi è corpore exhalant. Salſuginoſi ac fuliginoſi omnium maximè corporei ſunt: quiq; poſtremi ex corpore divelluntur: neque id citra ingentem ignis effervesſcentiam. At ſulphurei, halituoſi & oleaginoſi, qui volatilibus & fixis, tanquam intermediæ copulæ, glutinis inſtar, intercedunt, utrorumque naturæ participes ſunt. Quos quidem ſpiritus omnes, certum eſt, variis ſaporibus, coloribus, odoribus, aliiſque agentibus qualitatibus eſſe dotatos, juxta naturarum & ſubſtantiarum varietatem, unde, ſolutis vinculis, emerſerunt: ſive id ſit occulta & inſcrutabili interni & abditi in natura ignis virtute & operatione: ſive artis ipſius miniſterio, naturam imitantis.

Varii ſpirituum effectus.

Ut autem iſtorum ſpirituum effectus oculis

lis ſubjiciamus, proponemus quædam exempla, ex vulgaribus & quotidianis rebus petita, ac proinde omnibus nota. Quùm ſalpetræ ſua terra, qua continetur & generatur, conſpurcatus adhuc eſt, & ſulphur ſua minera nondum exutum & defœcatum: utriuſque agendi vis uſq; adeò languet obtuſa, ob ſubſtantiarum corporalium & terreſtrium, quibus devinciuntur, mixtionem, ut ne flammam quidem poſſint concipere. At cum ſuis corporum vinculis ſoluta & expedita ſunt, ſimulq; miſcentur: palàm eſt, quantis agant viribus, quantoq; potentes eorum virtutes impetu ſeſe exerant.

Vulgarem & marinum ſalem in quotidiano ciborum uſu ſumimus & edimus: edulia eodem condîmus, quo, ut balſamo, à putredine vindicentur. Porrò fruſtra coronatum aureum, vel drachmam unam auri, ſexcentis ſalis marini libris immergamus & ſepeliamus, à quo ne tantillum quidem varietur, aut immutetur: à cujus tamen ſpiritus è corpore extracti & ſeparati uncia duæ vel tres auri drachmæ, aut etiam plures uno momento in aquam ſolvi poſſint. Poſſemus multa alia in medium exempla proferre. Sed objicietur nobis, vim iſtam cuidam eroſivo, aut acri qualitati, ſali inhærenti (ut & aliis rebus) adſcribendam eſſe. *Objectio.*

Cui

Cui objectioni jam ſuprà reſpondimus ab exemplo aquæ fortis: quæ, poſt argentum diſſolutum, acris quidem perſtat: at ſpiritibus ſuis ſpoliata, qui in ſolvendo argento expirarunt, nullius amplius eſt poteſtatis nec effectus. Quod ut meliùs pateat, nequaquam in acrimonia vim ejuſmodi conſiſtere, nunc afferemus exemplum ex quibuſdam naturis, quæ omni acrimonia, & qualitate ſaporis manifeſta deſtitutæ, attamen admirandos ejuſmodi producunt effectus ex ſpirituum, quibus turgent, potentiis & virtutibus. Flores antimonii ſpirituales ſumamus, qui, licet careant acrimonia, ſi tamen ad duo vel tria grana propinentur, uſq; adeò atrociter corpus concutiunt & divexant, tum vomitu, tum dejectione, ut res non careat periculo. Quod ſuo nimiùm damno miſeri multi experiuntur, qui ignaris Empiricis potiùs, quàm doctis & veris medicis, ſalutaris à veneno auxilii ſeparandi, & tutò porrigendi, ac opportunè peritis & expertis ſeſe committunt. Sumamus etiam antimonii vitrum in exemplum. Hoc cùm omni ſapore quoq; careat: idem tamen ferociter præſtat, quod ejus flos: idq; ob ſpiritum quendam album & arſenicalem ipſi inſitum, qui in marmore, in quod injectũ fuerit vitrum, facilè animadverti poteſt: cujus pulvis tenuiſſimus & ſubtiliſſimus, ſi ad aliquot

Non omnia valida agẽdi poteſtate prædita, ſunt ad ſenſum acria.

quot ſeptimanas Soli exponatur calido, & de eo poſteą majore etiam doſi propinetur, nullarum virium ad purgandum aut movendum corpus futurus ſit, quòd calore Solis ſpiritus ejus exhalarit ac evanuerit, quod alibi notavimus. Quod magnam ſpiritus volatilitatẽ teſtatur ac tenuitatem, qui tamen in uncias ſingulas vix fortè granum, aut momenti dimidium pendat.

Quinetiã metalla ipſa, vel ſolidiſſima quæque, in quibus vitam non agnoſcit vulgus, omniq; vigore ac hujuſmodi ſpiritibus carere opinatur, ea ipſa ſunt, quæ longè pluribus & nobilioribus potiuntur. Cujus rei teſtimonia luculenta apparent ex variis & admirandis illorũ effectibus, quùm ea peritus artifex præparare, & à craſſo ſuo, quo vincta detinentur, cortice enucleare novit. Atq; ejuſmodi ſpiritus naturæ elementaris ſimplicitatem æmulantur. Qui luſci luſco lumine delectantur, & ultrò oculis tenebras offundunt, ii magnam illorum lucem ac ſtupendas operationes contemplari nequeunt, quæ in thermis, ſeu balneis & aquis metallicis, ejuſmodi promiſcua ſpirituum copia abundantibus, ſpectantur.

At nec aurum, utiq; omnium metallorum ſolidiſſimum & fixiſſimum, ejuſmodi ſpiritibus vacuum eſt, quos contrà habet præ cæteris nobiliſſimos & potentiſſimos: quorum admi-

Mira auri actio. admirandi effectus ſatis exprimi non poſſent, niſi ipſis oculis cernerentur. Hoc enim à proprio ſuo & familiari corroſivo ſolutum, ſi oleo præcipui vegetabilis, guttatim (ne major fiat ebullitio, quàm par ſit) inſtillato, hæc diſſolutio perfundatur, aurum prius diſſolutum ſtatim in calcem reducetur: quæ poſtea lentiſſimo igne exiccata, tantæ eſt virtutis & efficaciæ, ut ſolo motu & ſine igne, conatus & effectus potentiſſimos ac impetuoſiſſimos, inſtar bombardarii pulveris, non quidem in altum & ſurſum, ut ille, ſed deorſum, & in infernas partes exerat & evibret: ut vel lignea menſa hoc ictu perforari & diſrumpi poſſit.

Quæ ſuprà commemoravimus, in hunc finem à nobis allata ſunt, ut, quàm variis & admirandis virtutibus hujuſmodi ſpiritus præditi ſint, innoteſcat.

Objectio. At excipiet aliquis: etſi ita eſt, quorſum tamen hæc? & quid inde inferatur, cùm nulla ſit metallicorũ ſpirituum cum microcoſmicis affinitas, nec conſortium, ut tot verba fruſtra, & nihil ad rem pertinentia effuderis? Cui objectioni reſpondeo, admirandam eſſe in natura rerum omnium, tàm metallicarum, vegetabilium, quàm animalium conſpirationem, quæ ab uno & eodem principio enatæ, ſuæ originis ſimilitudinem, unionem & conſenſum facilè retinẽt: ita ut natura mineralis in ve-

in vegetabilem, & vegetabilis in animalem, nullo negotio tranſeat & commutetur. Quæ utiq; admirandæ tranſmutationes ex cognatione, conſortio & analogia ſpirituum inter ſe balſamicorum proficiſcuntur, utpote qui, ut dictum eſt, ex eodem fonte, radice & prima materia, eſſentialiq; forma eadem, ſeu ex eodem ſpiritu æthereo, primo motore, omnia animante & vita perfundente, promanarint. Quod teſtatus eſt divinus Plato in Timæo, his verbis: Quùm igitur Deus ſempiternum « hunc mundum condidiſſet: rationum quæ- « dam ſemina ipſe indidit, & vitæ exordium di- « vinitùs induxit, ut cum mundo vim quoque « procreatricem gigneret. Quæ quidem Plato- « nis verba, de Deo etiam creatore, & de hac vitali ac generante virtute omnibus rebus infusâ, ex libro Geneſeos deſumpta apparent, qui ei fuerat cognitus, ut fuſiùs alibi diximus. Hanc vitalem virtutem ſeu ſpiritũ æthereum *Anima* per totum orbem diffuſum, ſingulisq; rebus *mundi.* inſitum, hòc idemmet eſſe conſtat, quod Plato animam mundi nuncupavit, hoc eſt, infuſam eam in res omnes virtutem, moderatricem ac gubernatricem omnium corporum. Sic enim apta & congrua fuerit explicatio, eaque petita ex ipſius Platonis verbis, quæ ex ejus Timæo citavimus.

Hanc autem philoſophandi rationẽ ſequi

coacti ſunt Ethnici illi Philoſophi, ex conſideratione & aſpectu naturalium hujus mundi rerum, ex propria natura fluxibilium, caducarum & corruptibilium. Quæ, niſi utiq; divina aliqua vi conſervarentur & continerentur, ab ordine & fine, in quem ſuis quæque ab initiis procreatæ & deſtinatæ ſunt, reſilire poſſent: quibus diſſectis aut divulſis, magna totius mundi ſequeretur confuſio & perturbatio. Quod quidem ut averteret ſummè bonus & omnipotens ille Deus, juxta providentiam ſuam, ſapientiam ac ſui Spiritus virtutem, univerſalem illam naturam creavit: qua, ex æterno ſuo decreto & immutabili cōſilio, tanquam cauſis ſecundis, ad operis ſui, in mundi opificio ſtabiliendo, conſervationem uteretur: idq; cœleſtis ac ſuperioris mundi rotatione perpetua, ac variis variorum aſtrorum & ſiderum ejus influentiis, nec non ignium æthereorum, ſeptem planetarum motibus & aſpectibus, vitalibusq; præſertim ac admirandis aſtralibus virtutibus, præclariſſimæ iſtius & primogenitæ *Lucis*, (tenebrarum, privationum & impotentiarum rerũ omnium fugatricis ac expultricis) quibus vivunt, animãtur, vigentq; caduca hæc omnia. Quę quidem lux, per omnes cœleſtes ignes olim diffuſa, tandem verò, velut in compendium, in Sole contracta, indè, tanquam ex domicilio proprio

Solis proprietates.

prio & ſeminario, per illius converſiones & revolutiones diurnas & annuas, in rerum omnium generationem, ortum & interitum, potentiſſimè vires omnes explicat. Quod quotidiana indies experientiâ intueri licet. Nec omnem idcircò hujus adminiſtrationis curam ita naturæ commiſit Deus, ut poſthàc ſecurus quieſcat & otioſus: at contrà, perpetuò operatur, gubernaculum ipſe præ manibus tenens & torquẽs, pro arbitrio & ſapientia ſua, naturam, juxta eas dotes, proprietates & ſcientias, hoc eſt, virtutes animantes, vivificantes & generantes, quas ei & ſeminibus ejus, virtute ejuſdem ſpiritus, qui ferebatur, vel (ut vult Baſilius) incubabat ſuper aquas, indidit & impertitus eſt: idq́; juxta verbum, quod ore protulit: *Terra producat ſemen vivificum, in animam viventem.*

Inter cauſas ſecundas, quæ ex primis ſemper pendent, balſamicalis quædam eſt natura ſive aſtralis, æthereuſq́; ſpiritus, (vita rerum, primumq́; movens in hæc inferiora & caduca) qui ſuas primùm exerit virtutes in natura elementali, tanquã in prima & omnium ſimpliciſſima creatura, quas tandem natura illa elementaris in mineralem primùm naturam, tanquam fœturam ſuam primam diffundit: à qua poſtea in vegetabilem, ac tandem ex vegetabili in animalem traducuntur.

coacti ſunt Ethnici illi Philoſophi, ex conſideratione & aſpectu naturalium hujus mundi rerum, ex propria natura fluxibilium, caducarum & corruptibilium. Quæ, niſi utiq; divina aliqua vi conſervarentur & continerentur, ab ordine & fine, in quem ſuis quæque ab initiis procreatæ & deſtinatæ ſunt, reſilire poſſent: quibus diſſectis aut divulſis, magna totius mundi ſequeretur confuſio & perturbatio. Quod quidem ut averteret ſummè bonus & omnipotens ille Deus, juxta providentiam ſuam, ſapientiam ac ſui Spiritus virtutem, univerſalem illam naturam creavit: qua, ex æterno ſuo decreto & immutabili cõſilio, tanquam cauſis ſecundis, ad operis ſui, in mundi opificio ſtabiliendo, conſervationem uteretur: idq; cœleſtis ac ſuperioris mundi rotatione perpetua, ac variis variorum aſtrorum & ſiderum ejus influentiis, necnon ignium æthereorum, ſeptem planetarum motibus & aſpectibus, vitalibusq; præſertim ac admirandis aſtralibus virtutibus, præclariſſimæ iſtius & primogenitæ *Lucis*, (tenebrarum, privationum & impotentiarum rerũ omnium fugatricis ac expultricis) quibus vivunt, animãtur, vigentq; caduca hæc omnia. Quę quidem lux, per omnes cœleſtes ignes olim diffuſa, tandem verò, velut in compendium, in Sole contracta, indè, tanquam ex domicilio proprio

Solis proprietas.

prio

prio & ſeminario, per illius converſiones & revolutiones diurnas & annuas, in rerum omnium generationem, ortum & interitum, potentiſſimè vires omnes explicat. Quod quotidiana indies experientiâ intueri licet. Nec omnem idcircò hujus adminiſtrationis curam ita naturæ commiſit Deus, ut poſthàc ſecurus quieſcat & otioſus: at contrà, perpetuò operatur, gubernaculum ipſe præ manibus tenens & torquẽs, pro arbitrio & ſapientia ſua, naturam, juxta eas dotes, proprietates & ſcientias, hoc eſt, virtutes animantes, vivificantes & generantes, quas ei & ſeminibus ejus, virtute ejuſdem ſpiritus, qui ferebatur, vel (ut vult Baſilius) incubabat ſuper aquas, indidit & impertitus eſt: idq; juxta verbum, quod ore protulit: *Terra producat ſemen vivificum, in animam viventem.*

Inter cauſas ſecundas, quæ ex primis ſemper pendent, balſamicalis quædam eſt natura ſive aſtralis, æthereusq; ſpiritus, (vita rerum, primumq; movens in hæc inferiora & caduca) qui ſuas primùm exerit virtutes in natura elementali, tanquã in prima & omnium ſimpliciſſima creatura, quas tandem natura illa elementaris in mineralem primùm naturam, tanquam fœturam ſuam primam diffundit: à qua poſtea in vegetabilem, ac tandem ex vegetabili in animalẽm traducuntur.

Hæc prima ſpiritualis eſſentia, quùm ſibi, in penetralibus metallicæ naturæ, corpus ordiri incipit (quod ſibi primo loco illic attexit) id quod primùm conſpicitur, vaporoſus quidam humor eſt, ſubtilis, balſamicus, nitro-acetoſus, in quo deliteſcit & vita, vitæq; conſervatio individui futuri. Hunc vaporem natura vegetabilis, hoc eſt, plantæ exugunt & hauriunt, quo aluntur & ſeſe fovent: eumq; propria & nativa coctione, ex natura minerali in vegetabilem tranſmutant.

Atq; hoc modo ita ſublimatur is vapor, ut vitalior, ſpirituoſior & magis æthereus reddatur, formamq; ignis balſamici induat, ac pretioſiſſimæ nobiliſſimæq; aquæ vitæ, quæ omnibus plantis, præſertim alimentoſis, ſive frigidis, ſive calidis, ut clariùs à nobis dictum eſt, ingeneratur. Idq; ipſum eſt, quod plantas ab externis injuriis non ſolùm tuetur, ſed etiā novorum individuorū continuationem perpetuat, univerſamq; totius plantæ cōſtitutionem, ſpiritualis ac vitalis illius humoris benignitate, irrigat, nutrit, fovet & conſervat. Natura autem ſenſitiva & animalis, à vegetabili, hoc eſt, à plantis, tanquā ex ſuo alimento, ſpirituoſum illum vaporem, ætheream ac balſamicam ſubſtantiam excipit: quam longè præſtantiorē, cœleſtiorem, vivaciorē, omnibusq; modis perfectiorē & ſpiritualiorem, longeq; ab ea,

ab ea,quę in plantis fuerat,diſcrepantem reddit ac efficit. Etenim virtute ſpirituum concoctionis ſenſitivæ naturæ, ſubſtantia hæc balſamica,vegetabilis,vivifica,longè alia, nobiliorq; quinta ſubſtantia elaboratur, in pelicanis ſcilicet & vaſculis vitalibus ſenſitivæ naturæ, aut animalis, quàm quæ in plantarum naturalibus ventriculis coqui & perfici ſolet. At microcoſmus, homo, quùm plantis ſeu vegetabilibus & animalibus veſcatur, hoc eſt,illorum quintas eſſentias, & balſamicum illum ſpiritum in ſuum alimentum extrahat, propriâ & nativâ ſuâ concoctione illam ita præſtante artificio chymico extillat, ſublimat & circulat, hoc eſt, virtute ſua vegetabili,ſenſitiva & animali,quas in ſe omnes continet, ita agitat, deducit,acuit & illuſtrat, in omnes partes convolvendo & diducendo, ut puriſſimum, ſubtiliſſimum & cœleſtiſſimum vitæ nectar perficiat, hoc eſt, ſymphytum emphytumq; calorem,aut potius ignem verè æthereum, naturæ humanæ productorem & conſervatorem: ignem inquam æthereum, ſpiritum cœleſtem, balſamum vitalem & pretioſiſſimum,quem Ariſtoteles ſublimi ſuo ingenio, & altiora quæque, præ aliis Philoſophis, meditante ac penetrante, agnovit originem eſſe, & omnis generationis ac conſervationis rerum naturalium funda-

Nutrimentum hominis.

mentum, quùm ſub finem tertii ſui libri de generatione animalium ſic ſcribebat: *Omnis animæ poteſtas alterius cujuſdã corporis particeps eſſe apparet, ejusq; divinioris, quã quæ elementa appellantur. Et quemadmodũ nobilitate, obſcuritatéve animæ inter ſe diſcrepãt: ita & natura ejus corporis differt. Continet enim in ſe ſemen cujuſq; fœcunditatis ſuæ cauſam, nempè ipſum calorẽ, qui igneus minimè eſt, neq; id generis facultatẽ aliquam æmulatur: ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumanteq; corpore coërcetur, & natura, quæ in eo ineſt ſpiritu, proportione reſpondet elemento ſtellarum. Quamobrem ignis nullum generat animal: neq; cõſtitui quicquam denſis, vel ſiccis, vel humidis videtur. At verò Solis calor & animalium, non modò qui in ſemine continetur, verùm etiam ſi quid excrementi ſit, quanquam diverſum à natura, tamẽ id quoque principium habet vitale. Itaq; dura, mollia, lenta, rigida, aſpera, lævia, caloris & frigoris vi effici poſſunt. At propria cujuſq; ratio & eſſentia nequaquam ex elementis emergit.*

Radix vitæ. Quemadmodum autem æthereus, vitaliſq; ſpiritus rerum, qui in earum cœleſti quinta eſſentia poſitus eſt, rector, moderator ac conſervator vitæ ſtatuſq; earum eſt: ſic alii ſunt impuriores, & corruptiores, ab excrementis rerum & earum impuritatibus prodeuntes; qui variis modis vitales illos ſpiritus aggrediun-

dluntur & impetunt, mortemq; tandem inferunt: cui ob peccatum homo, vitâ perpetuâ, quam ab inſpiratione divini flatus ante lapſum obtinuerat, ſpoliatus, factus eſt obnoxius: terra etiam, ex ejus culpa, maledictione divina ita diris omnibus devota, ut nihil in rerum ſit natura, quod mortis aculeos devitet & effugiat. Quæ quidem mors, nil niſi ſeparatio, divulſio & conſumptio ſpiritus iſtius & radicalis vitæ balſami eſt, à quo ſolo anima cum corpore colligatur & perſtat. Hoc enim deficiente, conſequitur corporis interitus. Quod utiq; videre eſt in metallorum corruptionibus, quum rubigine eroduntur: in fructibus, cùm verminantur, & arborum truncis carie putreſcentibus. Quæ quidem depravationes & corruptiones, membrorum hominis ſphacelis & ſiderationibus reſpondent ac æquipollent: quibus tamen paulatim enecantur, quòd in illis balſamus ejuſmodi putrefactus emoriatur. In hujuſmodi autem corruptionibus, certiſſimæ mortis indicibus, deliteſcunt tamen alterius cujuſdam vitæ ſeminaria: ex quibus varia vermium genera enaſcuntur in fructibus, arboribus & humanis corporibus, tàm intrinſecus, quàm extrinſecus. Quæ quidẽ, etſi ex corruptione oriantur, quum vita ſint prædita, aliunde quàm ex vitalibus ſpiritibus procreari nequeunt: qui

Anatomia morborum & mortis.

Mors quid ſit.

Generatio vermium.

utcunq; ſunt ſpiritus, parentũ tamen ſuorum impurorum & corruptorum naturam retinent,ut tandem putridos,exitiales ac peſtiferos fructus ſuæ naturæ proprios egerminent, debellato & extincto purioris vitæ & ſinceriorum fructuum balſamo.

Ejuſmodi itaq; corruptiones,matrices ſunt & ſeminaria, in quibus venenoſi ac peſtiferi ſpiritus ſedem ſuam habent. Unde in noſtris corporibus varia morborũ genera procreantur:quorũ quotidianæ trãſplantationes,iſta ejuſmodi ex vitalibus radicib⁹ & ſpirituoſis ſeminibus prodire,certiſſimã nobis fidẽ faciũt.

Alia ſpirit. diff. Ut tandem ultimæ ſuperiorum ſpirituum differentię colophonem addamus,de quibus tàm longã verborũ ſeriem contexere coacti fuimus, eamq́; fuſiùs extendere, quàm fortè argumentũ noſtrũ patiebatur, concludimus, tales reperiri ſpiritus (præter eos activis illis qualitatibus, de quibus egimus, ſeu utilibus, ſeu noxiis præditos) qui illis ſint oppoſiti:nẽpè quædam eſſe ſpiritualia corpora ἄξιτηλα ac evanida, nullius efficaciæ, virtutis, ac facultatis, quæq́; omni ſcientia deſtituta ſunt: ſive ii ſint nudi vapores,ſive inanes fumi, fugaceſq́; umbræ corporũ & aliorũ ſpirituũ. Quæ quidem poſtrema hæc ſpirituũ evanidorũ differẽtia à Dogmaticis probè & agnoſcitur & recolitur,ut qui paſſim in ſuis libris,vaporis, fumi,

mi, halitus, exhalationis, expirationis, flatus, halituoſi vaporis, caloris fumoſi & flammei, vaporoſi ſudoris, exhalantis humoris, ventoſitatis groſſæ, humiditatis flatuoſæ, halituoſæ ſubſtantiæ, qualitatis nidoroſæ, ſpiritualis eſſentiæ, auræ malignæ, fumoſarum excretionum, fuliginoſorum excrementorũ, vaporoſarum ſuperfluitatũ, crebram mentionem faciant. Sed inanes jactantur hæ voces, ac prorſus emortuæ: ut quæ vanis tantùm & mortuis etiam qualitatibus innitantur, unde egregius nullus eliciatur effectus, qualis ex vera ſpirituũ agentiũ & balſamicorũ, ſive utilium, ſive noxiorũ notitia & ſpeculatione hauriri & educi ſolet. Quod ſatis ſuperq́; longiore oratione docuimus, ut diſcamus, in illo puro, æthereo, & eorum radicali balſamo vitam noſtram ejusq́; conſervationẽ, ſanitatemq́; eſſe repoſitã: ceu cõtrà, ex eorũ impuritate & malignitate morbus interitusq́; noſter cõſequitur. Præterea curationẽ & reſtitutionẽ defectuũ, quibus ſæpè langueſcimus, nequaquã in ſola craſi & mixtione elementorũ, neq; in ſolis qualitatibus primis, caliditatis, frigiditatis, humiditatis & ſiccitatis, ſitã eſſe ſciamus, ſed potiùs illorũ defectuũ, ſive affectuũ cauſas ac remedia balſamo radicali, cœleſti, quintæ auxiliorũ eſſentiæ adſcribenda eſſe, ſpiritibusq́; mechanicis ei inſitis, quos Paracelſus ſcribit ina-

Vis medicatrix in quo deliteſcat.

in abyſſo naturæ eſſe reconditos: qui certis temporibus proferunt ſeſe, in generationes medicamentorum: nec abolitis medicamentis eos deſtrui, ſed in abyſſis ſuis quieſcere aliquandiu, nulloque naturalium rerum interitu extingui. At obſtreperum clamorem & cachinnos multorum videor mihi audire, qui novam ſic doctrinam & prorſus inauditam, ac etiam ſuæ Philoſophiæ contrariam induci autumant. Subſiſtite paulliſper, quæſo, ô amici. Neque enim uſque adeò vana, frivola & inanis opinio hæc eſt, quin animum ad eam appellere debeatis, eaq; intellectus veſtri oculos, ſupra modum in terram defixos, in cœlum uſque poſſit attollere. Non enim ex ſolo Paracelſo emanavit hoc dogma: ut quod cum Socraticorum de Idæis, cum Stoicorum de cauſa συνεκτικῇ; Anaxagoræ de ſyncriſi atomorum, & authoris de diæta, quem Hermetici Hippocratem eſſe agnoſcunt, opinionibus conſentit, & planè conforme eſt, ut alibi in Anonymum quendam fuſiùs docuimus.

Sed quid Hermeticis reſpondebunt, cùm optimis & validiſſimis rationibus ulteriùs progredientur ac ſuſtinebunt, ſemina ipſa nō tantùm potentia, ſed & actu eſſe animata? Nunquid videre eſt, cõplures plantas, è terra radicitùs erutas, atque alimento terræ ſpirituoſo, quo vigebãt, orbatas, egerminare, creſcere

Semina actu animata.

ſcere & revireſcere? An eorum ſcilicet aſpernanda & rejicienda jure opinio eſt, tanquam abſurda & erronea, quæ tantorum tamq; antiquorum Philoſophorum authoritate, nec non neotericorum, Franc. nempè Patritii, ac imprimis magni illius & reconditæ literaturæ noſtri ſeculi viri, Julii Scaligeri ſuffragiis ſuffulta nititur & propugnatur: quorum alter ſemen actu vivere ſcribit, ſed actu ſeminali: at à Scaligero quàm ſtrenuè oppugnetur dogma illud contrarium Fernelii, ex libro ejus de abditis rerum cauſis petitũ, videre eſt. Luculentis enim teſtimoniis, ac firmiſſimis rationibus, ac inprimis ipſius Ariſtotelis authoritate probat ac demonſtrat, animam ſeu formam leonis vel equi, eſſe actu ipſo, non tantùm δυνάμει in leonino vel equino ſemine: & ſemen leoninum & equinum, eſſe leonem & equum imperfectum: quod ſucceſſu temporis à ſola leonis aut equi forma perficitur. Quæ quidem forma præcipua eſſentiæ pars eſt utriuſq; animantis, ſimulq; cauſa efficiens, forma inquam, quæ neque oculis videtur, neq; tactu aut ſenſu ullo percipitur, at ſola mentis & intellectus ratiocinatione comprehenditur. Ubi ſtatuendum eſt diſcrimen inter generationem & perfectionem: ut hæc quidem prorſus careat corruptione: illa verò eam admittat & patiatur: eò quòd perfectio

Patrit. l. ſuo de nova univerſi Philoſophia.

Diff. generat. & perfectionis.

ſecre-

ſecretionem, aut ſubſtantiarum ſeparationē, atque in primam materiam reſolutionem reſpuat: quibus tamen generatio indigeat. Hæc enim tantùm coagulationi & mixtioni rerum reſolutarū incumbit: at perfectio omnia potiùs in integrum reſtituit & conſervat, quàm quicquam imminui aut elabi ſinit. Quod ex granis & ſeminibus indies ſatis quotidiana demonſtrat experientia, nec non ex ovo licet perſpicere, in quo (pullo excluſo) nihil reliqui in cortice cernitur, omnibus videlicet integrantibus partibus, hoc eſt, tribus illis ſubſtantiis hypoſtaticis, pellicula videlicet, albumine & vitello (quæ utiq; aptè mercurio, ſulphuri & ſali reſpondent) diligenter aſſervatis & collectis, citra ullam imminutionem, aut ſegregationem, ut pulli inde forma animata perficiatur & reſultet.

Diſcrimen actus primi & ſecundi.

Nec Hermeticos uſq; adeò ignaros, & peripateticæ Philoſophiç, apud omnes receptę, imperitos eſſe putandū eſt, quin in confirmationem ſuæ ſententiæ aptè diſtinguant, & diſcrimen notent inter primum actum, ſeu potentiam eſſentialem, quæ nō eſt ipſamet ſubſtantia corporea & integra rei, ſed aliquid eſſentiale & potentia vigens ac efficax ad actum in ipſa ſubſtātia exiſtenś, quæ nunquā ab ipſa ſeparari poteſt, propriumq; πάθος idcircò appellatur: & ſecundū actum δυνάμεως, qui dicitur

tur energia ſeu actio, potentia nempe naturalis, quæq; dependet à temperaméto, ſive craſi, cùm operatur. Ut autem equino pullo, per juventuté, equi forma & eſſentia denegari nõ poteſt, quin perinde re & actu ſit, ac qui perfectus ætate equus eſt: etſi æquales vires cum grandiore equo, aut maturum ſemen ad procreandum nondum habeat: quo tamẽ, quùm ad perfectam ætatem pervenerit, ad ſibi ſimile gignendum non ſit cariturus. Haud ſecus Hermetici docent, in quovis quidem ſemine, actu illo priore, ineſſe rem ipſam, hoc eſt, animam ſeu formã eſſentialem: at poſteriore actu nequaquam, qui tantùm ratione temporis priore actu in compoſito ſuperior eſt, non re ipſa: quùm res ipſa, hoc eſt, forma ſubſtantialis in utroq; ſemine, & maturo & immaturo, æquè integra & perfecta actu conſiſtat: & pullus & grandior equus actu & re ipſa æquè & pariter ſint equi. Neque enim forma in utroque deſinit eſſe integra, etſi compoſita (quibus perficiendis aſſiduè incumbit) inchoata tantùm & adhuc imperfecta ſint: ad perfectionem enim illorum, ut diximus, perpetuò tendit & laborat.

At ſi quis Hermeticis objiciat, quùm equus ex ſemine parentum procreatur, aut quercus ex glande enaſcitur, eam eſſe generationem, cùm antea nec equus nec quercus eſſet, hacq; *Objectio.*

ratio-

ratione & ſemen animalis & glandem arboris deſiiſſe eſſe id, quod prius erant. Huic objectioni reſpondebunt Hermetici, primi actus ſubſtantiam, quæ forma eſſentialis eſt ἀχώειςος, ut loquitur Ariſtoteles, in equi ſemine, vel in glande, nequaquam generatam eſſe in equo aut quercu: ſed equum ipſum & quercum, ab ipſa forma ἀχωείςῳ, actu ſecundo & poſteriore fuiſſe perfecta, quæ antea in compoſito inchoata tantùm & imperfecta erant. Actus enim poſterior, qui à temperamento & craſi dependet, accidens quodammodò eſt, cui generatio accidit, ratione corporeæ ſubſtantiæ, ex mixtione à forma productæ: non autem actui priori, hoc eſt, formæ, quæ ſimpliciſſima, & citra ullam craſim aut mixtionem ſubſiſtit. Quùm igitur aut pullum, aut aliquid aliud tale, naturaliter creſcere videmus, nequaquam id, quod creſcit, forma ſubſtantialis putanda eſt, quùm nec magis nec minùs recipiat. At equus eſt, qui creſcit, hoc eſt, totum equi compoſitum: in quo forma tum conſpicua redditur, quæ prius deſtituta organis & corpore, licet integra, occulta deliteſcebat.

Anima hominis. Quod ad animam hominis rationalem attinet, nemo eſt, præter perditũ aliquem Protagoram, aut Epicurum, qui in dubium revocet, à Protoplaſta Deo creatam fuiſſe: qui ex ſpiri-

ſpiritu oris ſui eam primo homini inſufflavit: quamq; eadem ſua virtute in eo infuſam permanere immortalem voluit: ita ut aliis facultatibus, vegetabili ſcilicet & ſenſitiva, in homine mortuo extinctis, unica illa rationalis anima in æternum ſuperſtet ac vivat.

Ut tandem concludamus, & huic argumẽto finem imponamus, concedamus, animam potentiâ tantùm, non actu rerum ſeminibus ineſſe. Neutrius enim opinionis defenſionẽ armis ſuſcipere decrevimus; id tamen nobis denegari non poterit, quin certiſſimum ſit, ejuſmodi ſemina ſpiritibus eſſe referta, ut ſuprà à nobis demonſtratum eſt, & omnes omnium rerum actiones, virtutes & facultates formis rerum, etiam inanimatarum, & ex multorum judicio emortuarũ eſſentialibus, potiùs quàm craſi, juxta rationes, quas abundè attulimus, adſcribi debere: proindeq; Hermeticos, qui ejuſmodi energias & facultates ſubſtantiis ſpiritualibus aut divinis, (ut loquitur Ariſtoteles,) adjudicant, propiùs ad Ariſtotelis doctrinam accedere, quàm alios, qui Empedoclem quendam ſecuti, ab ea procul evagantur, ut alibi quoq; monuimus.

Hinc eluceſcit, quantum utilitatis percipiatur, ex ejuſmodi rerum exacta perveſtigatione: quam morbis privatim, quos excutimus, accommodabimus, ut ex earum cauſis,

apertè enucleatis, verum genuinumq; remedium eruamus, ac adaptemus.

Caput XI.

Eſſentia, diff. & cauſa prædictorum quatuor affectuum ex Hermeticorũ placitis traduntur, nec non materialis & craſſa dogmaticorum de iiſdem morbis opinio refellitur.

Nomin. epil. juxta Paracelſum.

PARACELSUS ex Hermeticis primariorum unus, liberè quibuſdam morbis remediorum nomina accõmodat, ut ex nomine ipſius morbi remedii ſpecifici genus demonſtretur: quemadmodũ epilepſiam vocat modò morbum vitriolatum, modò viridellum: quòd in ſpiritu vitrioli viridi morbus auxilium ſuum nanciſcatur. Interdũ morbos inſignit nomine, à cauſa producente ſumpto: ut cùm eandẽ epilepſiam appellat etiam morbum vitriolatum, quòd, ex ejus ipſius ſententia, morbus originẽ ſuam contrahat ex vapore mercuriali vitriolato, qui ex humore, ex tartaro, aut ex mucilagine æruginoſa expirat, quam idcircò vulgò porraceam nominant: quùm potiùs vitriolata mucilago dici debeat, propter eam, quam habet cum vitriolo potiùs, quàm cum porro, aptam analogiam. Siquidem ea non porri, ſed vitrioli tincturas & im-

& impreſſiones ſecum circumfert, quas exhalando, temporis intervallis, malignas, acres & acidas, ſpiritibus vitalibus ac animalibus facilè commiſcet: utpote quæ etiam totæ ſpirituales ſint, & cum ſpiritualibus potiùs, quàm cum terreſtribus ſymbolisent, ac cognationem conſenſumque habeant; quibus cor & cerebrum, ut ſuprà diximus, cùm partis affectæ ſedem indagaremus, impetuntur ac obſidentur: ſive id obſtructione fiat, ſive ab aciditate vitriolata, arterias carotides conſtringente ac comprimente, unde facultatis vitalis in cerebrum tranſitus intercipitur: ſive etiam ab eadem aciditate ſtypticitateque ventriculorum cerebri ſubſtantia coarctata: aut ex ſale iſtius humoris armoniaco acerrimo, menyngas exquiſitiſſimi ſenſus pungente ac vellicante, ejuſmodi cõvulſiones oriantur, & præcipuorum animæ officiorum, ac functionum, cognitionis nempe, memoriæ ac rationis depravationes, aut interitus etiam conſequantur, idq; magis vel minùs, pro qualitate humoris mercurialis vitriolati majore vel minore, vel aciditate & virulentia ejus graviore aut leviore. Etenim nemo non noſtrûm infinitæ vaporũ multitudini, qui ex variis corporis partibus in cerebrũ noſtrũ aſſurgunt, obnoxius eſt. At ſi hujus proprietatis & naturæ vitriolatæ non fuerint, epilepſias non

Radix inſultus epileptici.

H 2 pro-

Cur melanchol. epilepſiæ obnoxii. procreabunt, quibus præ aliis melancholici opportuni ſunt, ex ipſius Hippocratis teſtimonio: *Melancholici comitiales facilè fiunt, & comitiales melancholici:* idq; quòd ejuſmodi homines, humore vitriolato acido (cujus generis ſuprà diximus melancholiam eſſe) abundent.

Cur infantes ad epil. proni. Ad hunc eundem morbum infantes maximè proclives ſunt: non quòd cerebrum habeant pituitoſum. Si enim in nuda & ſimplici pituita poſita eſſet epilepſiæ, aut ejus germanæ apoplexiæ cauſa, omnes ei morbo eſſent obnoxii, cùm ſecus accidat: ſiquidẽ multos hydrocephalos videmus ab iis morbis immunes, etſi cerebrum aquoſa humiditate ſcatens & refertum habeant: ſed quòd illorum multi lac in ventriculo aceſcens, & non probè concoctum congerant, cujus corruptio eam naturam induit, ut in æruginoſum & viride quoddam virus vitriolatum degeneret (ut ex eorum rejectionibus ac vomitibus huiuſce coloris videre eſt) unde dolores graviſſimos patiantur, & proni ad hunc morbũ reddantur. Quo fit, ut ipſe Avicennas epilepticum morbum puerilem vocet, aut puerorum matrem, ſed melius dixiſſet novercam.

Gal. opinio de cauſ. apoplex. & epil. eſt abſurda. Quod ad cauſas apoplexiarũ attinet, quas Galenus eaſdem eſſe dicit cum cauſis epilepſiæ, quaſq; venenatas, & activa omni qualitate

tate præditas eſſe negat: ad humorem eſſe aſſerit ſimpliciter frigidum & craſſum, qualis creditur eſſe pituita: ubi etiam inter hos duos tàm graves ac ſtupendos affectus differẽtiam aliam non ſtatuit, quàm quòd apoplexia generetur ob privationem abſolutam potentiæ animalis, quâ nervi deſtituuntur: epilepſia verò fiat ob depravatum motum: qui quidem in quatuor ſpecies dividitur, tremorem videlicet, palpitationem, concuſſionem & convulſionem: quorum duorum poſtremorum epilepſiam participem eſſe volunt ipſius aſſertores, ac præſertim convulſivi motus. Hæc inquã abſurdiſſima opinio eſt, qua apoplexiæ cauſam uni ſoli frigido & craſſo humori ſemper adſcribitur: nec minùs ridicula eſt, quàm quæ ex eadem cauſa epilepſiam oriri ſtatuit. Quam jam multis rationibus, hìc fruſtra repetendis, abundè confutavimus & exploſimus, explicatis fusè utriuſq; ſectæ, & Hermeticæ & Dogmaticæ, in hanc quæſtionem, ſententiis. Qui tamen Dogmatici ferè omnes, uno eodemq; conſenſu, verarum apoplexiarum cauſas, in quantitate pituitoſi humoris collocant, quæ confertim uno momẽto ventriculos opplet: qualis eſt Æginetæ ſententia, qualiſq; ſentẽtia Galeni, loco jam à nobis citato, ubi ſcribit: Apoplexias & convulſiones fieri propter humorem pituitoſum, aut me-

Cauſa apoplex. Dogmaticorum.

Paul. Æg. li. 3. cap. 18.

Gal. aph. 6. com. 56.

lancholicum: *quoniam communis eſt, inquit, utriq; craſſitudo.* Unde infert, in utriuſque humoris craſſitie, unde opplentur meatus, iſtius mali cauſam & originem eſſe repoſitam.

Cauſ. apopl. non conſiſtere in craſſitie materia.

Quod ſi ita eſt, unde tanta hujus mali præcipitatio, & tàm ſubita aggreſſio, ut uno ipſo momento ingruat & inopino, velut turbine, ægrum percellat ac ſyderet: ut inde nō immeritò nomen mutuata ſit ἀπὸ τοῦ videlicet ἀποπλήττειν, à percutiēdo vel percellendo, quòd, qui ea invaduntur, quaſi de cœlo percuſſi aut quodam fulmine icti videantur. An, cedò, craſſæ gravisq; naturæ materiæ, quæq; difficulter movētur (ex omnium medicorum ſententia) hoc habere poſſint proprium, ut tàm ſubitum, præcipitem, ac tàm ſtupendum motum excitent? Non poteſt enim non aliquo temporis intervallo, nec niſi ſenſim ac paulatim ejuſmodi craſſus humor in cerebro aggregari, cùm ejus ortus momentaneus & præceps eſſe nequeat. Interea dum congeritur, aut aliqua pars ejus congeſta eſt, cerebrum opplet, ut licet conjicere, quid, ante quàm paroxyſmum cieat, tandiu ille ſtat otioſus? ut nihil priùs re ipſa producat, quàm ſerò ac tandē maturum apoplexiæ fructum: quùm ſaltem minorem aliquem affectum præmittere priùs deberet & poſſet, ut cataphoram, aut ſoporiferam aliquam aliam gravitatem. Ferunt

qui-

quidem, ejuſmodi aliquos prænuncios ſolere præcurrere, qualis eſt gravedo, dolor & rotatio capitis in gyrum, propenſio ad ſomnum: qui tamen præcurſores teſtimonia potiùs vaporum ſpirituoſorũ exhibent, quibus oppletur cerebrũ, & quos, præ imbecillitate, neque cõcoquere, neq; diſcutere, vel per emunctoria propria deturbare poſſit: ſed quibus nubilum ac turbidũ aptumq; fit ad ejuſmodi ſymptomata concipiendũ, quàm ut ex craſſo humore, qui in cerebro aggregatus fuerit, & ibi ad tempus reſederit, iſta proficiſci credamus.

Nunquid ſatis teſtati ſumus, in pleriſq; infantibus tum pituitoſis, tũ aliis, hydrocephalæas conſpici, aquoſam in cerebro repletionẽ arguentes, qui tamẽ nec apoplexiã incurrant, nec ullum præcurſorũ ejuſmodi ſignorũ, hoc eſt, gravitatis, rotationis, indormitionis & doloris capitis, perſentiant: quæ tamẽ vinoſis ac crapuloſis contingant, ex fumis & vaporibus vini liberaliùs hauſti in cerebrum elatis? Qui quidem vapores, cùm ſint ſpirituoſi, nõ craſſi, calidi, nõ frigidi, ejuſmodi effectus in cerebro creant: imò tàm profundũ aliquando veternũ, καὶ δυσδιέγερτον ſomnũ inducunt, ut nunquam, niſi ſolutis prorſus vaporibus, temulẽti iſti eo liberari & expediri queant. Quinimò ipſe Hip. l. de flatibus, non procul à fine, hunc morbũ à flatibus fieri ſcripſit. Et ad finẽ libri

 de

de glandulis hæc ſcribit: *Cerebrum ſi quid rodat, turbationem multam ſuſtinet, & mens deſipit, & cerebrum convellit ac diſtrahit totum hominem, qui in ſe ipſo vocem non edit, at ſuffocatur, & hæc affectio ſyderatio appellatur.*

Fumorum ex carbon. effectus.

Nunquid etiam ejuſmodi ſymptomata ſuſcitari cernuntur, ex carbonum fumis & vaporibus? nec non uno momento concidere, ac ſæpè etiam exanimari, tanquam apoplecticos, qui eo loco ſopiti dormiunt, ubi ignis carbonum accenſi fuliginoſi vapores retinétur, nec exhalare poſſunt? Nunquid iſtorum ſymptomatū cauſa ad fuliginoſas illas exhalationes calidas, acres, rodentes ac penetrantes, magnarumque virium, cerebrum opplentes, majore jure referantur: quàm ad cerebri obſtructiones, ex lentore & tarditate craſſorum ejuſmodi & frigidorum humorum natas?

Hermetic. ſentens. de cauſ. apopl.

Ergo ex Hermeticorum ſententia concludimus, non ſemper ejuſmodi apoplexiarum cauſas cuidam frigidæ craſſæque pituitæ, aut alii id genus humori, eſſe tribuendas: at nebuloſis potiùs exhalationibus, in cerebrum evectis, & in eo concluſis, inſtar nubium in aëre expanſarum: quæ quidem ſi aqua & humore refertæ, non tantùm frigido & humido ſimpliciter, ſed efficacem & activam qualitatem poſſidente, ſive ſit ea ſalina, ſive mercurialis, ſive ſulphurea, illicò conglacientur aut congelen-

gelentur, ut ex ſpiritu vitriolato & glaciali illuc evecto poteſt contingere, ejuſmodi naſcitur uno momento affectus ex glacie illa & congelatione, quam aciditas vitriolata conſtringendo ac coarctando parit: ac inde apoplexiam oriri certum eſt gravem aut levem, pro quantitatis aut qualitatis materiarum vi & copia.

Sed jam ſuprà tot locis, tamq; apertè, inſignem illam & admirandam ſpiritus vitriolati virtutem coagulantem deteximus, quæq; in mediis flammis, in quibus omnia, ex vulgi opinione, ſolvuntur, invicta perſtat, viresq; etiam ſuas conglaciandi, vel invitis ignibus, fortiter exerit: ut de his pluribus agere tædioſum & ſupervacaneum ſit.

Inter Dogmaticos, Avicenna, meo judicio in cauſis ejuſmodi apoplexiarum indagandis, aliis videtur ad ſcopum fœliciùs collineaſſe, cùm eas materiæ cuidã ſtypticæ, aut conſtringentis qualitatis adſcribit: *Hæc quidem oppilatio, inquit, (de apoplexia loquens) fit, quum id ad cerebrum pervenit, quod dolorẽ facit, aut impedit aut movetur, motu contractionis: aut qualitas perveniens ad ipſum, ſtypticum faciens, &c.* Cæterùm admittimus, nonnullas apoplexias ab aliis quoq; cauſis produci, ut à phlegmone ſeu inflammatione aut apoſtemate, aut ab aliqua ſanguinis effuſione in cerebrum, per ve-

næ apertionem aut rupturam. Qua in re à Dogmaticis diſſentire nolumus.

Attigimus prætereà nõnullas alias apoplexiæ cauſas, quùm Dogmaticorum partes tueremur, ſpiritus videlicet interceptionẽ, cùm ejus in cerebrum tranſitus & communicatio prohibetur, ab obſtructione arteriarum carotidum & venarum jugulariũ, ob vapores fortè ſtypticos & virulentos, ejuſmodi partes comprimentes ac coarctantes, vel alias ob cauſas: ubi etiam Alexandri Benedicti authoritatem attulimus, in præputii circunciſione, citra dolorem & ſenſum. Nec non hunc morbum ex cõtuſione, & cranii fractura, atq; aliis id genus cauſis ſuſcitari poſſe affirmavimus. Sed apoplexiarum ejuſmodi nullam hîc mentionem facimus, in quarum curam cum Dogmaticis conſentimus, & cum iis laudamus ſanguinis miſſionem, crebrò etiam repetitam: præſertim ſi ex phlegmone, aut alia ſanguinis in cerebrum effuſione malum ortũ ex ſignis compertum ſit. At de veris hoc loco apoplexiis, & internam, latentemq; originem habentibus, diſſerimus: quarum quidem origo & cauſa, ſi craſſo & frigido humori tantùm, & ſimpliciter adſcribatur, ridiculum id fit, & Hermeticorum labris (quorum doctum eſt palatum) prorſus inſuave, inconditum & inſipidum.

Cauſ. paralyſeos. Ex his, quæ dicta ſunt, veræ etiam paralyſis cauſæ

cauſæ deducentur, in quas ſæpè apoplexias degenerare jam antè demonſtravimus. Siquidem vitriolatus ejuſmodi humor & glacies ſtatim vi naturæ aut artis auxilio liquata, ſoluta, & in aliquam cerebri partem, aut in totum etiam cerebrum diffuſa, nec non per totam dorſi ſpinam, in nervorum propagines trajecta, aciditate, ſtypticitate, mordacitate & acrimonia partes ejuſmodi vellicando, ſtupefaciendo & conſopiendo, prout dentes ſolent ejuſmodi acidis vitriolatis irritari, contrahi, & ſtupefieri, ut inde αἱμωδία naſcatur, ejuſmodi affectus & ſymptomata, ut ſtupores & indormitiones membrorum, quos præcurſores & affines paralyſis eſſe diximus, procreant & invehunt. Unde etiã facilè colligere eſt, ex iiſdem cauſis, humoris ſcilicet acerbitate, ſtypticitate & acetoſitate, non autem ex ſimplici frigiditate & craſſitie, apoplexiam generari. Quot enim defluxus humorum indies cernimus ex cerebro, in ſpinam dorſi decumbere, quibus nervorum genus imbuitur, citra ſtuporem & indormitionem, citraq; ſpiritus animalis in illas partes trajectionem: unde etiam membra, hac defluxione perfuſa, non deſinant ſenſum motumq; ſuum retinere?

αἱμωδία dentium.

Fernelius accuratæ ac ſubtili cauſarum arthriticarum inquiſitioni invigilans, ex hujuſmodi defluxionibus illas deducit, ubi tamen

nec

nec percelli membra, nec ſenſu carere, ſatis teſtantur ægrotantium querimoniæ & ejulatus. Atq; hæ ſunt Hermeticorū rationes, quas illi in hanc quæſtionem Dogmaticis obtrudunt.

Cauſ. vertiginis.

Cæterùm utriq; in cauſis vertiginum afferendis conſentiunt, cùm ad vapores halituoſos ac ſpirituoſos eas referunt. Veruntamen Hermetici, ut ſparſim in hoc tractatu monuimus, minutim interna quæq; diſſecant, & ſingulas anatomiæ partes acutè & ſubtiliter rimantur ac excutiunt: unde fit, ut dicant, ejuſmodi vapores aut halitus, qui vertigines inducūt, ex reſinoſis, tartareis aut ſulphureis in ventriculo, alióve viſcere cōtentis: aut ex unctuoſiore, magisq; ſulphurea ſanguinis ſubſtantia, promanare: quæ ſecum tincturam nigræ fuliginis, admodum ad tingendum & denigrandum efficacem, convehunt, citra tamen acrimoniam ullam: qualem ſal armoniacus in ſuis mercurialibus exhalationibus continet: ut videre licet in fumis quorundam lignorum, qui ſecum ſalis armoniaci halitus, quorum ſunt ejuſmodi ligna feracia, efferentes, ſurſum ad oculos, rubore & acrimonia eos feriunt ac inficiunt. Quod idem ex aquæ ſimplicis fumo aut halitu, aut ex pingui juſculo, aut ex vaporibus, ab aqua terraq;, nubiloſo tempore, excitatis & ſurſum evectis, nō contingit. Etenim fumi aut halitus, qui vertigines ejuſ-

Halituum effectus diverſi.

ejuſmodi inducunt, nullos inferunt dolores, quòd naturam ſalium nullam, ſed reſinoſam, oleoſam & ſulphuream poſſideant: à quibus idcircò nulla, ſed à ſalibus omnis acrimonia proficiſcitur, ut experientia quotidiana comprobatur. Etenim unctuoſi illi fumi, nigerrimi quidem ſunt & ſpiſſi, ex quibus etiam tinctura nigredinis extrahitur: at nulla pollent mordacitate, aut acredine ſalium. Ut autem hi ex ſalibus expirãtes fumi,dolores,hemicranias,vigilias,delitiaq; varia cient:unctuoſi verò ſimpliciter & citra acrimoniam, dolorisq; ſenſum,vertigines,&tenebroſas ejuſmodi,ac nigras affectiones concitant, ſive in cerebro ſedem localem habeant, ſive aliunde exurgant,per cauſæ morbificæ propagationem:ut quando per venas, vel arterias interiores & exteriores cervicis, ad arteriã plexus choroidis defertur anathymiaſis quædam tetra, quæ inæqualiter in iis arteriis vel cavitatibus cerebri circumacta,humores variè impellit,ſpiritusq; animales ſubagitat, vertiginemq; ſimpliciter dictam efficit, prout ejuſmodi fumi magis vel minus denſitatis & nigredinis habuerint.

Hæc etiam ſimplex dicta vertigo, aliquando procedit tùm ex ventriculo, tùm ex præcordiis malè affectis, per ſimplicem communicationem fraudulenti cujuſdam vaporis,ab aliquo

Digitized by Google

aliquo corrupto humore ſuſcitati. Attamen ejuſmodi fumi,à quacunq; cauſa excitati ſi verè reſinoſi & tinctoria nigredine referti fuerint,tunc affectus verè ſcotomaticus efficitur: in quo mens tenebris obducitur,ac oculi turbantur,ita ut,qui ſic affectus fuerit,cerebrum totumq; corpus in gyrum circumagi opinetur. Quare nõ regit ſe ita,ut firmetur (quemadmodũ loquitur Avicennas) imò cadit, &c. Unde aliquando contingit,ut non tantùm viſus pereat, ſed ratio & judicium omni cognitione privetur. Quod ex hujuſmodi nigerrimis fumis accidit, qui luci, claritati & ſplendori ſpirituum noſtrorum denſiſſimas tenebras offundunt, quibus lux eorum obtenebratur, inſtar ſolis, qui craſſiſſimis ac nigerrimis nimbis obductus, lucem ſuam nobis impertiri non poteſt.

Avic. prima tertii tr. 5.

At nunquid audio ſubſannantes aliquos, quòd in noſtris corporibus reſinas & gummi reponã,ex quibus tinctorius nigror elici poſſit? Subſiſtite pauliſper,amici, & tandem ſanguinem diſſecate, ut ex illius anatomia diſcatis, longè plura tingentium nigredinum genera in eo contineri, quàm vobis enumero. Inſpicite lac,quod ſanguinẽ apprimè coctum eſſe volunt,& exprimite ex eo ſulphuream illam ac butyroſam ſubſtantiã: quam ſi incendatis,quàm nigras quæſo fuligines,denigrandi vi

di vi præditas, elicietis? Nigredo uveæ tunicæ adhærens ſatis monſtrat, ſanguinem in nutritione humoris vitrei & criſtallini in oculo nigra excrementa deponere. Revocate etiam in memoriã, & attenta mente perpendite, quicquid de analogia & conſenſu metallicorum cum vegetabilibus, & vegetabilium cum ſenſitivis docuimus. Inde facilè, quicquid hîc dicimus, concipietis. Non ibitis, credo, inficias, animantium lac, tincturam, vim & impreſſionem earum herbarum, quibus paſcuntur, retinere. Quod ſi negare audebitis, en vaccas, quæ cùm alliariã herbam depaſtæ ſunt, vobis lac, allia redolens, exprimunt: vel eo etiam floris colore tinctum referunt, quem comederint. Hinc igitur vobis liqueat, quàm verũ ſit & firmum, quod de analogia & conſenſu ac ſympathia rerũ inter ſe diximus. Atq; hæc ſatis ſuperq;, juxta Dogmaticorum Hermeticorumq; ſententias, de eſſentia, differentiis, partibus affectis, affectionisq; cauſis illorum affectuum dicta ſint.

CAPUT XII.

Methodus Dogmaticorum curativa epilepſiæ medicamenta nonnulla, quibus in genere in ipſis morbi paroxyſmis utebantur antiqui, oſtendens.

NUNC

NUNC tempus eſt, ut curationem tantorum malorum aggrediamur, ac ſimili docendi methodo, exquiſitiora, elegantiora ac tutiora remedia, quibus utraque ſecta utitur, proponamus: ut, qui ejuſmodi morbis tentantur, utilitatem aliquam & fructum inde percipiant. Veri enim & fidelis medici præcipuus eſt ſcopus, ut opere potiùs, quàm ſermone, excellat: quùm linguarum, ſive Hebraicæ, ſive Græcæ, ſive Latinæ eloquentia morbi non curentur, ſed recta utilium remediorum, & appoſita ex arte præparatione ac adminiſtratione & uſu opportuno profligentur.

Ut igitur de quatuor horum morborum curatione tractationem ineamus, juxta eam methodum, quam jam ſequuti ſumus, ab epilepſia ordiemur: cui alios morbos comites ſuo ordine adjiciemus. Ac primo loco, omnia cõmunia remedia, quibus bona Dogmaticorum pars uſa eſt, afferemus. Deinde ordinem, temperationem ac correctionẽ, quas Neoterici iis adjunxerunt, ſubnectemus: ac tandem communium ejuſmodi remediorum legitimam informationem ac inſtaurationem, ſive in electione ſimplicium, ſive præparatione eorundem, juxta Spagyricorum ac Hermeticorum ſolertiam ac induſtriã præſcribemus. Neq; hoc loco, ſpecifica illorum præſidia, ac ſele-

ſelectiſſima arcana magiſteriaq;,quæ illi cùm ex vegetabilium, tùm metallicarum & mineralium ſubſtantiarum familia mutuari ſolent, tacebimus. Idq; tanta facilitate conabimur tradere,ut vulgus inde fructum aliquem reportare queat. Nec recedemus à methodica Dogmaticorum curandi ratione,ad quam, quo propiùs fieri poterit, accedemus, in uſu & adminiſtratione remediorum, quam ſequuntur: ut ſic obteſtemur ac fidem faciamus mutui noſtri cum illis conſenſus ac concordiæ, quam foveri inter nos perpetuò optamus: ac ſimul ut innoteſcat, procul à nobis eam eſſe ruditatem ac ignorantiam, nec non ſchiſmaticum ſtudium, quorum inſimulamur.

Epilepſia igitur, ut rem tandem aggrediamur, & ab hoc tàm gravi & ſtupendo morbo omnibus æquè, tum viris, tum mulieribus, nulla ætatum habita ratione, imminenti, ut qui vel infantes etiam in cunabulis adoriatur, unde ab Avicenna, ut jam antea monuimus, puerorum mater vocitatur, duplicem curationem exigit: unam prophylacticam: alteram therapeuticam. Hujus uſus eſt in inſultibus & paroxyſmis, ut morbi videlicet præſentis conjuncta cauſa perimatur: alterius verò, ut cauſæ antecedentis, vel materiæ epilepticæ generatio intercipiatur: quæ non *Avic. 3. ter- tii, cap. 8.* *Cura epilep. eſt duplex.*

I nisi

Digitized by Google

niſi temporis intervallo fieri poteſt: etſi morbi impreſſio, & maturus ſymptomatum illius fructus, in ipſo temporis momento ſeu puncto indiviſibili efficiatur. Ubi perpendendũ eſt, eam interdum eò uſq; ferociæ ac violentiæ devenire, ut atrociſſimè ac crudeliſſimè ſæviens à miſerrimo ægro priùs non recedat, quàm immaniſſimo & inaudito mortis genere eum miſerrimè jugulaverit, unde idcircò ab Aretæo ſcriptum eſt, *varium & portentoſum morbi genus epilepſia eſt, quæ dicitur Latinè comitialis morbus, terribilis utiq; in acceſſionibus, & peracutus ac pernicioſus: quandoquidem nõnunquam acceſſio una hominem rapuit.* Sic Paul. lib. 3. c. 13. *Quùm igitur in aliquibus acutiſſima ſit affectio, citò occidit, tum exacerbationum aſſiduitate, tum ſymptomatum violentia.* Ea etiam nobis, ut diuturna affectio, conſideranda eſt, ut quæ varios cieat paroxyſmos, modò rariores, modò frequentiores, nunc longiores, nunc breviores: qui quidem ad extremam uſq; ſenectam, imò ad ſepulchrum uſq; perdurant, nec ante obitum deſinunt. Quod confirmat idem Paulus, quùm etiam hoc ad ea, quæ de illo ſuprà citavimus, addidit: *In quibuſdam verò in longum extenditur, adeò ut, ſi non circa pubertatem, aut lunares purgationes aut imprægnationes ſoluta fuerit affectio: aut ſi poſt hoc tempus cõtracta fuerit, plerunq;*

Aret. lib. 1. de cauſ. & notis c. 4.

runq; commoriatur; præterquam ſi convenientem curationem conſequatur.

Præter hanc acerbitatis ac diuturnitatis hujus mali neceſſariam à medico obſervationem, id quoque neceſſe eſt diligenter expendat: naturam videlicet morbi, differentias & cauſas ejuſdem, temperamentum, ætatem, ſexum etiam ægrotantium, ut rectam, legitimam, ac tutam curandi rationem ab indicationibus ineat ac præſcribat. Poterit quidem in omnes epilepſias generalis quædam cura inſtitui; at quæ à cerebro proficiſcitur, particularem quandam ſibi curam expoſtulat, aliamque ab epilepſia ex ventriculo prognata: aut ab ea, quæ aliunde ex membris diſtantioribus procreatur. Quemadmodum & illa, quæ ab ictu ſcorpionis venenato, aut ab alia extrinſeca cauſa ſuſcitatur, alia præſidia expoſcit ab iis, quæ epilepſiis, ex putrefactionibus & venenis in corpore genitis debentur: ut & hæ aliam curam efflagitant, ab illa, quæ ex corrupto ſemine, aut hyſterica affectione generatur. Sic craſſa, obæſa, ac pituitoſa corporis conſtitutio aliam curandi rationem exigit à macra & bilioſa conſtitutione: nec non ſanguinea aliam, quàm melancholica. Infans ex ubere nutricis adhuc pendens, alia via tractandus eſt, ac qui jam ſeptem aut octo annos

Obſervanda quædam in curat.

natus eſt: nec non hic alia ratione, ac qui pubertatem jam attigit, & ex ephœbis exceſſit. Mulieres, quæ ex ſuppreſſis menſtruis, & matricis impuritatibus huic morbo obnoxiæ fiunt, alias curationum indicationes nobis exhibent, ac viri, qui aliunde, alias ob cauſas, eodem morbo affecti ſunt.

Atq; hæc quidem nobis ſedulò tum in prophylactica, tum in therapeutica obſervanda ſunt: in quibus primò, generalia præſidia ſemper afferemus, ex quibus particularia remedia, pro diverſis morbi differentiis ac cauſis, temperamẽtis, ætate ac ſexu derivabimus ac inſtituemus: eamq; rectam medendi methodum in unaquaq; epilepſiæ ſpecie uſurpabimus & accommodabimus: nec non pulcherrimos quoſq; remediorum flores, ex celeberrimis quibuſq; Dogmaticis, tum Græcis tum Arabibus & Latinis, tàm antiquis, quàm recentioribus, ſeligemus: atque hoc ſertum eximiis ac pretioſis Hermeticorũ unionibus & margaritis illuſtrabimus ac decorabimus, nec labori ulli aut vigiliis parcemus, quin quicquid à Deo accepimus, in uſum publicum, & proximorum noſtrorum utilitatem, candidè referamus.

Ab illa igitur therapeutices parte, hoc eſt, à curatione morbi, quùm inſultus ſuos & paroxyſmos ciet, exordiemur. Qua in re, præter uni-

unicam curationis indicationẽ, quæ in morbi exacerbatione mitiganda ac profliganda, poſita eſt, in univerſum nihil deſideratur. Atque ut eam, quam nobis propoſuimus curandi methodum, ordine perſequamur, quam à quolibet æquo judice, ut elegantem & utilem probatum iri facilè mihi perſuadeo: pro ea, quam Dogmaticorum ſcholæ vovimus reverentia, in primo hujus certaminis agmine, primum locum Dogmaticis tribuemus, eorumq; in tanto ac tàm atroci morbo debellando methodum, quibuſq; uſi remediis fuerint (cùm exacerbationibus ſuis morbus æſtuat) in medium proferemus. Sic igitur ſcribebat Oribaſius ſynop. lib.8. cap.3. *Ubi concidit aliquis, convulſa & diſtracta membra ſunt perungenda, tenendaq; ac dirigenda: deinde os aperiendum, digitusq; immittendus, aut penna oleo Irino imbuta, ut pituitam evellamus. Odoramentis quoq; ſenſus excitare oportet, veluti peucedano, ſucco Cyrenaico (id eſt, aſſa fœtida) bitumine, cedria, pice. Poſt acceſſiones ſi nihil impedimento eſt, vena cubiti incidenda eſt. Si nihil remittat acceſſio extremæ partes ſynapiſmo oblinendæ ſunt, cucurbitula præcordiis affigẽda. Si per hæc morbus non ceſſavit, exigua ſpes eſt: & tamen Medicus audacter, & vi etiam adhibita, caſtoreum, & ſuccum Cyrenaicum, cum melle & aceto ori infundat. Per ſedem verò cen-*

Curatio epilepſ. ſecund. Dogmat.

taurii aut colocynthidis decoctum injiciat. Qui ex morbo convaleſcunt, viribus refectis ex hiera purgari debent. Atq; hæc quidem eſt recentis & acuti comitialis morbi explicata curatio.

Paul. lib. 3. cap. 13. Paulus Ægineta iiſdem propè verbis illud ipſum inculcat. Aëtius quoq; in hæc verba loquitur: *Aët. tetr. 2. ſer. 2. cap. 13.* *irruente igitur comitialis morbi exacerbatione, convulſas & obtortas partes deligare oportet, inungere, ac dirigere. Deinde diſparato ore, pennam oleo illitam immittere, cyprino præſertim, aut Irino, aut narciſſino, & vomitum irritare: quo incumbentes ex ſtomacho humores extrahantur. Oportet etiam odoramentis ſenſum irritare, velut peucedano, aut ſucco Cyrenaico. Perſeverante verò exacerbatione, Medicus confidenter cogens, ac mandibulas diducens, caſtoreum ori infundat, & ſuccum Cyrenaicum cum aceto mulſo. Revocatis autem ipſis, per ſedem infundatur centaurii ac calaminthæ decoctum, aut ariſtolochiæ: deinde recuperatis viribus, per hieram ex colocynthide purgetur.* Sic Græci authores, atq; etiam ipſi Arabes, uno & eodem remediorum conſenſu, iſtius mali paroxyſmos ſedare & profligare conati ſunt, ſecuti hac in re Galeni conſilium lib. de loc. affect. explicatum.

Atq; his veteres præſidiis ægros, ſive nobiles, ſive infimæ ſortis homines ex paroxyſmis in omni epilepſiæ ſpecie reſtituebant. Quorum

rum quidem remediorum formulas verbum verbo ferè ex eorum ſcriptis excerpſimus, ut, quod ſit in medendi methodo inter antiquos Dogmaticos, & recentiores eorum adhuc ſectatores, tum in ipſa medicamẽtorum varietate, tum eorum diverſa præparatione, adminiſtratione & uſu diſcrimen, eluceſcat, quod ipſis oculis ſubjiciemus. Patefacienda enim nobis eſt continua quadam ordinis ſerie (ne confuſionem inducamus) therapeutica curatio, quam ſpeciatim in infantulis, adhuc ex mamma pendulis, & potentioribus remediis ſuſtinendis (quæ grandiores ferre poſſint impari bus, obſervabant ac uſurpabant. Cùm enim lactãtes infantes huic morbo frequentiùs ſint obnoxii, ex eoq; ſæpiùs mortem incurrant: eorum ſaluti, quantum ab iis fieri potuit, ſedulò proſpexerunt.

Inter veteres Græcos Dogmaticos copioſiſſimè ac ſpecialiſſimè omnium curam infantum, hujuſmodi epilepticis inſultibus conflictatorum, aggreſſus eſt Aretæus Cappadox: cujus idcircò diſertè ipſiſſima verba & voces viſum eſt huc trajicere, quòd iis ſigillatim ac minutim, quæcunque ad infantis, epileptico paroxyſmo convulſi, reſtitutionem faciunt, videatur de induſtria aperire & explicare: *Curat. pro infantib. epilept.* *Pueris itaque, inquit, quibus ex corruptione, aut ex vehementi refrigeratione, inuſitata hæc*

 labes

labes inceſſit, vomitus aut cibi, aut pituitæ, aut aliorũ quorundam ciborum, prodeſſe conſuevit. Pennæ autem Irino unguento, id eſt, oleo delibutæ nauſeam excitant. Veruntamen & Irino, non uſq; ad convulſiones, tonſillæ ſunt illinendæ. Comprimere quoq; leviter ilia opus eſt, puerum in ventrem ſuſpenſum convertendo. Hæc enim figura ad vomitum habiliſſima eſt. At ſi vellatur, aut diſtorqueatur inferior maxilla aut manus & crura jactentur, aut unà cum toto corpore oculi diſtendantur, manibus perunctis tractando, demulcere convenit: obtorti oculi dirigendi ſunt: rectæ partes ne torqueantur, ſuaviter cõtinendæ: frigida membra lanis, antiquis, ſordidis, attritisq; panniculis fovenda. Sedem præterea melle cum rutaceo inungito, aut cum nitro, aut reſina liquida cum his mixta. Hæc quoq; leniter intra anum intrudito. Flatus enim proliciunt. Flatuum autem excretio hujuſce mali in pueris medela eſt. Porrò ſi deglutire valeant pharmacum, iſtud exhibendum eſt: cardomomi pars, æris combuſti ℈ j. hæc ex mulſa propinato. Aut enim evomunt unà cum humoribus ventriculum infeſtantibus, aut alvus ſubducitur. Optimum quoq; eſt ejuſmodi linctuarium: cardomomi, ſynapis, hyſſopi comæ par pondus, radicis Iridis partẽ cum nitro miſceto, & maxillam diducens in os effundito. Interius etiã, quàm ubi ſunt tonſillæ, quo deglutire valeãt, injicito. Hæc adeò pueris

pueris expediunt. Juvenibus quidem & hæc quidem proſunt, verùm potentiora etiam hîc medicamina ad vomitum deligenda ſunt, ut narciſſi, bulbi, ſynapis & hyſſopi pares partes, æris & piperis dimidio minus quàm priora, cum melle miſcens, exhibe. Hæc profectò ad levandã exacerbationem abundè fuerint. Hæc Aretæus, antiquiſſimus & celeberrimus ſcriptor, quem cõſtat nulli ſectæ addictum fuiſſe, ut ipſemet apertè oſtendit, cùm à Democrito, Archigene, Hippocrate, Ariſtotele & quibuſdam aliis diſſentiat. Hippocrate quidem ætate poſterior eſt: ſiquidem eum nonnunquam teſtem adducit, ejusq; dicendi formam, hoc eſt, brevitatem cum gravitate conjunctam, præ cæteris omnibus æmulatur. At Galeno cognita fuiſſe ejus ſcripta nuſquam apparet, quùm eorum nullã uſpiam ſuorum librorum mentionem faciat, & ſi ætate Galenus poſterior fuerit Ægineta, videtur ejus libros legiſſe, quùm ſic quartum ſuum librum auſpicatur: *Aretæum Cappadocem ita dicere arbitror, &c.* Aëtius de illo quoq; variis in locis verba facit. Inter Ionicos dictione, elocutione & ſententiis excellit: cujus interpretem habuimus celeberrimum noſtri ſeculi virum, Paulum Junium Craſſum. Hoc unum deſideratur, quòd Græcum ipſum exemplar, multis in locis carie & vetuſtate eroſum, interpretatio-

nem nobis mutilam, imperfectam, diſſutam & laceram reliquerit. Ita ut prima quatuor totius operis capita, quæ de cauſis & ſignis acutorum morborum agunt, deſiderentur, aut tota imperfecta ſint. Imò etiam quintum ipſum caput, de epilepſia, de qua hìc agimus, diſſerens, principio ſuo truncatum ſit. Sed ab inſtituto curſu quodammodo digreſſi ſumus, quod idcircò fecimus, ut antiquitatem & præſtantiam hujus authoris palàm exhiberemus: qui in curatione, vel infantum, hujuſmodi remedia metallica, aliaq; id genus perniciosa potiùs quàm ſalutifera, quæque intra corpus ingeri ſit nefas & lethale ex multorum opinione, tamen non reſpuit: imò admittit audacter, nec veretur ipſis infantibus lactantibus æs uſtum, citra aliam ullam præparationem, ad ſcrupuli unius doſim; vel majorem etiam grandioribus, ad provocandum vomitum, præſcribere. Quo evacuationis genere æquè frequenter ac feliciter in hujuſmodi ac pleriſque aliis affectibus utebatur Antiquitas, ut poſthac ſuo loco apertiùs dicemus. Quod tamen remedii genus pleriq; omnes execrantur, tanquam antimonium redolens. Quod tamen à perito artifice & Medico, non ignaro empirico, ita debitè præparari & adminiſtrari poteſt, ut citra vim ullam, & noxam minorem eâ, quæ ex el-

Antiqui etiam uſi ſunt metallicis.

ex elleboro albo (convulſivo utique tam uſitato & familiari Hippocrati & Galeno, totique Antiquitati,) fœliciſſimo cum ſucceſſu exhiberi poſſit. Nec tamen loquor de vitro illo antimonii, cujus uſum, utpote à ſuo veneno, non ſatis, nec ex arte repurgati, libro noſtro de ſpagyrica præparatione ante viginti & ſeptem annos edito, improbavimus & abjecimus. Veruntamen exemplum de antimonio attuli, ut oſtendam, perinde ac ex ære uſto, ſic ab antimonio, quæ vitriolatæ ſunt utrumque naturæ: nec non ex vitriolo, ipſoque mercurio, ſulphure & aliis id genus mineralibus & metallicis, non minùs utilia, imò etiam præſtantiora remedia elici poſſe, in omnes aſtralium tincturarum, & fixas radices habentium affectus, quàm ex vegetabilibus parari ſolent, aut poſſunt. Veteres thermis & metallicis aquis calidis uſi ſunt. Quod ex ipſo Aretæo videre eſt lib. 1. de cur. diut. morb. cap. 5. de curat. melanch. *Medicamenta enim, quæ in his ſunt ingenita, inquit, (de aquis ſpontè calidis loquens) opem ferunt, bitumen videlicet aut ſulphur, aut alumen, ac multò his plures aliæ facultates.* Quin etiã hodierni noſtri medici, qui tantoperè ejuſmodi remediorum metallicorum uſum aſpernantur & rejiciunt, ad ea ipſa confugere coguntur, & ſuos ægros ablegare, quibus nullam opem

Præſtantia mineral. medicam.

Galen. mineralia aſpernantibus eadem ſunt extremum refugium.

opem ex variis ſuis vegetabilium auxiliis ferre queunt, de eorumque reſtitutione deſperant. Unde tot tamq; fœlices exitus ſortiuntur ægri (ut omnium oculis experientia patet) ut ad ipſam experientiam ejuſmodi detrectatores & contemptores obmuteſcere debeant,& à tàm utilium ac ſalubrium medicamentorum contemptu ac contumeliis deſiſtere. Sed ad inſtitutum redeamus, & productis in medium antiquorum auxiliis, quibus in genere, in ipſis morbi paroxyſmis utebantur, nunc primò communia aut vulgaria, quorum adhuc hodie in hunc finem apud Dogmaticos continuus eſt uſus, nec non apud eos etiam, qui elegantes illas Hermeticorum præparationes delibarunt, afferamus. Quo peracto, ad prophylacticen ex præſcripta methodo nos accingemus, in qua antiquorum quoq; remedia, ad radicitùs eruendum hoc diuturnum malum, ut non ampliùs recurrat, vel ſaltem ad paroxyſmos ejus moderandos ac mitigandos, eorumq; frequentiam remorandam apta & congrua patefaciemus. Ac tandem toti huic negotio ornamenta illa Hermeticorum præſidiorum, ac elegantes præparationes ſpagyricas, ex vegetabilibus, animalibus & metallicis ſubſtantiis depromptas, tanquam colophonem addemus. Ubi nec in ejuſmodi malum ſpecificas medi-

medicationes reticebimus. Ac inprimis de illis in genere agemus: poſtea in formulas ea redigemus, ut tyrones quoq; ex noſtro hoc ſcripto fructum aliquem reportent, avidiusque ipſum, ſpe fructus ex eo percipiendi, amplectantur.

CAPUT XIII.

Particulares indicationes, cum nonnullis remediorum formulis è Dogmaticorum penu depromtis, ad paroxyſmi epileptici reſtinguendam ferociam, deſcribuntur.

UT igitur præſentē mali exacerbationem aut paroxyſmum profligemus, præcipuæ erunt intentiones & ſcopi, ut promptè materia diſſipetur, aut excoquantur craſſi illi vapores malum inducentes, aut ut materia evacuetur, revellatur, atq; aliò adigatur, corrigatur, contemperetur, aut infringatur venenoſa illius & virulenta acrimonia, tandemq; cerebrum, aliæq; corporis partes affectæ corroborentur. Quod præſtabitur tàm intrinſecus aſſumptis medicamentis, quàm extrinſecùs admotis: ut nimirum in diſcuſſionem aut coctionem vaporum ejuſmodi, aquas theriacales, odoramenta & ſuffitus varios, linimenta *Indicationes parox. epilep. reſpicientes.*

Google

menta ex oleis, nec non emplaſtra, cataplaſmata, ſacculos, & id genus alia uſurpemus ac diſtribuamus. Ad revulſionem verò & derivationem, aut etiam evacuationem, purgantia, vomitiva, clyſteres, errhina, maſticatoria, veſicatoria, cucurbitas, ligaturas, frictiones adhibeamus. At commoderatio & correctio malignæ ac venenoſæ materiæ, alexipharmacis præſtabitur antiepilepticis, ac ex tota forma ſpecificis propriiſq; medicamentis. Quod ad corroboratione͂ partium & horrendorum ſymptomatum, huncaffectum comitantium, lenitionem ac mitigationem attinet (quales ſunt diſtorſiones, cõvulſiones aut ſpaſmi, dentium ſtridores, exſpumationes, atque id genus alia) iis rationibus ſuccurretur, quas alicubi explicabimus.

Atque hi ſunt ſcopi, ac univerſalis ordo, quem citra perturbatione͂ ſequi decrevimus, quemq; ab omnibus veris Dogmaticis, in paroxiſmis hujus morbi profligandis, inſtitui par eſt. At quùm ejuſmodi epileptici inſultus ſæpiùs ſint ferociſſimi ac vehemētiſſimi, horrendoq; modo ægrū adoriantur, uſq; adeò, ut nō modò aſtantes terrore percellat, ſed vel ipſos etiam celeberrimos ac in arte expertiſſimos Medicos in ſtuporem adducat: quiq; etiam frequentiùs, non prius ab ægris diſceſſionem faciunt, quàm eos jugulaverint: quàm prom-

promptiſſimum tum, ac celerrimũ adducendum eſt auxilium, non expectatâ eâ curandi methodo, quam ſuo ordine præſcripſimus. Periculum enim eſt in mora. At eum quidem ſequemur ordinem, cùm inducias morbus concedet, & diuturnitatem quandam atque temporis intervallum promittet ac erogabit.

Quùm autem infantuli, vel ex mamma pendentes, hujuſmodi affectionibus maximè ſint obnoxii, ac in eas proclives (quorũ utiq; major eſſe debet quàm aliorũ commiſeratio) æquum eſt, ut ab eorum cura auſpicemur, eaq; notemus auxilia, quæ pro ætatis eorum tenellæ, imbecillisq; naturæ ratione, ſpecificâ ſuâ proprietate fœlicem opem ferre poſſint.

Tunc igitur, cùm inſultum morbi patientur, quàm citiſſimè fieri poterit, oris pituitoſa ſpuma detergebitur, dentes diducentur, ac obſtabitur, ne lingua iis contractis & cõpreſſis, ſaucietur, aut etiã amputetur. Quod præſtabitur cochleari ab argẽteo inter ſuperiores & inferiores dentes interpoſito, ac ſatis profundè in guttur demiſſo, aut aliquo ex liquiritia bacillo, vel ex pæonia, vel etiã eburneo, ſi quid ſolidiùs deſideratur. In quod apertum gutturis ſpatiũ, digitus oleo amygdalarũ dulciũ delibutus, ad pituitã aut phlegma educendum, immittẽdus eſt. Quo etiã temporis momento nutrix ab occipitio totam ſpinæ dorſi longi- *Ad paroxiſ. infantum infringendum.*

longitudinem infantis perfricabit, ac innuget oleo ſequenti compoſito.

℞ *oleorum rutacei, lumbricorum, anà* ℥ ij. *olei de caſtoreo* ℥ j. *aquæ vitæ parum, miſce.* Eodem oleo brachia & crura, ſi contrahantur, confricabuntur & inducentur, utriuſque pedis pollicem, nec non & manuum digitos comprimendo, aut aliqua alia ligatura mediocri conſtringendo. Sertulum etiam ex ruta & pæonia, additis ſuo tempore liliorum convallium, calendulæ & tiliæ floribus, naribus olfaciendum præbebitur. Nec non aurium limina, nareſq; atq; tempora ſequenti compoſitione fovebuntur.

℞ *theriacæ Alexand.* ʒ j. *confect. Alkermes, & de hyacintho anà* ℈ j. ſ. *aquarũ pæoniæ, liliorum convallium & ceraſorum nigrorum anà* ℥. ſ. *aquæ cinnamomi* ℥. ſ. *miſce.* Quinetiam ſi ad cochlearis argentei menſuram, de eadem aqua, adjecto modico ſyrupi de pæonia, infanti ſorbendum detur, utiliſſimum fuerit. Capiti etiam, nec non ventriculi orificio, inducetur hoc ſequens cataplaſmatis aut cerati genus.

Cataplaſma ℞ *pulveris rad. Ireos, flor. pæoniæ, viſci q. anà* ʒ j. *pul. flor. menthæ, hyperici, betonicæ, thymi, major. anà* ʒ. ſ. *pul. ſem. pæo. bacc. junip. anà* ʒ j. ſ. *theriaces, mithridatii anà* ʒ vj. *olei de caſtoreo* ℥. ſ. *olei aneth. rut. & menthæ anà* ℥ j. ß. *mithridatium*

tium & theriaca cum oleis ad ignem liqueſcant: deinde ſenſim extra ignem, pulveres addantur, & fiat inſtar cataplaſmatis, vel addita cera inſtar ceroti. Hoc ſuper linteo extenſum, & in emplaſtrum forma literæ T. concinnatum, coronali ſuturæ ſuperinducetur; aliudque in ſcuti ſtomachalis figuram orificio ventriculi, nec non eâ parte colli, quâ occipitio committitur, quam nucham vocant, apponetur.

Quibus utiq; remediis ſi malum non vincatur, ac paroxyſmorum crebra recurrat iteratio, remiſſionum & quietis intervallis, vomitus pennâ, oleo amygdal. dulcium perfuſâ, ſatis altè in guttur demerſâ, provocabitur. Aut in eundem ſcopum *accipe aceti ſcyllitici, cochlearis argentei menſuram, olei amygdalarum dulcium ſemicochlear, ſacchari anthoſati modicum: fiat mixtio, quæ infanti ſorbenda exhibeatur.* *Vomitoriũ.*

Ad incidendam autem materiam mucilaginoſam, cujus ex vaporibus hujuſmodi paroxyſmi ſuſcitari poſſunt, eamq; leni aliquo vomitorio educendam: pronus erit in faciem, & ventriculum componendus infans ad lenem ignem, ne frigus contrahat, quo ſic faciliùs vomitus conſequatur. Quin & ſi commodè ei injici poteſt clyſter, paretur ſequens in hunc modum.

℞ rad. ariſtolochiæ rotundæ, polypod. q. ſemi- *Clyſter.*

nis carthami ana ℥ ij. *ſeminis paon. cumini ana* ℥ j. ß. *fiat decoctio ex lacte. De qua* ℞ ℥ v. *vel* vj. *hieræ picræ Gal.* ℥ iij. *mellis anthoſati* ℥ j. *olei rutacei & liliorũ ana* ℥ j. *miſce, fiat clyſter.* Clyſteris locum, ſi eo infans uti non poteſt, ſupplebit glans vel ſuppoſitorium ſatis acre. Omitto hic ptarmica, quorum poſthac plures licebit deſcriptiones conſpicere: quibus ſub finem remediorum omnium, & in extremis tantùm utendum eſt. Etenim in infantulis & mollities & imbecillitas cerebri, ut plurimũ etiam mole humiditatum & vaporum gravati, ſuſpecta eſſe debet, verendumq;, ne, ſi ea materia ſternutatorio commoveatur, repentina illa agitatione ii potiùs ſuffocetur, quàm in meliorem ſtatum reſtituantur. Idcircò cautè & prudenter ejuſmodi remedia infantibus adhibenda ſunt, ne ſecus quàm par eſt, res ſuccedat.

Ptarmica infantibus cautè adhibenda.

Atque hæc commemorata ſint ſubſidia, quæ ab urgente paroxyſmo infantes liberare ſolent: quorum præparatio facilis, uno propè momento expediri poteſt, & ea, pro quavis temporis & morbi occaſione, promptè adminiſtrari. Similia etiam in eundem finẽ occurrunt ex vegetabilibus remedia, quæ non deſinunt eſſe ſpecifica, ſed longioris & exactioris præparationis, quàm quæ vulgaria ſunt, quæque artificem medicum exigunt,

gunt, non verborum tantùm peritum, ſed rei ipſius, hoc eſt, artis ſpagyricæ non ignarum: quorum auxiliorum aliquot hic formulas adnectemus: ſed quùm ejuſmodi præparationes longiuſculum aliquod temporis ſpatium requirant, maturè ea præparanda erunt, ut urgente neceſſitate præſtò ſint, in cujuſvis ægrorum ſexus & ætatis ſubſidium.

Rondeletius ex primis meis præceptoribus unus, magni utique nominis vir, & qui ex variis, ſive in Italiam, ſive aliò, peregrinationibus ſingulares & raras experimentorum obſervationes retulit, hanc ſuam in utramque hujus mali curationem ſpecificam habebat hirundinum aquam, cujus ex ſcriptis formula peti poteſt. Nec ſat ſcio, qua primùm conjectura aut ratiocinatione ejuſmodi avium proprietas & virtus in hujuſce affectionis auxilium perſpecta ſit congruere, ut ex illis aqua in hunc uſum extillaretur; niſi fortè ex Alex. Trallian. ſcriptis libro 1. cap. 5. ubi de his tractat, quæ naturaliter ad comitiales valent, tracta ſit experientia. Scribit enim author ille, inter alia multa ſpecifica remedia, quæ ab Archigene, Apollonio, Theodoro, Xenocrate, & antiquis aliis medicis & philoſophis mutuatur, hoc quoque mirificè agere: duos

Aqua antepilept. ſpecifica Rondeletii.

pharmacopœæ Dogmaticorum noſtræ reſtitutæ diſertè & ſpeciatim docuimus. Hujus aquæ ægrotantibus grandioris ætatis, propinandum erit ad dimidium cochlearis argentei, ſi ægrum à lapſu & ſopore ſuo excitare, & paroxyſmum abigere intentio fuerit. Infantulis verò paulò minus erit exhibendum. Ut autem recurſuris paroxyſmis proſpiciatur, & præcaveatur eorum reditus, per aliquot dies cõſequentes cõtinuandus erit ejus uſus, prout dicemus, cùm de cura epilepſiarũ agemus.

Doſis.

Alia prædicta aq. præparatio.

Hanc eandem aquam, alia præparandi & componendi via, ſic aliquando concinnavi.

℞ iiij. *aut* v. *hirundinum nidos, quos in fruſta, cum ipſis plumis aut lanugine ac viſceribus, diſſecabis, coquantur in* v. *aut* vj. *hydromelitis ſextariis, eo modo, quo aliæ carnes in olla elixantur. Iis adde radices & ſemina pœoniæ, angelicæ, viſci q. raſuræ cranii humani, cornu cervini, granorum juniperi conquaſſatorum, dictamni, meliſſæ, betonicæ, thymi, hyſſopi ana q. vol. juſculum prælo fortiter exprimatur, ac percoletur. Expreſſioni aut colaturæ ſequentia adjiciantur; macis, nucis moſchatæ, caryophyllorum, cinnamomi ana* ʒ ij. *caſtorei* ℥. ſ. *florum purpureorum anagallidis, liliorum convallium, tiliæ arboris, roſmarini, ſalviæ, betonicæ ana pugillum unum, aut alterum, croci* ʒ. ſ. *camphoræ* ʒ ij. *aquæ florum primulæ veris & calendulæ ana* ℔. j. *macerentur*

ventur ſimul omnia ad aliquot dies: dein fiat liquoris deſtillatio ex arte: cujus & in ipſo paroxyſmo, & extra ipſum, prout morbus exiget, exhibeatur ſemicochleare. Eodem liquore aurium & narium patientis inferiora foveantur. Non alia ratione, ſed ſimili propè modo ex Picis laudatiſſima paratur aqua, huic affectui congruentiſſima, quam in noſtra quoq; Dogmaticorũ reſtituta Pharmacopœa deſcripſimus. *Doſis.*

Si mulier fuerit, quæ hoc morbo torqueatur, metusq; ſit, hunc affectũ aliqua hyſterica affectione ſtipari: ſuccurretur illi galbani, rutæ, aſæ fœtidæ, pennarũ perdicinarum toſtarũ odoramentis naribus exceptis, quibus matrix ad infernas partes deturbetur: fortes etiã ligaturæ femoribus & cruribus adhibeantur: nec non cucurbitæ, aut terrea ſcatella, vino imbuta, in quo meliſſa, calamenthum, matricaria, & id genus alia incocta fuerint, linteo involuta calidè umbilico adaptetur. Cæterùm intrinſecus & extrinſecus alia, quæ jam commemorata ſunt, præſidia adminiſtrabuntur, niſi fortè doſis medicamentorum augenda ſit, & clyſteribus, ex cephalica decoctione factis, benedicta laxativa, hiera Paccii adjiciantur, atq; inter mella, mercuriale, ſuffocationibus omnibus matricis ſpecificum & peculiare medicamentum: quibus adhuc unica vel duæ caſtorei drachmæ addi poſſint. *Quomodo mulieres hyſterica paroxyſ. epilept. correptæ ſint tractandæ.*

menta ex oleis, nec non emplaſtra, cataplaſmata, ſacculos, & id genus alia uſurpemus ac diſtribuamus. Ad revulſionem verò & derivationem, aut etiam evacuationem, purgantia, vomitiva, clyſteres, errhina, maſticatoria, veſicatoria, cucurbitas, ligaturas, frictiones adhibeamus. At commoderatio & correctio malignæ ac venenoſæ materiæ, alexipharmacis præſtabitur antiepilepticis, ac ex tota forma ſpecificis propriisq; medicamentis. Quod ad corroboratioñe partium & horrendorum ſymptomatum, hunc affectum comitantium, lenitionem ac mitigationem attinet (quales ſunt diſtorſiones, cõvulſiones aut ſpaſmi, dentium ſtridores, exſpumationes, atque id genus alia) iis rationibus ſuccurretur, quas alicubi explicabimus.

Atque hi ſunt ſcopi, ac univerſalis ordo, quem citra perturbationẽ ſequi decrevimus, quemq; ab omnibus veris Dogmaticis, in paroxiſmis hujus morbi profligandis, inſtitui par eſt. At quùm ejuſmodi epileptici inſultus ſæpiùs ſint ferociſſimi ac vehemẽtiſſimi, horrendoq; modo ægrũ adoriantur, uſq; adeò, ut nõ modò aſtantes terrore percellat, ſed vel ipſos etiam celeberrimos ac in arte expertiſſimos Medicos in ſtuporem adducat: quiq; etiam frequentiùs, non prius ab ægris diſceſſionem faciunt, quàm eos jugulaverint: quàm

prom-

promptiſſimum tum, ac celerrimũ adducendum eſt auxilium, non expectatâ eâ curandi methodo, quam ſuo ordine præſcripſimus. Periculum enim eſt in mora. At eum quidem ſequemur ordinem, cùm inducias morbus concedet, & diuturnitatem quandam atque temporis intervallum promittet ac erogabit.

Quùm autem infantuli, vel ex mamma pendentes, hujuſmodi affectionibus maximè ſint obnoxii, ac in eas proclives (quorũ utiq; major eſſe debet quàm aliorũ commiſeratio) æquum eſt, ut ab eorum cura auſpicemur, eaq; notemus auxilia, quæ pro ætatis eorum tenellæ, imbecilliſq; naturæ ratione, ſpecificâ ſuâ proprietate fœlicem opem ferre poſſint.

Tunc igitur, cùm inſultum morbi patientur, quàm citiſſimè fieri poterit, oris pituitoſa ſpuma detergebitur, dentes diducentur, ac obſtabitur, ne lingua iis contractis & cõpreſſis, ſaucietur, aut etiã amputetur. Quod præſtabitur cochleari ab argẽteo inter ſuperiores & inferiores dentes interpoſito, ac ſatis profundè in guttur demiſſo, aut aliquo ex liquiritia bacillo, vel ex pæonia, vel etiã eburneo, ſi quid ſolidiùs deſideratur. In quod apertum gutturis ſpatiũ, digitus oleo amygdalarũ dulciũ delibutus, ad pituitã aut phlegma educendum, immittẽdus eſt. Quo etiã temporis momento nutrix ab occipitio totam ſpinæ dorſi longi-

Ad paroxiſ. infantum infringendum.

longitudinem infantis perfricabit, ac inunget oleo ſequenti compoſito.

℞ *oleorum rutacei, lumbricorum, anà* ℥ ij. *olei de caſtoreo* ℥ j. *aquæ vitæ parum, miſce.* Eodem oleo brachia & crura, ſi contrahantur, confricabuntur & inducentur, utriuſque pedis pollicem, nec non & manuum digitos comprimendo, aut aliqua alia ligatura mediocri conſtringendo. Sertulum etiam ex ruta & pæonia, additis ſuo tempore liliorum convallium, calendulæ & tiliæ floribus, naribus olfaciendum præbebitur. Nec non aurium limina, nareſq; atq; tempora ſequenti compoſitione fovebuntur.

℞ *theriacæ Alexand.* ʒ j. *confect. Alkermes, & de hyacintho anà* ℈ j. ſ. *aquarũ pæoniæ, liliorum convallium & ceraſorum nigrorum anà* ℥. ſ. *aquæ cinnamomi* ℥. ſ. *miſce.* Quinetiam ſi ad cochlearis argentei menſuram, de eadem aqua, adjecto modico ſyrupi de pæonia, infanti ſorbendum detur, utiliſſimum fuerit. Capiti etiam, nec non ventriculi orificio, inducetur hoc ſequens cataplaſmatis aut cerati genus.

Cataplaſma ℞ *pulveris rad. Ireos, flor. pæoniæ, viſci q. anà* ʒ j. *pul. flor. menthæ, hyperici, betonicæ, thymi, major. anà* ʒ. ſ. *pul. ſem. pæo. bacc. junip. anà* ʒ j. ſ. *theriaces, mithridatii anà* ʒ vj. *olei de caſtoreo* ℥. ſ. *olei aneth. rut. & menthæ anà* ℥ j. ß. *mithridatium*

tium & theriaca cum oleis ad ignem liqueſcant: deinde ſenſim extra ignem, pulveres addantur, & fiat inſtar cataplaſmatis, vel addita cera inſtar ceroti. Hoc ſuper linteo extenſum, & in emplaſtrum forma literæ T. concinnatum, coronali ſuturæ ſuperinducetur; aliudque in ſcuti ſtomachalis figuram orificio ventriculi, nec non eâ parte colli, quâ occipitio committitur, quam nucham vocant, apponetur.

Quibus utiq; remediis ſi malum non vincatur, ac paroxyſmorum crebra recurrat iteratio, remiſſionum & quietis intervallis, vomitus pennâ, oleo amygdal. dulcium perfuſâ, ſatis altè in guttur demersâ, provocabitur. Aut in eundem ſcopum *accipe aceti ſcyllitici, cochlearis argentei menſuram, olei amygdalarum dulcium ſemicochlear, ſacchari anthoſati modicum: fiat mixtio, quæ infanti ſorbenda exhibeatur.* *Vomitoriũ.*

Ad incidendam autem materiam mucilaginoſam, cujus ex vaporibus hujuſmodi paroxyſmi ſuſcitari poſſunt, eamq; leni aliquo vomitorio educendam: pronus erit in faciem, & ventriculum componendus infans ad lenem ignem, ne frigus contrahat, quo ſic faciliùs vomitus conſequatur. Quin & ſi commodè ei injici poteſt clyſter, paretur ſequens in hunc modum.

℞ rad. ariſtolochiæ rotundæ, polypod. q. ſemi- *Clyſter.*

K *nis*

nis carthami ana ℨ ij. *ſeminis pæon. cumini ana* ℨ j. ß. *fiat decoctio ex lacte. De qua* ℞ ℥ v. *vel* vj. *hieræ picræ Gal.* ℨ iij. *mellis anthoſati* ℥ j. *olei rutacei & liliorū ana* ℥ j. *miſce, fiat clyſter.* Clyſteris locum, ſi eo infans uti non poteſt, ſupplebit glans vel ſuppoſitorium ſatis acre. Omitto hîc ptarmica, quorum poſthac plures licebit deſcriptiones conſpicere: quibus ſub finem remediorum omnium, & in extremis tantùm utendum eſt. Etenim in infantulis & mollities & imbecillitas cerebri, ut plurimū etiam mole humiditatum & vaporum gravati, ſuſpecta eſſe debet, verendumq;, ne, ſi ea materia ſternutatorio commoveatur, repentina illa agitatione ii potiùs ſuffocētur, quàm in meliorem ſtatum reſtituantur. Idcircò cautè & prudenter ejuſmodi remedia infantibus adhibenda ſunt, ne ſecus quàm par eſt, res ſuccedat.

Ptarmica infantibus cautè adhibenda.

Atque hæc commemorata ſint ſubſidia, quæ ab urgente paroxyſmo infantes liberare ſolent: quorum præparatio facilis, uno propè momento expediri poteſt, & ea, pro quavis temporis & morbi occaſione, promptè adminiſtrari. Similia etiam in eundem finē occurrunt ex vegetabilibus remedia, quæ non deſinunt eſſe ſpecifica, ſed longioris & exactioris præparationis, quàm quæ vulgaria ſunt, quæque artificem medicum exigunt,

gunt, non verborum tantùm peritum, ſed rei ipſius, hoc eſt, artis ſpagyricæ non ignarum: quorum auxiliorum aliquot hìc formulas adnectemus: ſed quùm ejuſmodi præparationes longiuſculum aliquod temporis ſpatium requirant, maturè ea præparanda erunt, ut urgente neceſſitate præſtò ſint, in cujuſvis ægrorum ſexus & ætatis ſubſidium.

Aqua antepilept. ſpecifica Rondeletii.

Rondeletius ex primis meis præceptoribus unus, magni utique nominis vir, & qui ex variis, ſive in Italiam, ſive aliò, peregrinationibus ſingulares & raras experimentorum obſervationes retulit, hanc ſuam in utramque hujus mali curationem ſpecificam habebat hirundinum aquam, cujus ex ſcriptis formula peti poteſt. Nec ſat ſcio, qua primùm conjectura aut ratiocinatione ejuſmodi avium proprietas & virtus in hujuſce affectionis auxilium perſpecta ſit congruere, ut ex illis aqua in hunc uſum extillaretur; niſi fortè ex Alex. Trallian. ſcriptis libro 1. cap. 5. ubi de his tractat, quæ naturaliter ad comitiales valent, tracta ſit experientia. Scribit enim author ille, inter alia multa ſpecifica remedia, quæ ab Archigene, Apollonio, Theodoro, Xenocrate, & antiquis aliis medicis & philoſophis mutuatur, hoc quoque mirificè agere: duos

videlicet lapillos, quorum alter ſit niger, alter verò albus. Hunc, inquit, comitiali collapſo imponito, & ægrum excitabit: illũ verò, nigrum ſcilicet, cuti alligato. At hirundines dicuntur primò pullis hos lapillos dare, qui non facilè inveniuntur, niſi univerſis pullis in totum diſſectis. Ego verò iſtis parum fido remediis, aliiſque ſimilibus, de quibus poſthac loquemur. Veruntamẽ ſi iis radices pæoniæ, angelicæ, caſtoreum, & id genus alia adjiciantur, ut ego admiſcere ſoleo, quæ corroborando cerebro, diſcutiendis & abſumendis vaporibus, hunc affectum ſua obſtructione & maligna qualitate generantibus, apta ſunt, eorum potiùs efficaciæ & virtuti auxilii vis, tum promptè ab inſultu paroxyſmi ægrum expediendi, tum mali radicum evellendarum, quàm aliis, tribuenda eſt.

Hæc igitur à me parata, miræ virtutis & certiſſimæ experientiæ, hirundinum aqua in exemplum proponatur.

Aqua hirundinum noſtra deſcript.

℞ *ſuo tempore* vij. *aut* viij. *pullorum hirundinum nidos, ſola tantùm lanugine hirſutorum, nec dum perfectis plumis veſtitorum. Hos in terreo vitreato vaſe firmiſſimè obſtructo, ad reverberandum componito, dum toti pulli in cinerem, cum viſceribus & plumis, redacti ſint. Ex hoc cinere accipe* ℥ iij. *(cujus ſi tanta non ſit copia, de reliquis tantum detrahis, quantum fuerit defectus*

ctus pulveris) cineris cranii humani ℥ ij. *pulveris rad. viſci quer. radicis angelicæ, zedoariæ, ſingulorum ana* ℥ j.ß.*ſeminis pæoniæ, granorum juniperi conquaſſatorum ana* ʒ vj. *caſtorei* ℥ j. *ſucci rad. & foliorum pæoniæ, aceti ſcyllitici ana* ℔ j. *aquarum hyſſopi, florum tiliæ, liliorum convallium, ſalviæ, roſmarini, ana* ℔.j. *macerentur ſimul omnia in vaſe fortiter obſtructo ad aliquot dies in B.M. deinde fiat deſtillatio in cineribus, mediocri igne, ad ſiccitatem. Cavendum, ne deſtillatum aduſtionis ſaporem referat.*

Ut autem hæc aqua corroboretur, & vis ejus augeatur, aridas fæces accipe, easq; in calcem, vi ignis, albiſſimam redige, quibus in manica, aut filtro Hippocratis impoſitis, ſuperfundatur deſtillatus liquor, qui crebra repetitione ſuæ calci reaffundatur, & itentidem trajiciatur, dum totum ſalem, in quo poſita eſt ſumma remedii virtus, ſecum eduxerit & aſportaverit. Atque ſic aquam, non ſimpliciter & craſſè ſtillatam, quales ſunt vulgares, quæ ſtatim muciditatem & corruptionem contrahunt, ſed omnium ſimplicium dotibus ac virtutibus impragnatã, ac diuturnæ conſervationis habebitis. Ex qua admirandos effectus (ex arte ſpagyrica manantes) ſitis ubiq; & ſemper experturi. Quod & de omnibus aliis aquis ſtillatitiis notandum eſt: eas videlicet ſuis ſalibus eſſe condiendas, ſi virtutibus pollere eas optabimus, ut in capite de aquis

pharmacopœæ Dogmaticorum noſtræ reſtitutæ diſertè & ſpeciatim docuimus. Hujus aquæ ægrotantibus grandioris ætatis, propinandum erit ad dimidium cochlearis argentei, ſi ægrum à lapſu & ſopore ſuo excitare, & paroxyſmum abigere intentio fuerit. Infantulis verò paulò minus erit exhibendum. Ut autem recurſuris paroxyſmis proſpiciatur, & præcaveatur eorum reditus, per aliquot dies cõſequentes cõtinuandus erit ejus uſus, prout dicemus, cùm de cura epilepſiarũ agemus.

Doſis.

Alia prædictæ aq. præparatio.

Hanc eandem aquam, alia præparandi & componendi via, ſic aliquando concinnavi.

℞ iiij. *aut* v. *hirundinum nidos, quos in fruſta, cum ipſis plumis aut lanugine ac viſceribus, diſſecabis, coquantur in* v. *aut* vj. *hydromelitis ſextariis, eo modo, quo aliæ carnes in olla elixantur. Iis adde radices & ſemina pæoniæ, angelicæ, viſci q. raſuræ cranii humani, cornu cervini, granorum juniperi conquaſſatorum, dictamni, meliſſæ, betonicæ, thymi, hyſſopi ana q. vol. juſculum prælo fortiter exprimatur, ac percoletur. Expreſſioni aut colaturæ ſequentia adjiciantur; macis, nucis moſchatæ, caryophyllorum, cinnamomi ana* ℥ ij *caſtorei* ℥. *ſ. florum purpureorum anagallidis, liliorum convallium, tiliæ arboris, roſmarini, ſalviæ, betonicæ ana pugillum unum, aut alterum, croci* ʒ. *ſ. camphoræ* ʒ ij. *aquæ florum primulæ veris & calendulæ ana* ℔. j. *macerentur*

rentur ſimul omnia ad aliquot dies: dein fiat liquoris deſtillatio ex arte: cujus & in ipſo paroxyſmo, & extra ipſum, prout morbus exiget, exhibeatur ſemicochleare. Eodem liquore aurium & narium patientis inferiora foveantur. Non alia ratione, ſed ſimili propè modo ex Picis laudatiſſima paratur aqua, huic affectui congruentiſſima, quam in noſtra quoq; Dogmaticorũ reſtituta Pharmacopœa deſcripſimus. *Doſis.*

Si mulier fuerit, quæ hoc morbo torqueatur, metusq; ſit, hunc affectũ aliqua hyſterica affectione ſtipari: ſuccurretur illi galbani, rutæ, aſæ fœtidæ, pennarũ perdicinarum toſtarũ odoramentis naribus exceptis, quibus matrix ad infernas partes deturbetur: fortes etiã ligaturæ femoribus & cruribus adhibeantur: nec non cucurbitæ, aut terrea ſcatella, vino imbuta, in quo meliſſa, calamenthum, matricaria, & id genus alia incocta fuerint, linteo involuta calidè umbilico adaptetur. Cæterùm intrinſecus & extrinſecus alia, quæ jam commemorata ſunt, præſidia adminiſtrabuntur, niſi fortè doſis medicamentorum augenda ſit, & clyſteribus, ex cephalica decoctione factis, benedicta laxativa, hiera Paccii adjiciantur, atq; inter mella, mercuriale, ſuffocationibus omnibus matricis ſpecificum & peculiare medicamentum: quibus adhuc unica vel duæ caſtorei drachmæ addi poſſint. *Quomodo mulieres hyſterica paroxyſ. epilept. correptæ ſint tractandæ.*

Grandioribus infantibus & hominibus eadem propemodum auxilia & adminiſtrandi ratio uſui futura ſunt, augẽdo doſin, pro ætatis & virium uniuſcujuſque obſervatione, valentiora etiam iis citra metum exhibenda. Ingentibus enim medicamentis ac validis in morbo comitiali opus eſt, inquit Aretæus. Expediendo autem ſuis impedimentis cerebro ſumma cura incumbendum, ſi primaria affectione laboret, idq; quàm promptiſſimis remediis fieri poterit, ut errhinis & ptarmicis congruis. At ſi ex ventriculo vitium oriatur, ea ſtatim adminiſtrantur remedia, quæ vomitum concitent. Si aliunde ſuſcitatur, ſuis quoq; auxiliis ſingulæ partes adjuventur. Sequitur in hunc finem ptarmicum.

Ptarmicum. ℞ *rad. Ireos, flor. majoran. ſiccæ, hyſſ. ſem. pæon. nigellæ, Caryophyll. piperis ana* ℈ j. *hell. albi* ℈ ß. *moſchi gr.* iiij. *miſce, fiat pulvis, qui naribus inſuffletur: Vel,* ℞ *ammoniaci* ʒ ß. *pyreth. ſubtiliſſimè pulv.* ʒ ij. *miſce, & malaxa cum ſucco rad. Ireos, fiet maſſula ſecundum artem, de qua cape q.v. & ſuper extrema ſpatula parum ad ignem calefaciendo, calidum medicamentum naribus indito, unde magnam ſeroſæ aquæ copiam prolici videas.* Hoc utiq; ſubſidium cuidam epilepſiæ & apoplexiæ ſpeciei congruit, cùm cerebrum videlicet nimia pituita aut excrementoſa humiditate ſcatet, unde malum procreatur.

Aliud

Aliud etiam poteſt ſternutatorium concinnari, quod naribus non opus fuerit inſufflare, ſed ſolo odore eas ſuffire, unde crebrę & copioſæ ſternutationes ciebuntur. Quæ medendi ratio mihi magis probatur, & ad rem magis appoſita eſt, cùm inſufflati pulveres vim & noxam cerebro delicatiorum hominum & infantum majorem inferant, ipſosq; violentiùs offendant ac lædant.

℞ hellebori nigri ʒ j. maſti. ʒ ß. incidantur & ligentur in nodulo ſubtili, qui maceretur in aqua pæoniæ, aut aliqua alia convenienti, & naſo admoveatur ſubodorandus. Movebit enim ſternutationem ſine violentia, vel ad idem. *Aliud.*

℞ rad. Ireos, cyclaminis anà ʒ j. caſtorei ℈ j. hellebori albi, thymi, ſem. nigellæ ana ℈ ij. aptentur in nodulum, de quo uſus ſit, ut ſuprà.

Veteres præſtantius vomitivum helleboro albo nullum habuerunt. Multa deſcribere poſſemus, minùs quidem vehementia: at aliis omnibus citra diſcrimen tutiora. Sed inter omnia, hoc quod ſequitur, in omnibus id genus affectibus ſingulare & cõgruentiſſimum ſubſidium eſt, *ſal videlicet colcotharis vitrioli extractus, ſi ex ſyrupo ſcyllitico ad ℈ j. propinetur.* *Vomitoriū præſtant.* Mira enim tùm præſtabit. Idem ſal naribus inſpiratus ſternutationem etiam egregiè ciet, citra vim cerebrum ſeroſis ſuis excrementis expediens. Atq; hoc quidem ex ſpagyrica

arte petitum eſt remedium: attamen quod fortiùs nec non fœliciùs operatur ære uſto, quod, ut diximus, in maximo fuit uſu apud antiquos.

Illi præterea, ut epilepticum inſultum ſedarent, inter alia auxilia, ſanguinem ab ipſis ægris profluentem (quod plerunq; accidit ex contuſione ab inopino lapſu ægrorum) vel ex naribus, vel ex aliqua alia corporis parte aſſumebant, eoq́; labia ægri fovebant ac perungebant, ut eos expergefacerent, ac promptè paroxyſmum diſcuterent. Si autem non flueret ſanguis ex lapſu, ſolebant aut pollices pedum configere & lancinare, aut ab alia corporis parte vulnerata, ſanguinem educere. De his ſic ſcribit Alex. Trall. ex Apollonii commentariis, & antiquioribus auxiliis, *comitiali collapſo, inquit, ubi à magnis pedum digitis, ſanguinem lancinatu extraxeris, labia & frontem ipſius inungito, & inde reſurget.*

Didym. Alex. Ben. 1. cap. 37.

lib. 1. cap. 35.

Superſtitioſi curandi modi.

Sunt qui hodie & hujus morbi, & aliorum, qui habentur graviſſimi & incurabiles, auſint ſanationem verbis, chartæ pendulæ inſcriptis characteribus, ſortilegiis & incantationibus promittere. Quam prorſus curãdi rationem, ut abominandam abjicio & execror. Si quidem omnes morbi, ac inprimis qui graviſſimi ſunt (qualis inter alios epilepſia eſt) celeberrimum aliquem Medicum doctiſſimum, ac in

ac in arte ſublimem & verſatiſſimum deſiderant, qui & morborum naturam & eorum cauſas optimè callens, vera & apta remedia potiùs conferat, quàm Terpander ille, Arion & Iſomenes Thebanus, qui, ut ſcribit Agrippa, cantilenis ac ſuavibus melodiis, vel deploratiſſimos morbos profligabāt aut ſedabant. Quæ ut fabuloſa planè & mera ſtulta apud me ſunt: admitto tamen, quod & veri omnes Medici faciunt, non parum ſuaves illas cantiones & melodicos concentus, ſive vocum, ſive inſtrumentorum muſices, imò quamplurimùm, ac fœliciſſimè, multis affectibus prodeſſe. Hac enim ratione conturbatus ſpiritus componitur, & quieti ſuæ reſtituitur, ut ex hiſtoria Davidis apud Saulem regem diſci poteſt. Quin & recipio, quod ab aliis quibuſdam autoribus ſcribitur, eos nempe, qui à tarantulis punguntur, ad eam inſaniam redigi, qua perpetuò ſaltitant, nec iſta deſipientia priùs liberari, quàm ſuavibus concentibus ac muſices & inſtrumentorum harmonia ea ſedata ſit. Simile quid teſtantur mellitæ illæ voces, quibus ſuaviter demulcemur & faſcinamur. Ut enim acerbis & minacibus verbis ſæpenumerò cōmovemur, & in furorem adigimur: ſic blandis contrà & amicis ſermonibus componimur ac demulcemur, uſq; adeò tanta eſt in ſpiritus noſtros verborum vis & efficacia.

Muſici concentus facultas.

In hunc finem Menander doctum hoc ac veriſſimum ſcriptum reliquit:

Sermo enim eſt triſtitiæ remedium ſolus,
Triſtitiam enim benevolus ſcit medicari ſermo,
Sermo medicus eſt, quæ eſt in animo, paſſionis.
Animi ægrotantis eſt medicina ſermo,
Maximum iræ eſt remedium ſermo.

Neq; ex his inferri debet, incantationũ, verborum inſuſurrationum, characterum collo appenſorum, & id genus aliorum remediorum, certum firmumq; eſſe fundamentum, cui inniti debeamus. Quòrum quidem nonnulla à veteribus uſurpata ſunt, ut qui de iis etiam loquuti ſint, quæ alligantur, & quæ naturaliter comitialibus obſiſtunt, ut ſcribit Trallianus ex cõmentariis Archigenis. Quæ quidẽ remedia à noſtris hodie amuleta nuncupantur. Jaſpis aëreum colorem habens, aut ſimilis callaino digito impoſitus geſtatur & liberat. Itemq; aſini frons cuti alligata, geſtataq; idem præſtat: ut & chryſolytus & corallium faciunt ex eodemmet Tralliano. Galenus uſus eſt, & apprimè laudavit, radicem pæoniæ collo appenſam: cujus ſimilem habet effectum viſcus querc. Commendatur etiam hodie alcis ungula, cujus ſive totum, ſive pars in pugnum complicata confeſtim paroxyſmum abigit. Ab aliis eadem in annulos conformatur, quæ ex aliquo digito vulgò geſtari ſolet. Indagandi autem hujus auxilii cauſam

Trall. lib. 1. c. 15. ſub finẽ.

Amuleta antepileptica.

Gal. ſimpl. 5.

ſam

ſam & anſam præbuerunt multorum ſcriptorum commentarii: qui, cùm hoc animal hujuſmodi caduco morbo obnoxium eſſe ſcribant, ubi inſultu ſe invadi percipit, ſolere, ajunt, ungulam pedis ad aurem admovere, ſeque hoc à paroxyſmo liberare. Sed hujuſmodi virtutum ac miraculorum perrara aut nulla etiam adhuc experientia & veritas mihi innotuit. Quorum tamen auxiliorum proprietates nolim prorſus explodere aut denegare; præſertim ſi à docto medico & in veterum ſcriptis, ceu ſunt Alberti Magni, & aliorum magnorum Philoſophorum, qui de lapidum virtutibus, & id genus aliis, phyſiognomicam quandam naturam præ ſe ferentium cõmentarios conſcripſerunt, exercitatiſſimo ea in conſilium & uſum tutæ ac legitimæ adminiſtrationis præſcripta fuerint. Nec alia ratione compulſus eſt Galenus ad uſum pæoniæ, quam è collo ſuſpendebat geſtandam, quàm eo, quòd in ejus experientia verſatus, agnoſcebat etiam eam citra vehementem calefactionem reſerandi viribus pollere, aut tenuitate partium & odoris vi, per ſuam anathymiaſin, diſcutiendæ materiæ venenatæ epilepſiæ facultatem obtinere. Quibus virtutibus ſignaturam ipſam hujus plantæ adjiciemus, cujus caliculus aut caput, ante quàm flores ex eo excludantur, analogiam quandam habet *Signatura Paoniæ.*

& ſi-

& ſimilitudinem ad cranium humanum, in quo futura coronalis ſpectatur, in cujus partibus interioribus rubor quidã florum, in obſcuro nigreſcens, fulminis alicujus ſimilitudinem exhibet, quaſi ipſam epilepſiam (ſideratum morbum) in cranio repræſentans: quæ idcircò congruum huic morbo medicamentum eſſe teſtatur. Inducti porrò quadam ſuperſtitione veteres ad oracula confugerunt, ut huic morbo tàm gravi & occulto ſubſidiũ compararent. Qua de re ſic ſcribebat idem Trallianus ibidem: *Democratem Athenienſem ferunt, quùm adoleſcens eſſet, & morbo comitiali teneretur, ad Delphos profectum fuiſſe, & ibi Deum rogaſſe (quùm pleriq; ei offerrent alligandamorbo contraria) quali ex eis uteretur, hocq; à Pythia reſponſum accepiſſe:*

De grege ſume capræ majores ruris alumnæ
Ex cerebro vermes, & ovis dato tergora circum
Multiplici vermi, pecoris de fronte revulſo.

Democrates, quùm hæc audiviſſet, meditabatur, quid tunc Deus (Dæmonem intelligendum) loqueretur. Profectus autem ad Theognoſtum Democratium, nonageſimum octavum annum jam agentem, ei oraculum denunciat: qui miratus vehementer Dei prudentiam, vatis Pythiæ obſcuritatem & obliquum dictum, ſententiam vatis in hæc verba aperuit. Gregariarum, inquit, caprarum caput naturaliter multis vermibus, juxta cerebri baſim,

ſim, plenum efficitur, ac ſternutamentis animali obortis, multi vermes in nares capræ inſiliunt: oportet igitur veſte ſubſtrata, ne terram attingant, illos excipere, unum vel tres, & inditum pelli nigræ ovis, tenero collo alligare: atq; hoc naturaliter adverſari. Quod auxilii genus quis quàm turpiſſimum & inſulſiſſimũ eſſe inficiabitur? utpote quod ex authoris omnis corruptionis, falſitatis & mendacii officina emergat. Sed iſta, ut & plura id genus alia, tanquam abſurdiſſima & ineptiſſima miſſa faciamus, & quam de iis opinionem cõcipiebat idem Trallianus, audiamus, quùm longum poſtea de iis catalogum attexens, in hæc verba (quæ in ſuum uſum Hermetici ipſi trahere poſſunt, adverſus quoſdam pervicaces noſtri ſeculi Dogmaticos) ſic loquitur: *Hæc ſanè à veteribus dicta ſunt, tanquam naturaliter, hoc eſt, latenti natura, efficacia. At quæ nos edidimus, ſecundum quandam viam & rationem, quam Græci methodũ vocant, dicta ſunt: ac convenit peritum omni modo auxiliari, tùm naturalibus utẽdo, tùm ſcientifica ratione, & artificiali methodo, quòd rectà, ut dici ſolet, omnimodo properandum ſit, ut longo morbo & pravo hominem liberes. Mihi ſanè omnibus uti placet. Quia verò pleriq; hoc tempore indocti accuſant eos, qui ut ũtur naturalibus, cavi, ne cõtinuè iis, quæ naturaliter operãtur, uterer, conatusq; ſum*

arti-

artificioſa via, & ratione morbos ſuperare. At novi, non modò comitiales, ſed etiam alios morbos pleroſq; victu & medicamentis fuiſſe perſanatos, &c.

At quid cunctamur in tàm horrendo & deplorando miſerorum epilepticorum ſpectaculo? Cur à tàm crudelibus & ſtupendis cruciatibus, vel fortiſſimum quemque animum proſternentibus, non deterremur? Ex hoc igitur carcere pedem tandem educamus: ſed quò demum greſſum dirigemus? Nunquid cupientes vitare Charybdim in Scyllam devolvemur? At humaniorem fortè, nec vinculis uſq; adeò adamantinis atrocē, cùm captivos, in eo ergaſtulo paulò tolerabiliore, quadam dolorum intermiſſione frui conſtet, & lunari quadam quietis interpoſitione demulceri. At mirum eſt utiq;, in eo cenſu, vel ipſos tiarâ & coronâ præcinctos Reges, monarchas & principes annumerari, nec non cujuſvis ætatis ac ſexus humanum genus nullo diſcrimine, ei aſcribi. Qui quàm vultu ſint mœſto ac Saturnio, cogitabundo animo & demiſſo, quàm truci & acuto aſpectu, quàm pallida facie, contorta & deformi, quàm crebris tinnitibus aures perſonent, & ad audiendum duriores ac tardiores reddantur, quàm vertiginoſum & nutans ſit caput, denique quàm tota corporis conſtitutio depravata ac vitia-

Miſeranda ſymptom. epilept. claſes.

vitiata ſit, ubiq; partium corporis elucefcit, ut
præ pudore tàm turpis & fœdi morbi, cujus
mancipia ſeſe facta vident, terra potius obrui
cupiant. Nec id mirandum eſt. Nam ut ſcri-
bit Aretæus: *Si ſe mutuò in acceſſionibus ſpecta-
rent ægroti, & quæcunq; patiuntur cernerent, ul-
tra vitam ducere non tolerarent: verùm quæ in
ſingulis atrocia, fœdaq; ſunt, ſenſuum privatio,
intuendiq; ſublata facultas, abſcondit.* Attamen
benè, ô amici, ſperare vos jubeo, nec animum
deſpondere: at contra omnem mœſtitiam è
cordibus veſtris excutite, quæ potiùs diris de-
vovenda, & ad Garamanthas releganda eſt,
quàm ut animis veſtris inſideat: juxtaq; Di-
ctatorem ſummum dicite, *ἄνθρωπος ὢν, γίγνω-
σκε τῆς ὀργῆς κρατεῖν.* Si enim in bonam de reſti-
tutione veſtra ſpem erigamini, & de Medico-
rum fide, peritia, ac experientia ſalutari per-
ſuaſi fueritis, attigiſtis jam duo reſtitutionis
veſtræ promptiſſima & certiſſima auxiliorum
capita: præter quæ, nec vobis alia, quorum
copioſa in hac officina ſuppellex ex tabulato
explicabitur, quibus ab omni antiquitatis æ-
vo tùm Dogmatici, tùm Hermetici hactenus
uſi ſunt. Poſt hæc ad ea tranſibimus, quæ ab
utriſq; ſeriatim, ſuis ſeculis inveſtigata & ex-
perientia comprobata ſunt. Atq; ſic in hac eâ-
dem officina, pro ſexus & ætatis ratione, o-
mnes congruas merces effuſas in ſuum uſum

L com-

comperient & inde mutuabuntur. Nec id ſatis: ſed qua via & methodo ea ſibi auxilia applicaturi ſint, tutò edocebuntur. Quod ut faciliùs & fœliciùs præſtemus, gratiam Dei non defuturam nobis ſperamus. Quem idcircò ſupplices oramus, ut omnia ad gloriam ſuam & proximi noſtri utilitatem convertat, ac referat.

CAPUT XIV.

Antiquorum Dogmaticorum epilepſiam curandi methodus, tàm pharmaceutica, quàm chirurgica, cum connexis quibuſdam remediorum deſcriptionibus.

QUÆ igitur remedia ad prophylacticen pertinent, quæq; ab antiquis Dogmaticis, ad præcavendos & prorſus reſcindendos diuturnæ epilepſiæ circuitus ac repetitiones, uſurpata ſunt, & in uſum revocata, ex tribus illis medicinæ inſtrumentis conſtitui debent Diæta videlicet, Pharmacia & Chirurgia. Diætæ explicationem ad calcem hujus conſilii differemus. At quæ auxilia Dogmatici, tùm à Pharmacia, tùm à Chirurgia mutuantur, hic enarrabimus. Sed quùm perturbatè, nulloque docendi ordine veteres ea nobis ſcripta reliquerint: eam in illis

Tria prophylact. inſtrumenta.

illis præſcribendis methodum ſequemur, quæ à recentioribus Medicis, eorum ſectatoribus, obſervata eſt, & nobis tradita: ut inde elucefcat, ſemper arti aliquid multumque defuiſſe, quod ad ejus perfectionem deſideraretur.

Hippocrates non ingentem remediorum ſylvam in hunc affectum invexit, neq; ſatis dilucidè aut ullo ordine illorum adminiſtrandorum formulas inſtituit: cùm ſibi etiam tantùm propoſuerit generalem quandam Medicinæ ideam repræſentare, ita ut ab illo juniores Medici ad praxim formari nequeant, exiguamq; meſſem ex illius ſemente reportare poſſint, cùm ex tàm brevibus & gravibus illius ſententiis non rudiores, ſed docti viri & in arte verſatiſſimi ſoli fructum referant. Inter omnia auxilia purgantia inprimis commendat, in hunc morbum, utriuſq; hellebori uſum, præſertim albi, ſi morbus fiat per conſenſum, quo vomitus provocetur. Idem Hippocrates inter ſimplicia, quæ intrò ſumi, & extrinſecus admoveri jubet, laudavit pyrethrum. Dioſcorides in hunc eundem morbum imperavit leporis coagulum, & hepar aſininum aſſatum & comeſtum jejuno ventriculo. In quem finem caſtoreum etiam admiſit. Aretæus in eodem morbo, quatenus chronicus eſt, & eo primùm caput afficitur, *Antiquorũ Dogmat. pharmac. & Chirurgica Epilep. curandi ratio.*

curationem à venæ ſectione primò inchoat, cubitalis videlicet, ad univerſalem ſanguinis ex toto corpore detractionem: & frontalis, ad particularem derivationem. Quin & arterias, ponè & ante aures ſitas, ſecare præcipit. Ea tamen cautione ſanguinem educit, ut citra animi deliquium id fiat. Si quidem, deliquium animæ, inquit, ciet morbum. Ad humorem expurgandum hieram laudat, eaq; remedia, quæ fortiter de capite proliciunt: ſiquidem, inquit, iſtorum habitus eſt dolorum patiens. Addit præterea, opus eſſe capiti ignem inferre, proficit enim. Quin & tabularum cranii, per trepanum, aptam & congruam apertionem laudat, cujus modum etiam tradit. Commendat porrò cantharidum applicationem ad veſicationem uſq;, ubi, quæ obſervatione digna & neceſſaria ſunt, explicat. Si vitio ventriculi morbus ſuſcitatur, in purgationem aſſumit thymelæam, & chamæleon, quæ pituitoſos humores educunt, & exiccant. Neque cucurbitarum affixionem, epithematum & cataplaſmatum, quæ vim habēt extenuandi, per halitus dirigendi, & fluxa ſpirabiliaq; corpora reddendi, ut ipſe loquitur, applicationem ſilentio prætermittit. Idem concoquentibus medicamentis, roborantibus, utiles humores creantibus, & urinam moventibus, in medicatione utebatur: ut compoſitio-

ſitione ex viperis, & antidoto Mithridatica. Sed omnibus præſtat, inquit, Fibri teſticulus, hoc eſt, caſtoreum, ſæpiùs in menſe ex aqua mulſa potus. Tandem concludit, ſed non citra horrorem & medicamenti execrationem, ſe nonnullos vidiſſe, qui plenos ſanguine ſcyphos hominũ capite truncatorum, vel aliter interfectorum, propinarent: ſeq; legiſſe, ait, quendam authorem, qui in eſcam & cibum hepar humanum commendaret & apponeret. Sed hæ, inquit, illis ſcripta ſunto, qui ad hunc uſq; miſeriæ terminum pervenerunt.

Galenus epilepticis ſuccurrebat oxymelite ſimplici & ſquillitico. Quin & ſalſamentum quoddam ex ipſa ſquilla concinnabat, quod alcës vicem in purgatione ſuppleret. Inter alia medicamina, ſummoperè illi probata eſt pæonia, tàm intus ſumpta, quàm foris collo appenſa, ut ipſe ſcribit de quodam puero.

Agaricum quoq; ſeſeli & ſpondylii fructus, & radicem ariſtolochiæ longæ & rotundæ ex aqua epotam, comitialibus quinetiam prodeſſe exiſtimabat.

Oribaſius, Paulus Ægineta, Aëtius, verbũ verbo ipſum Galenum reddunt & ſequuntur. Cujus inprimis Ægineta vera ſimia eſt, qui, cum aliis ſuperioribus, omnia ſua auxilia

ex eo mutuatur & exprimit,ut ex ſcriptis illorum ſatis conſtat. At privatim Paulus de aceto quodam loquitur Juliano: ſed omnium iſtorum facto periculo tandem ad theriacam confugit: quin & naturales thermas ſcribit huic morbo conducere.

Aëtius privatam quandam excellentem ſcilicet theriacam adjicit, quam in ſubſidium epilepſiæ deſcribit.Sed inprimis laudat & admittit certum quoddam remedium, quod ex Sereno mutuatur, cui nullum, ut ipſe ſcribit, comparari poteſt. Idem enim concoquit & vacuat. Cujus perelegans, artificioſa & ingenioſa ſcilicet compoſitio eſt, ut ſequitur.

℞ *caſtorei, veratri nigri, ſammonii, ana* ʒ ij. *opo panacis, cumini Thebaici, centaurii, nitri, ſulphuris vivi, abrotani, ammoniaci, thymiamatis, ſeminis rutæ ſylveſtris, abſynthii ana* ʒ j. *contuſa & cribrata excipe aqua, & efforma pilullas fabæ Ægyptiæ magnitudine, & unam quotidie præbe, cum aceti mulſi cyathis quatuor.*

Atque hæc una eſt, ſcilicet, ex divinis illis compoſitionibus & formulis, quas antiqui magnoperè commendarunt:ubi tamen & nitrum & apyron ſulphur, tantoperè à multis damnata, principem propè locum obtinent, aut ſaltem inter præcipua ingredientia eminent. Ubi etiam & veratrum & ſcammonea

admit-

admittuntur, quorum tamen vel ipſa ſola nomina aures, totumq́; hominem terr tant Sed excipiet aliquis, venenatam ac perniciosam illorum ſimplicium qualitatem eleganti illa & ſingulari præparatione deleri & extingui. Elegans ſcilicet & ingeniosa præparatio, pulveres aqua diluere & miſcere. Attamen hæc eſt illa tam celebris & divina antiquorum compoſitio. Centum alias poſſemus huic ſimiles adſcribere, quas ſilentio hìc obruemus, ne prolixitas major, quàm natura tractatus patitur, nobis vitio detur: néve ad filii Noë imitationem, paternæ turpitudinis detectoris, nec id impunè, obliti humanę charitatis erga proximum, vulgares illas craſſasq́ue & ſtupidas, quas etiam juniores rideant, antiquorũ præparationes de induſtria perſequi velle videamur, ut ſtupiditatis & ignorantiæ notam illis inuramus. Quod abſit à nobis: quùm potiùs ab omnibus laudari eos æquum ſit, qui ſedula ſua diligentia, & perpetuis vigiliis medicinæ ſemina & fundamenta nobis pepererint, ſuosq́; labores candidè impertiri ſint. Quorum tamen ſeculo, multis tenebris adhuc involuto, aliquid condonandum eſt: quùm facilius ſit inventis addere, quàm ea primùm excogitare. In hunc etiam finem reſpiciunt hæc mea verba, ut Hippocratis dictum quàm veriſſimũ appareat, *medicinam videlicet non*

eam aſſecutam eſſe perfectionem, cui nihil addi poſſit: ſed in qua ſemper, vel aliquid modò reprehendi, modò corrigi, modò addiſci queat: in qua ſententia ego ipſe non parum confirmatus ſum, ante triginta annos, à venerando quodam ſene, doctiſſimo inquam illo viro Guinterio Andernaco, de republica medica optimè merito: qui cùm perciperet, indies in medica ſchola profici poſſe, perpetuis ſeneſcendo addiſcens laboribus incumbebat, nec ullis vigiliis parcebat, etiam ſeptuageſimum annum ætatis ſuperans, quin circa carbones, neglecta manuum denigratione (quam delicatuli noſtri hodie tantoperè abhorrent) totus verſaretur, & fornacibus conſtruendis invigilaret, idq. ut naturæ arcana, quæ ſummè ſuſpiciebat, ejuſmodi inſtrumẽtis rimaretur, & tanquam ex Democriti puteo erueret: hoc unum tantùm deflens, quòd tùm demùm aut ſeriùs, nec à teneris annis aperta ſibi fuiſſet à Deo tanti boni & præclaræ hujus artis cognitio. In cujus ſcientiæ amplexum, me adhuc ætate juvenem, & omnis experientiæ vacuum (etſi jam operi cum doctiſſimis Germaniæ Medicis Hermeticis manus admovetam) omnibus ſtimulis adigebat, nullamque ut hujus temporis, vel ne momenti quidem, jacturam facerem, ſtudioſiſſimè cohortabatur. Qui idem uſq; adeò veram chymiam, &

φιλοπονία Andernaci.

teme-

remediorum exactam præparationem perſequebatur, ut nunquam non vel Doctores etiam medicos, tres vel quatuor continuè foveret, & operis cõſortes ſibi adjunctos haberet. In cujus artis laudem & commendationem, utpote inter medicinæ partes utiliſſimæ & maximè neceſſariæ, librum de veteri & nova medicina doctiſſimè conſcripſit.

Sed pergamus alia aliorum antiquorum remedia, & præſcriptas, in hujus affectus curam, formulas explicare.

Ruffus Epheſius hanc medicinæ partem non attigit, ut qui tres tantùm exaraverit libros, de appellationibus partiũ humani corporis: nec non fragmenta aliquot de medicamentis purgantibus, unumq; de veſicæ & renum affectibus tractatum.

Alexander Trallianus, de quo jam ſuprà mentionem fecimus: quem inter veteres facili & dilucida uti methodo, & in diagnoſtice ac therapeutice tradẽda excellere cenſemus: de hoc morbo in hunc ſcripſit modum, qui ſequitur.

Primùm de infantulorum curatione tractatum auſpicatur, quòd (ut ipſe ſcribit) *hujuſmodi morbus illis maximè proprius & familiariſſimus ſit: quo, ſi fuerit infans adhuc lactans, qui laboret, nihil moliendum nec agendum cenſet, quantum ad curationem attinet;*

ſubſequitur enim ætas inquit & calor augeſcens, qui ſuperfluam in capite humiditatem, replentemq́, ipſius ventriculos diſcutit. Admonet tamen, ut ſingulari providentia nutricis lacti proſpiciatur, ne a bonitate & ejus albedinis colore, qui puritaté ejus indicat, in livorem, virorem, aut nigroré degeneret: néve ingrati aut fœtidi ſit odoris, nec ſaporis inſuavis, aut acidi, ſed dulcis: ſubſtantia ejus non ſit, nec nimiũ tenuis aut aquoſa, nec craſſior aut caſeoſa. Tale enim lac, inquit, convulſiones potiſſimùm generare ſolet, & nervos obſtruere. Hinc facilè diſcimus, ſtudioſè nutricé eſſe deligendã, quæ optimæ ſit cõſtitutionis & temperaturæ: aut intemperies illius congruâ victus ratione (quam fusè explicat) ad lac ipſius tùm alimentoſum, tùm medicamétoſum reddendũ, emẽdetur & adaptetur. Grandioribus verò infantibus & ablactatis, præter vivendi regulã, quam illis opportunã inſtituit, in medicamentũ cõcoquens & extenuans, imperat uſum decoctionis cujuſdã hyſſopi, matutinis horis hauſtæ, idq́ præſertim per totã hyemẽ. Quo remedio temporis ſucceſſu aſſerit, multos fuiſſe morbo liberatos: identidem decoctioni adjiciens aliquid oxymelitis ſimplicis. Æſtivis diebus decoctionem aniſi cum eodẽ oxymelite propinabat. At ſi melancholica infantis erat conſtitutio, decoctioné Epithymi impe-

Incommoda ex vitiato lacte.

imperabat. In ſolutivũ medicamentũ hieram uſurpabat: quã tamen junioribus & delicatioribus nõ exhibebat. Ætas enim valdè juvenilis ejus efficaciã (inquit) non tolerat. Vigentibus autem ætate, & validis viribus prædıtis, & melancholicis utiliter exhibetur. Præſtat igitur juvenibus epithymi potiùs momentum cũ picra exhibere. Cùm autẽ hujuſmodi ſubſidiis malum vinci nõ poterat, ob humoris & materiæ malignitatẽ ac pervicaciam, & metus erat recurſuri paroxyſmi, antidoto Theodoreti purgabat, cujus ut purgãdi vires augeret, aliquot colocynthidis grana, aut ſcammoneæ aliquid adjiciebat. Antidotus iſta, Theodoretum dicta (hoc eſt, divinũ munus conferens) à Nicolao Myrepſo deſcripta invenitur lib. de Antid. ſect. 1. c. 115. 116. 117. & 118. Hujus enim quatuor deſcriptionũ ſpecies exhibet. Centeſima decima ſexta, aut 117. videtur à Tralliano inter alias uſurpari, præſertim centeſima decima ſeptima, quòd Myrepſus ipſe ſcribat, eam conferre magno morbo: item comitialibus, dæmonio vexatis, caput dolentibus: quinetiam thoracis affectibus, & quibus in ventriculo cibus aceſcit: ut & iis, quibus malignus circa illam partem & ventrem affectus eſt. Mira denique de ea prædicat, eamq; compoſitionem multis aliis morborũ graviſſimorũ & deſperatorũ generibus conferre aſſerit: *Antidoti Theodoreti vires.*
ita

ita ut tandem inferat, ejuſmodi antidotum verè divinum eſſe donum. *Quiſquis enim ea uſus fuerit, proſperum, ut ſcribit, ſucceſſum ſentiet. Si vero quis vere & autumno ſemel aut bis ea utatur, neq; circa victus rationem magnoperè delinquat, nullis morbis fiet obnoxius. Data Ponticæ nucis quantitate omnia diſſolvet: manè verò hanc ſumere oportet.* Hactenus Myrepſus. Unde ſubit mirari, ubiq; tantæ virtutis compoſitionem, quantæ eſſe jactatur, hodie deſiderari in pharmacopæis: quod me, ne excidat, ad ejus deſcriptionem tradendam, compellit, ex ipſo Myrepſo petitam, etſi à Tralliano ſuppreſſa ſit, & ſilentio prætermiſſa.

Ejuſdem deſcriptio. ℞ *ſpicæ nard., folii caryophyll. croci, caſſiæ, epithymi, floris junci odorati, myrobal. ana* ʒ iij. *aloës flavæ* ℥ j.ß *caſtorei, zinziberis, maſticis ana* ʒ j. *Iridis Illyricæ* ʒ vj. *anacardi, agarici ana* ʒ j. *aſari* ʒ vj. *ſem. apii* ʒ j. *coſti* ʒ j.ß. *piperis* ʒ iij. *fœniculi, & ſucci ejus ana* ℥ j. *fœniculum tunde in matratio, & macerato in aceto diebus tribus, ac benè decoquito, & colato diligenter. Adjice mellis Attici vel ſacch. q. ſ. rurſusq; ad mellis craſſitudinem decoquito, & ſpecies ſimul tundantur & lævigentur benè. Quòd ſi copia ſit fœniculi, exprime ſuccum, & meliorem facies antidotum.* Hæc in Myrepſo, à Leonardo Fuchſio latinitate donato, & annotationibus illuſtrato, ſcripta reperies. Multos ex hoc morbo convaluiſſe

luiſſe hujus antidoti beneficio affirmat idem Trallianus, adjectis, quæ ſuprà dicta ſunt, remediis. Præter hæc, ſi uſq; adeò pervicax eſſet malum, ut reſpueret ejuſmodi remedia, & in acerbitate ſua conſtans eſſet, catapotium à ſe confectum uſurpabat: quo nil valentius invenias. Recipit autem aloës, ſcammoneæ, colocynthidis, gummi bdellii ana ℥ j. excipiantur braſſicæ ſucco doſis ℈ iij. aut iiij. pro pueri viribus. Adultis verò etiam ſex ſcrupuli exhiberi poſſunt: & ſi plures porrexeris, ait, nihil nocebis, adeò leniter & tutò purgant. Nec comitialibus modò, ſed etiam vertiginoſis & articulariis auxiliantur. Atque hæc ſunt veterum purgantia medicamenta.

Purgationibus univerſalibus ſubjungit particulares Trallianus: nec ſupprimit derivationes aut revulſiones maſticatoriis, gargariſmis factas. Quibus & uſum addit balnei, nec vomitoria reticet.

Si ventriculus radicem morbi ſuppeditat, huic peccantem humorem educendo, ſuccurrit, qui, qualis fuerit, aut cholagogis, aut phlegmagogis, aut melanagogis extirpatur. Nec, quæ ad corroborationem faciunt, obliviſcitur.

At ſi ab aliquo alio membro trahit affectus originem, eò primùm & præcipuum cōfert remedium. *Ego ſanè, inquit, vidi, quendam*

dam

dam lectorem in hunc morbum incidiſſe, qui, quùm & eventurus erat, auras quaſdam frigidas à ſuperioris pedis parte ad cerebrum aſcendentes percipere ſe dicebat. Cùm igitur hunc catapotiis pituitam & melancholicum humorem vacuantibus purgaſſem, impoſui parti affectæ, etiamque quæ exulcerare eam & calefacere poſſent, ut hinc ipſa ſudaverit, & ex eadem humida non pauca manifeſtò emanarint. Atq; hoc ubi nos feciſſemus, adoleſcens ſanus evaſit. Erat autem auxilium, quod ei impoſitum erat, ſanaveratq;, lepidium herba. Idem namq; etiam alia quedã præſtant, ſed nullum æquè ac herba hæc. Hæc Trallianus: qui neq;, ut diximus, vomitivorum in hoc morbo obliviſcitur, nec balneorum, nec vehementis corporis exercitationis, nec reliquorum id genus ad aptam vivendi rationem facientium & neceſſariorum.

Inveterato autem malo, quodque indomitum aliud omne medicamentum aſpernabatur, hoc poſtremum ſubſidium opponebat, helleborũ nempe, idq; albũ: cujus ipſe Trallianus formulam præſcribit. quam Paulus Ægineta verbum verbo deſcribit eandẽ, in doſi tantùm, aut ingredientium pondere, multùm ab eo diſſentiens. Paulus enim drachmas ſcribit, ſiliquarum Tralliani loco, quę tantùm tria grana ſingulæ pendent, totamq; compoſitionem in unam doſim ſolam reſtringit, cui

Paul. lib. 3. cap. 13.

feren-

ferendæ nullum animal par eſſe poſſit. Cujus etiam Pauli deſcriptionem & receptum, quod habet baccarum lauri depuratarum, piperis albi, elyp[illegible]dis, euphorbii, veratri albi ana ʒ viij. hoc eſt una unciam unam. ſi ſequeremur in doſi, nullus, ut diximus, futurus eſſet vel ſtrenuiſſimus equus, qui tantá purgationem ferre poſſit: at ne dimidiam quidem ejus partẽ, citra mortis periculum. Sic enim Paulus ſcribit: *Hæc pro una vice præbe cum paſſo, quod eſt in colocynthide* Formula itaq; recepti Tralliani in doſi longè æquior eſt, ipſa Æginetana: ſiquidem loco drachmarum ſingularum ingredientium, quas Paulus præſcribit, ſiliquas octo tantùm præcipit Trallianus, quarum ſingulæ trium ſunt granorum, idque ex infuſione colocynthidis, in paſſo maceratæ. Quod meo judicio adhuc plus quàm par eſt, excedit: nec certè credi poteſt, illius temporis ventriculos tàm fortibus & violentis medicamentis ſuſtinendis fuiſſe pares, nullis etiam à veteribus præmiſſis, ad vitandũ, quod inde imminebat, periculũ, præparationibus.

Quod ad naturalia præſidia attinet, ut vocat, quæ ſocietate quadam occulta, & amica proprietate, hujus morbi curationi ſuccurrunt, idem Trallianus eá ex alieno ore (Apollonii inquam) cõmendat propinatq; propriũ ægrotantis ſanguinem, quod crudele utiq; & dete-

deteſtandum prorſus, ut jam attigimus, remedium eſt. Verba inſuper facit de lapillis ex hirundinibus erutis, de muſtelæ hepate, de oſſiphagi avis cineribus: at inprimis de radice ſolani, luna decreſcente collecta, tuſa, expreſſa, & in ſuccũ redacta, qui ad aliquot dies matutinis horis bibendus exhibeatur, quem, ut obſervavit, ſummum arcanum, & admirandum ſubſidium eſſe aſſerit.

At Actuarius author etiã Græcus, naturam tantùm, differentias & cauſas hujus mali edocet, ſuppreſſa ſilentio ejus curandi methodo & remediis.

Celſus medicorum Latinorum princeps, prout eſt brevis & ſententioſus, Hippocratis ſimiam agens, ut qui præclaris illius ſententiis omnia propemodum ſcriptorum ſuorum capita illuſtravit, in hujuſmodi mali curatione tradenda, quàm breviſſimus eſt: attamen ſingulares quaſdã in miſſione ſanguinis cautiones adhibet, nec non temporum momenta, quibus remedia adminiſtranda ſunt, ſtudiosè obſervat: deligens ad ſanguinis eductionem & purgationem ex helleboro nigro, ipſas paroxyſmorum horas, ſimul admonens, poſt inſultum ſervandam eſſe, magna cura, congruam vivendi rationem, quam præſcribit. Si autem iſtis remediis morbus non ceſſerit, confugiendum cenſet ad veratrum album:

bum, ac ter quoque aut quater eo utendum, non ita multis interpoſitis diebus, ſic tamen (addit ille) ne iterum unquam ſumat, niſi cõciderit. Tandem in morbi continuatione linendum præcipit, præter ventrem, totũ corpus oleo veteri, multisq; exercitationibus agitandum,& longis frictionibus, excepto capire & ventre, perfricandum. Deinceps iterata ex ſuperioribus medicamentis purgatione, inungi deraſum caput imperat, litu ex antiquo oleo, nitro & modico aceti concinnato: intrò caſtoreum ſumendum. Tandem ad revulſiones & derivationes progreditur, quas ſanguinis eductione, ex ſalvatellis & cucurbitarum affixionibus, perficit, addens inſuper in extremum ſubſidium, ferrum, quo incidit, & ignita cauteria, quibus occiput adurit, ut per ea, inquit, perniciosſus humor effluat. Quibus omnibus pertentatis remediis, ſi morbus non vincatur, indomitum & incurabilem eſſe pronunciat.

Scribonius Largus lib. ſuo de compoſitionibus medicinalibus cap. 2. ſex nobis producit remedia, aut empeirica experimenta. Primum ex quadam herba, quam Græci (ut vult) vocant πολύνευρον, & Latini nervalem, de qua ab ægrotante, tota adhuc viridi edi præcipit, ante omnem alium cibum, idq; à prima Luna ad triceſimam. Coagulum etiam hinnuli *Experimẽta Scrib. Largi ad Epil.*

M cervi

cervi admittit, intra novem dies ſumptum, nec non teſticulos crocodili, thymi uſum ex oxymelite. In ejuſdē libri quadrageſima prima compoſitione quoddam arcanum aulicæ cujuſdam matronæ proponit, quo miranda in variis curationibus præſtita ſe vidiſſe teſtatur: quod utique muliebre eſt remedium, veneficæ potiùs quàm medicæ artis officinam redolens, cum iſta in compoſitione ſic obſervantur, ut raſuræ eboris immiſceatur mel Atticum, & (quæ veluti baſis & fundamentum jaciuntur arcani) ſanguis teſtudinis & palumbæ adjiciatur, ea cautione, ut maribus ægris ex animalibus maſculis, fœminis ex fœmellis ſanguis educatur & adaptetur; qui nec ex quavis animalium parte extrahendus eſt, cùm nullius foret virtutis & efficaciæ medicamentum, niſi ex collo unius animalis, & ex venis alterius, ſub alis ſitis, clavo acuto, ex ære Cyprio ad id concinnato, emitteretur, ipſumque remedium alia quàm buxea pyxide reconderetur & aſſervaretur. Ordo autem adminiſtrandi hujus medicamenti, quod per xxx. dies continuos exhibetur, ab ipſo Lunæ decremento ordiendo, & in doſis quantitate obſervanda, is eſt, qui ſequitur, ut prima vice tria cochlearia offerantur, deinde ad quinque procedatur, poſtea ad ſeptem, quarto loco ad novem, poſtremo

ſtremo tandem ad undecim uſque,nec ad plura perveniatur, regrediendo poſtea eo, quo proceſſum eſt, ordine, ut videlicet primò novem, deinde ſeptem, & ſic deinceps quinque & tria, ac denuò idem ordo repetatur aſcendendo & deſcendendo ut ſuprà, dum ad trigeſimum diem perventum ſit. Quæ quidem omnia, meræ præſtigiæ ſunt ac fallaciæ, quæ alicujus utilis & ſalubris medicamenti locum invadunt, ſubitque mirari, vetuſtos illos authores tàm imperitè ratiocinatos eſſe, tamque frivola & ridicula inconſultè ſcriptis mandaſſe. Quæ tamen antiquitatis titulo muniuntur & commendantur.

Quod ad Marcellum attinet, ſatis conſtat, illius librum ex empiricis medicamentis totum eſſe conſarcinatum (unde Empiricus ipſe dictus eſt) & ex omnibus omnium auctorum experimentis undequaque conſutum, ut ex Galeno lib. de loc. aff. Archigene, Apollonio, Heraclide Tarentino, & aliis apud ipſum Galenum citatis, nec non ex Medicis Latinis, Plinio, Apuleio, Celſo, Apollinari, Deſignatiano, aut etiam ex ipſo Silurio, Eutropio & Auſonio, magni illius Poëtæ Hermetici parente, qui aliquot tantùm annos ætate præceſſerat, quem nec puduit in ſuo experimentorum

libro fateri, ſe multa ex vulgari plebecula, aut etiam ex ipſis mulieribus didiciſſe, nec eundem ſuum librum characteribus profanis & verbis incantationum, ac id genus ridiculis ex Paganiſmo, ab illo etſi Chriſtiano, derivatis. Ubi etiam, ſed obiter tantùm & quaſi perfunctoriè, unicum tantùm receptum in hunc morbum, de quo agitur, primo capite ſui libri expoſuit, quod commemoratione & ſcriptis indignum eſt. Nec in alium finem hujuſce authoris citavimus authoritatem, quàm ut nonnullis patefacerem, iniquè à ſe proclamari & conviciis proſcindi quaſdam remediorum formulas hodie uſurpatas, quæ tamē raræ ſunt & ſingulares in Paracelſi libris deſcriptæ: easq; ab illis, Pharifæorum more, qui cæcitatem ſuam plenam non agnoſcentes, ex aliorum oculis feſtucam diſcutere volebant, indignè damnari & reſpui, cùm longè antiquorum deliramentis & fallaciis præſtent & excellant. Nemo enim ratione præditus, nec uſque adeò cæcus aut luſcus quiſpiam eſt, qui jure eat inficias, ſi vel tantillum quid ſubodoratus fuerit de Chirurgia magna & parva Paracelſi, omnes alios in medicamentorum etiam vulgarium & externorum præparationibus, qualia ſunt balſamica olea, unguenta, cerata, emplaſtra, & id genus alia, ab illo uno ſeparatos, & multis pòſt ſtadiis à tergo relictos.

Vatinianū Galenic. in Paracelſum odium.

Si

Si verò interna illius remedia ſpectemus, quibus uſus eſt, quæ ex mineralium familia & œconomia deprompta ſunt, fatendum eſt utique, in ſedula eorũ & tuta præparatione ac adminiſtratione ſupremum honoris gradum inter medicos & philoſophos æquiſſimo jure ipſi deberi. Etſi enim antiquitas ex illis aliqua uſurpavit, & in uſum revocavit, ut jam notavimus in hujus morbi cura, multa tamen alia, eaq; præclara & magna remedia, quæ hodie ex mercurio, ſulphure, antimonio, vitriolo, & id genus aliis extrahuntur, ignota & incomperta habuit: quorum uſus, etſi ab ignaris, ut venenati, maligni, & exitialis medicamenti proſcribatur: experientiâ tamen, rectâ eorum præparatione adhibitâ, utiliſſimus & re ipſa ſaluberrimus hodie deprehenditur: à quibus vel morbi tincturis validis & fixis ac profundis radicibus pervicaciſſimi edomantur & ſubiguntur, qui alioqui ſumptis ex vegetabilibus medicamentis, ut minùs potentibus, illudunt, & procaciter recalcitrant. At ſanè, non citra dedecus & ignominiam artis medicæ, aut medicorum potiùs, cernere licet, ſive in Italia, Germania, Gallia, aliiſq; regnis & provinciis, ac etiam in multis Academiis magno celebrium medicorum numero decoratis, Empiricos multos, qui etiam omnium literarum ignari, remediis tamen ſuis

Præſtantia chymicorũ remed.

ſolutivis, ex mercurio, antimonioque paratis, ſuoq; laudano, & id genus aliis tam metallicis, quàm vegetativis, utcunque ab illis & ſatis indoctè paratis, tam egregia tamen præſtant, ut quibuſvis vel contagioſis vel graviſſimis morbis, ac doloribus ſæviſſimis plus auxilii & ſolatii, idq; parva & gratiſſima ſuorum medicamentorum doſi, quàm multi medici, qui vel celeberrimi vulgò habentur, emplaſtris ſuis Johannis de vigo, mercuriatis, anodynis, paregoricis & narcoticis ſuis remediis, conferunt. Qui ſua idcircò tam tuta & ſalubri experientia, ac effectis tàm potentibus, Doctores illos medicos, à quibus doctrina & eruditione longè lateque ſuperantur, tamen prævertunt, eosque nobilium familiarum ædibus ſua admiſſione & introductione excludunt Quod quàm ignominioſum ſit, tædet fuſiùs dicere. Nec iſtis moventur hodie medici illi Doctores, qui, ne videantur quicquam ignoraſſe, & poſſe aliquid novi addiſcere, ne diſcipuli habeantur eorum, in quos ſibi docendi imperium arrogant, veteri ſuæ pelli (ut ferunt) immori malunt, quàm, prudentis ſerpentis imitatione, novâ aſſumptâ, ſenectam deponere. Atque hac ſua ſuperbia & arrogantia id efficiunt, ut cùm doctiloquis ſermonibus & plauſibili eloquentia nihil præſtent, aliis, rerum effectibus & operatio-

Galen. difficulter ab opinione antiqua dimoventur.

num

num virtutibus inferiores, cedere turpiter cogantur. Neque enim Hebraico Idiomate, nec Græco, nec Latino, nec quavis alia ſermonis elegantia curantur morbi, at luminis naturæ cognitione, & rerum ab eo procreatarum experientia & tuta adminiſtratione. Neque hîc abſurdum aut abs re fortaſſis fuerit recitare, ante aliquod tempus me à quodam generoſo & doctiſſimo viro in conſilium melancholiæ hypochondriacæ, qua laborabat, vocatum eſſe: ubi, quùm in ejus curationem vulgaria omnia medicorum remedia, quæ ex Pharmacopœis depromuntur, expoſuiſſem, tanto ſe eorum acervo obrutum eſſe dicebat, ut omnem curationis ſpem deponeret, ſi rurſus in eandem curandi viam ſibi eſſet ingrediendum, quam ventriculus faſtidiret, reſpueret & horreret. Addebat, ſe Empirici cujuſdam magni apud ſe nominis, auxilia admiſiſſe, ac inter omnia ſolutivum quoddam pharmacum prorſus inſipidum, quod, vel minimæ quantitatis doſi, uſque adeò egregiè & citra moleſtiam purgabat, ut ipſum aliis omnibus medicamentis præferret & anteponeret: ut cujus vel crebrò poſt aliquot annos periculum feciſſet, ejuſque porrò baſim & fundamentum hujus purgantis medicamenti mihi exhiberet, (qui pulvis erat, omni ſapore carens &

albiſſimus) & de eo conſilium ex me quæreret, nullo tamē mutandi hujus in melius medicamenti ſtudio ductus, ſed quid de eo ſentirem, audiret, & num mihi cognitum eſſet nec ne, exploraret. Cujus cùm materiā agnoviſſem, (quod vel minimo ſpagyricæ artis tyroni pervium fuiſſet) ut ejus quæſtioni & petitioni morem gererem, reſpondi: nec mihi probari, nec etiam rejici medicamētum. Non rejici quidem, quod certiſſimum haberem apud me, ex ejuſmodi materia & ſubjecto præſtantiſſima & admirandæ virtutis purgantia remedia parari poſſe, quæque omnia alia vincant, cùm à docto, experto, & in hac arte verſato medico tractantur, & in uſum revocantur. At nec probari, quòd ab Empirico, non ſatis fortè hujus artis perito, prodiret: cui, & ejus ſimilibus faciendæ medicinæ periculo, bonarum omnium legum ſanctione interdictum ſit, ut qui nullam ſuarum actionum rationem poſſint reddere, ſed incertis animis omnia tentent, & quod ab aliis doctioribus, alicui morbo congruere fortè didicerint, illud promiſcuè omnibus morbis adaptare, magno cum errore, & judicii imbecillitate, auſint. Siquidem curandorum morborum methodi, & medicamentorum naturæ ac virium, nec non eorundem perfectæ ac legitimæ præparationis modi prorſus ignari ſunt, & ut

Empirici notantur.

& utplurimùm ἀναλφάβητοι conſpiciuntur. Idcircò nec remediis illorum, ut certis & tutis, fidendum eſt multùm, & eorum præparatio nobis ſuſpecta eſſe debet, ut qui veneni in medicamento latentis nullam habeant cognitionem, aut ſi norint, illius corrigendi, vel potius diſtrahendi & extinguendi peritiâ careant. Quæ quidem operationes & adminiſtrationes, ſolis medicis, iisq; doctiſſimis, & in arte verſatiſſimis, competunt, ut fœliciter ſuccedant. Sed non caruit reſponſum meum exceptione, uſq; adeò ille Empirico ſuo ſuſtinendo & propugnando erat intentus: exponens etiam, olim inter antiquos non minoris famæ & nominis fuiſſe Empiricos, ac methodicos Dogmaticosque: in exemplum Theſſalum afferens, in quem (ſi fama caruiſſet) uſq; adeò acerbè & animosè ſcriptis ſuis Galenus non inſurrexiſſet. Addidit præterea, in probationem ſuarum rationum, id, quod Latinorum medicorum princeps Celſus ſcribit in operis ſui medicinalis præfatione: ubi ſibi familiariſſimum fuiſſe Celſum, ac eum diligenter evolviſſe, & ejus ſcripta firmæ memoriæ mandaſſe oſtendebat, ut qui non integras ſententias, ſed totas ejus paginas, citra lapſum recitaret. At ille adhuc hoc inſuper addidit: Perinde eſt de medicis veſtris, ac de noſtris Juriſconſultis, qui, etſi tenent omnes leges, *Collatio medicorũ cum juriſconſult.*

leges, easq; alios docent, ſi tamen in factum alicujus litigantis conſilium dandum eſt, hæſitant & fluctuant incerti, unde ordiantur, & quò deſinant. Qui ſi ad litem aliquã tuendam ex pulpito aggredi cogerentur, uſq; adeò tyrones & rudes deprehẽderentur, ut ad riſum judices & auditores omnes eſſent provocaturi, qui vel eorum diſcipuli fuiſſent. Nec unquam ex eorum ſchola uſq; adeò perfecti emergunt diſcipuli, quin nova illis tyrocinia addiſcenda ſint, vel ex vulgari aliquo Procuratore, qui etſi prorſus legum ignarus, longè meliùs tamen ipſis Doctoribus, earum uſum & praxim callet, quod caput eſt & materiæ præcipuus nodus. Non ſecus hodie quàm plurimi cernuntur juvenes medici, celebres Doctores, qui ex cathedris eleganter de omnibus medicinæ partibus, vel iis præſertim, quæ diagnoſticen & therapeuticen, nec non partium uſum aut anatomicen ſpectant, diſſerunt. In ſimplicium & animalium hiſtoria, ſive de natura, ſive de forma, proprietatibus & virtutibus agatur, Dioſcorides & Theophraſtus dent manus, & ab iis vinci ſe, (ſi audiant) fateantur: quibus etiam in antidotis concinnandis & pharmacia componenda, atque earum conficiendarum canonibus tradendis Meſue & Nicolaus impares fuerint: uſque adeò multa, imò omnia magnificè

Magnifica Dogmaticorum de materia medica eloquentia.

ficè ex ſuggeſto promittunt, & ſupercilioſè eloquuntur. At ſi ad conſilium alicui ægro dandum,& ad febris continuæ ab eo profligationem aut pleureſis, dyſenteriæ, hydropiſis, epilepſiæ, aut gravis alicujus morbi extinctionem, ſive acuti, ſive chronici vocentur, quanto, Deus bone, ſtupore percelluntur, etſi in attrectando pulſu, & circumſpicienda urina, miram induſtriæ & certitudinis in arte ſpeciem præ ſe ferant, ſtuporemque ſuum, quantum poſſunt, diſſimulent! Si neceſſe eſt ab illis vivendi normam ægro præſcribi, à vetula quadam, ægrotantibus adſtare & miniſtrare ſolita, lectionem addiſcant oportet. Si formula medicamenti ægro tradenda eſt, rationẽ ejus explicandæ à Pharmacopœo, hac in arte magis verſato, & eorum, quæ facto opus ſunt, audient, aut ſaltem correctorem illum ſuorum receptorum admittent. Denique novis iſtis Doctoribus novo rurſum in praxi magiſtro opus eſt, aut hypodidaſcalo; non ſecus, ac recentioribus advocatis Procuratores (ut vocant) ſubſidio ſunt, ut ſuprà diximus. Atque hinc vobis conſtat, quàm magnificè uſus & experientia commendanda ſint, quamque in veſtra noſtraque profeſſione, ut ſummè neceſſaria, requirantur. Nam ut ipſemet Celſus addit in eodem capite, *verum eſt, ad ipſam curandi*

Eorundem puſillanimitas in praxi.

Vſu & experientia Medico opus eſt.

randi

randi rationem nihil plus conferre, quàm experientiam.

Artiū magna varietas. Multæ quidem aliæ artes tàm abſtruſa & recondita cauſarum ſuarū perquiſitione nòn indigent, ut quæ non æquè incertas & imperceptibiles eas habeant: ſed certis nitantur fundamentis, ac oculis ipſis conſpicuis, quibus ſecurè & tutò ſuperextruunt, hoc eſt, iis cauſis, quas experientia & demonſtratio τ͂ ὅτι certas nobis patefacit. Siquidem nec agricultura, nec navigatio, alta animi meditatione, & ſcientiarum ſeu diſciplinarum diuturni habitus comparatione, opus habent: at longo uſu & experientia, qua earum cultores in ſummos magiſtros evadunt, & perfectionem attingunt. *Vſus facit artem.* Quicquid ſit, in veſtra medicina (inquit) ejuſdem rei contrarios effectus, utpote laxandi & adſtringendi, proficiendi & nocendi, ſive in vivendi ratione, ſive in medicamentorum adminiſtratione, crebrò potè fuit deprehendere. Quæ quidem contrarietas, experientia citiùs quàm ratione comperta eſt. *Hæc ſimiliaq́ʒ, (experimenta) cùm quotidie inciderent (inquit Celſus) diligentes homines notarunt, quæ plerunqʒ meliùs reſponderent: deinde ægrotantibus ea præcipere cœperunt. Sic medicinam ortam, ſubinde aliorum ſalute, aliorum interitis, pernicioſa diſcernentem à ſalutaribus, repertis deinde remediis, homines de rationibus*

eorum

eorum diſſerere cœpiſſe: nec poſt rationem medicinam eſſe inventam, ſed poſt inventam medicinam, rationem eſſe quæſitam. Vides, inquit ille, me Celſi rationibus & authoritatibus uti, ut apud vos Doctores medicos conſtet, non ita nihili faciendos eſſe Empiricos: præſertim eos, qui ſe ex Paracelſi ſchola & ejus ſectatoribus fatentur hauſiſſe multas egregias experientias, elegantias, ornamenta & præclara remedia, quæ in magnam ægrotantium utilitatem, commodum & ſalutem cedunt, & quæ in vulgarium, quibus quotidie obruuntur, defectum & nauſeam exhibent ac propinant. Qui, ſi tàm blandis verbis, & compta ac polita doctaq; oratione ægros ſuos non norunt, ut vos, demulcere, opere tamen & effectis illis ſatisfaciunt, eaq; remedia & curationem inſtituunt, qua ab omnibus ſuis languoribus, quos deſperatos cenſetis, liberantur: cumq; ipſo Celſo vobis obtrudent, *ingenium & facundiam vincere quidem, ſed morbos non eloquentia, at remediis curari.* Ad quæ utique verba, & tàm plauſibiles rationes, authoritate tanti viri Celſi noſtri armatas, obmutuiſſem, ſi, quod ex eo aliquando legiſſem, & accuratè obſervaſſem in eadem ejus præfatione, ex memoria excidiſſet. Cui idcircò reſpōdi: in perverſum ſenſum & uſum Celſi verba ab eo torqueri, nō quòd quicquám ex verbis ejus

ejus & ſententia truncaſſet, aut depravaſſet: ſed quòd eam, quam ipſe Celſus concluſionem inferebat, reticuiſſet: qui poſt hæc verba: *Ad ipſam curandi rationem nihil tam conferre quàm experientiam.* Subjicit conſequenter, (quod ab illo ſuppreſſum erat.) *Quanquã igitur multa ſint ad ipſas artes propriè non pertinentia; tamen eas adjuvant, excitando artificis ingenium. Itaq; iſta quoq; naturæ contemplatio, quamvis non faciat medicum aptiorem, tamen medicinæ reddit profectum: Veriq; ſimile eſt, & Hippocratem & Eraſiſtratum, & quicunque alii non contenti febres & ulcera agitare, rerum quoque naturam aliqua ex parte ſcrutati ſunt, non ideò quidem medicos fuiſſe, verùm ideò quoq; majores medicos extitiſſe. Ratione verò opus eſt ipſi medicinæ, etſi non inter obſcuras cauſas, neque inter naturales actiones, tamen ſæpè.*

In fine quoq; ejuſdem præfationis videre licet, in majore ipſi pretio rationales & Dogmaticos medicos quàm Empiricos fuiſſe: quoniam illi multa circumſpiciunt, hi facillima tantùm, non plùs quàm vulgaria ac communia. In cujus rei confirmationem, authoritatem citat Hippocratis dicentis: *mederi oportere & communia & propria intuentem.* Atque ſic ſuperioribus rationibus ſatis confirmatis, totum hunc ſermonem tandem hoc modo

modo concludit: *Igitur ut ad propoſitũ meum redeam, rationalem quidem puto medicinam eſſe debere, inſtrui verò ab evidentibus cauſis, obſcuris omnibus non à cogitatione artificis, ſed ab ipſa arte rejectis.* Cùm igitur tu, inquam, Celſi authoritatem in tuum uſum revocas, non idcircò cauſam integram obtinuiſti: ſed cum illo tibi dicendum eſt, in magno utique pretio & laude habendas eſſe egregias experientias, citra quas nihili ſit medicus. Nec contrà in Empiricos ita acerbè invehi decet, qui longis ſuis peregrinationibus, & cum doctis viris conſuetudinibus ac verſationibus, præclara multa & admiranda naturæ ſecreta reportarunt ac didicerunt: quorum ſedentario, & inter domeſticos parietes tantùm degenti medico pudenda eſt ignoratio, iniqua rei incognitæ damnatio, & ſuperba nimis in melius proficiendi voluntatis averſio. Quod ad me attinet, ingenuè fateor, me multa ab iſto hominum genere didiciſſe, nec unquam à voluntario ubique diſcendi ſtudio diſceſſurum polliceor. Tu verò fatearis neceſſe eſt, longè melius tutiusq; à Dogmatico & rationali medico, qualem me profiteor, & majore cum fructu medicinam fieri, quàm ab ignaro Empirico, cujus ignorantia, perpetuos habet, iniquitatem, temeritatem, ſuperbiam, & convitia, comites. (Ut enim Comicus canit:) *Commend. Empir.*

Homi-

Homine imperito nihil iniquius, nec quicquam injuſtius: quia nil rectum eſſe putat, quàm quod ipſe facit. At antagoniſta ille meus, cùm nondum ſe confoſſum prorſus & victum putaret, aliaq́; in me tela retorquere eſſet paratus, valere tandem à me juſſus eſt, curſumq́; repetii, à quo in ejus gratiam digreſſus eram, & quem interrumpendo potui reprehenſionem ſubire multorum, ſed præſertim Arabum Medicorum, quos diutiùs quàm par erat, remorabar, & ſuo honore aliorum omnium laudibus pari, non ſatis eos opportunè dignabar. Sed & hos dedita opera in hunc poſtremum ordinem rejeci, quòd præ omnibus antiquis, eam in curatione morborum uſque adeò facilem methodum præſcripſerint, ut cum hodierna noſtra conſentiant, & ad eam quam proximè acceſſerint. Siquidem quæ perturbatè remedia ab aliis tradita ſunt, ab his in ordinem ita facilem digeſta ſunt, ut, cùm nulla fructus aut utilitatis ſpes ab aliis expectaretur, hinc junioribus medicis, & in arte, hoc eſt, praxi, & in theoria magna fructuoſi proventus facta ſit acceſſio.

CAPUT XV.

Qua methodo Arabes in cura Epilepſia uſi ſint, ex Meſue *oſtenditur.*

SED

SED en quantus ſit illorum numerus, quorum bona pars Reges, Principes & Hermetici Philoſophi fuerunt, qui idcircò ſtudioſè cupiunt, & me quaſi vi compellunt, ut in illorum album aſciſcam, qui authoritate ſua ſententiam meam tueri, confirmare, atq; etiã augere ac ditare parati ſunt. Quos etiam lubens recipio, & ut patres chariſſimos ac obſervandiſſimos amplector & veneror, modò vos colendi patres remediis quibuſdam adverſus venenoſos Momorum & invidorum morſus me muniatis, quos ſcio anſam inde in me inſurgendi, & criminãdi arrepturos, quòd veſtri plurimorum, quos fateor hactenus mihi fuiſſe incognitos, umbonibus auſim me protegere. Atque hic eſt illorum Catalogus, quem ordine alphabetico cõteximus: Aboali, Achme Abrahami filius in ſuo viatico peregrinantium, Agazo, Alſal, Albumazar, Albuer, Amuran, Avicenna, Averroës, Avenzoar, Ebezenzar, Elabin, Hunain, Hamech, fil. Zachar. Hara fil. Hamech. Elengezar. Haly abbas. Haly fil. abbas. Iſaac aben amaran. Meſue, Rabi, Razis. Sabor fil. Zuzer, Rex medoran. Serapio, Serapionis filius, Xiraſi rex med. Zezar: compluresq; alii fuerunt omnes, utiq; magni nominis viri, quos non habita temporum aut ætatum ſingulorum ratione, ſed alphabetici ordinis ſerie digeſſimus ac recenſuimus,

Medici Arabes.

N ſuimus,

ſuimus, idq; in eum tantùm finem, ut tractatui huic noſtro honori ſint, non autem ut numeroſa ſuorum receptorum ſerie ipſum adobruant. Ex omnibus tamen ſoli hi nobis venient in ſubſidium, Raſis videlicet, Avicenna, & inprimis Meſue. Hic enim cùm ultimus propè omniū ætate fuerit, eosq; ferè omnes oculis viderit, hic unus vice omnium nobis eſſe poteſt, ut qui eos in commentariis ſuis citando, illorum doctrinæ & auxiliorū quintam (ut ita loquar) eſſentiam extraxerit, ſed præcipuè remediorum, quorum magno ſtudio delectum habuit nō in hunc tantùm affectū, de quo hìc agitur, ſed omnes alios morbos profligandos. Hic autem Meſue, de hoc noſtro affectu & ejus cura, loquitur libro ſuo de ægritudinibus capitis, cap. de Epilepſia, ubi ſcribit, in hujus morbi curatione ſex ſcopos & indicationes nobis eſſe proponendas: quarum primam conſtituit in optima vitæ regula, aut ut ejus verbis utamur, regimen ponit in vita, quod in debita ſex rerum non naturalium adminiſtratione ſitum eſt, quæ ſatis fusè ab eo explicatur. Secunda intentio æquat & coaptat materiam, id eſt, eam coquit ac digerit, ut ejus facilior fiat expulſio: quod ſcylla præſtatur, & ejus auxiliis, quæ ex decoctionibus ejus, aut aceto, aut oxymelite parantur, additis ſyrupis de hyſſopo, de acoro, ſtœchade,

Methodus curat. Epilepſ. ex Meſue.

I.

II.

de, origano, & id genus aliis, ex quibus cõcinnat ſibi apozemata. Tertia abſcindit materiã, ut loquitur, hoc eſt, evacuat, atque hanc rem complent (ut vult) evacuationes, clyſteria, ſuppoſitoria levia aut acuta. In evacuationem uſurpat præcipuè, quod idem veteres, Anteceſſores ejus, tùm Græci, tùm Arabes factitare ſolebant: hieram diacolocynthidos, quam magni facit, vel ad omnes capitis affectus. Illius deſcriptionem, nec non multarum hujus generis vacuationum tradit, in quæ euphorbium & alia calefacientium gummi genera, ſcammonium, lapis lazuli, borax, helleborus, colocynthis, turbit, & id genus alia, benigna ſcilicet, pharmaca ingrediuntur, vel citra ullam præparationem aut correctionem. Inter evacuationes ſanguinis eductionem probat ex ſaphena, hæmorrhoidum provocationem, menſtruorumq; in fœminis. Quarta intentio ponit regimen, ut loquitur, in converſione reſidui ejus, ad diverſas partes & oppoſitas, quam Neoterici revulſionẽ & derivationem vocant: quæ gargariſmis, ptarmicis, maſticatoriis, vomitibus, cucurbitarum affixionibus, nec non veſicantium ac cauſticorum topicorum appoſitione, aut etiam actuali igne, ligaturis, frictionibus, & id genus aliis præſtari ſolent. Quinta intẽtio (ut utar illius vocibus) rectificat membrum mandans, ſi eſt aliquod

III. IV. V.

mandans, & rectificat cerebrũ. Hoc loquendi genere (craſſiore alioqui, præ elegantia hodierni ſermonis) deſignat roborationem partium, aut membrorum amandantium, ac originem morbi primam cõſtituentium, qualis eſt ventriculus, matrix, aut quodvis aliud mẽbrum, unde malum originis ſuæ ſumit exordium.

VI. Sexta intentio accidentia corrigit ac emendat, appoſita & cõvenienti remediorum adminiſtratione, quæ virtute & proprietate ſua paroxyſmos coërcent ac remorantur, aut leniunt, aut prorſus extinguunt, vel ſaltem crebram illorum repetitionem retinent. Atque juxta has omnes intentiones, varias remediorum formulas exprimit, partim ex ſuo ingenio & marte: partim ex aliis authoribus decerptas, ut Democrito, Hippocrate, Dioſcoride, Galeno, Tralliano, Oribaſio, Joannico, Mahema Araffi, Serap. & aliis. Si innumeras alias celeberrimorum etiam Arabum formulas remediorum audire eſt animus, quæq; ad eaſdem intentiones, & cum prioribus propemodum eædem, aut illis ſunt ſimilitudine reſpondentes, lege Haly fil. abbat. 21. cap. lib. 5. ſuæ practices. Item Razem 1. comment. cap. de Epilepſia. Avicennam Fen. 1. tract. 2. cap. 11. Tædioſum enim foret, ſingula huc minutim traducere, quæ ab omnibus in hunc morbum afferuntur, quùm etiam una & eadem propè

reme-

remedia ſint, diverſo tantùm ſtylo elaborata, & à Græcis Latinisq; authoribus, ut jam monuimus, ferè omnia diducta. Aliqua tantùm in hoc tractatu evolvere, (non tantùm proceſſum attexere) operæ pretium eſſe duxi, ut ſolummodò innoteſceret, quibus Abavi noſtri remediis, in morbis curandis, uſi fuerint, &, quo adminiſtrationis ordine progreſſi ſint, & quem ornatũ atq; etiã auctionem tùm Avi, tùm Patres, qui ſequuti ſunt, noſtri addiderint, perſpectum fieret. Ut tandem mirari deſinant, aut præter fidem etiam id eſſe aſſerere, (quod multi hodie incredibile putant) ſi à nobis majorum illorum filiis, in majorem ſplendorem & ornatum elegantioré, ſpartæ medicæ aliquid conferri poteſt. Nec hercle dubitamus, quin poſteri, in hoc etiam certamine, factorum magnitudine, & induſtriæ majoris gloria, victoriam nobis extorqueant, facilè enim inventis eſt addere.

CAPUT XVI.

Methodus Dogmaticorum recentiorum in cura caduci, ſelectiores remediorum flores, ex eorundem ſchola prodeuntes complectens.

ORDO, quem ab initio ſequi decrevimus, nos nunc compellit ad producendos in

lucem neotericos Dogmaticos, ut ſcilicet eorum & pulchriora & magis ſpecifica auxilia, quæ in ſuis ſcriptis therapeuticis, ad curationem hujus morbi, quatenus chronicus eſt, attulerunt, explicemus. Celeberrimos autem ſingularum nationū aliquot authores ſeligemus, quos & ſcriptis & conſuetudine in peregrinationibus noſtris novimus. Omnes enim recenſere, & nominatim appellare velle, ſummè laborioſum, nullusq; dicendi finis fuerit. Quinetiam hos tantùm citabimus, qui poſt, aut paulò ſupra centum annos vixerunt & ſcripſerunt in Italia, Gallia & Germania: inter quos floruerunt Alexander Benedictus, Symphorianus Campegius, illi coævus & amicus, ut ex mutuis illorum literis inter ſe cognoſci poteſt. Savonarola, Catinarius, Richardus Anglicus, Arculanus, Placentinus, Guainerius, Gatinaria, Fuchſius, Leonellus Faventinus, Montagnana, Trincavellus, J. Stock, Langius, Baytus, Wirſung, Manardus, Fernelius, Rondeletius, Valeriola, Capivaccius.

Dogmatici neoterici.

Methodica illorum curandi ratio in epileptica affectione, quatenus diuturnus eſt morbus, hæc fuit, ut ſcilicet ab optima vivendi regula ſemper auſpicarentur: cujus deſcriptionem ad calcem hujus conſilii rejiciemus, ut antea monuimus, quòd ſimus hìc, non privatam

Eorundem methodus curat. epilepſ.

Diæta.

tam tantùm victus rationem, ſed & generalem, ac cum hoc aliiſque multis affectibus communem, præſcripturi, utpote quæ & huic morbo, & ejus affinibus ac agnatis, de quibus ſimul ſcribimus, poſſit conducere.

Quod verò ad aliorum remediorum adminiſtrationem attinet, in ea Arabum ordinem imitati, hac, quæ ſequitur methodo, ſic procedunt: quam quidem methodum ego ipſe & probo, & libenter in praxi æmulor. Veruntamen magnâ hîc obſervatione nobis opus eſt; cùm enim multi, iique varii homines, qui hoc affectu tentantur, variam habeant conſtitutionem, ætatem, diſſimile temperamentum, & diverſas morbi cauſas, iſta omnia nobis erunt circumſpicienda: quæ idcircò ita obſervabimus, & tàm facili methodo ſingula excutiemus, ut ad quoſvis vel tyrones etiam medicinæ non exiguus fructus ſit rediturus: cùm alioqui ex ferè omnium Practicorum, ut vocant, lectione nil aut parum utilitatis ſint percepturi.

Dogmatici igitur noſtri, præceptorũ ſummi ſui Dictatoris & Coryphæi Hippocratis, memores, 1. aph. 22. nec non & Galeni 11. method. cap. 4. ſemper curationes ſuas ab univerſalibus vacuationibus auſpicantur: veriti tamen ne ex conſtricta alvo duriores redditæ *Pharmacia.*

N 4 fæces,

fæces, atque idcircò expulſione interpellatæ, putidos ſuos halitus in membra intrudant, fœtoreq; ſuo vaſa eorum inficiant, unde gravia ſymptomata oriantur: primùm omnium emollientem clyſterem præmittunt, deinde minorativum aliquod, ut vocant, eccoproticum, quæ præparationes & purgationes humorum præcedant, idq; rectè ex ſapientis ſui coryphæi Gal. ſentẽtia inſtituunt lib. 2. aph. 9. *Si quis extenuet, inquit, & incidat craſſos atq; tenaces humores, qui in corpore ſunt, & meatus aperiat, per quos iſti tranſmittuntur atque trahuntur à medicamentis, quæ vim purgatoriam habent; tunc purgatio ritè in omnibus procedit. Qui verò iſtud quidem neglexerint, vomitum autem atq; alvi ſubductionem procuraverint, iis difficiles obveniunt purgationes, non ſine torminibus, interdum & vertigine quadam faſtidioq; multo & malo pulſu ac diſſolutione & difficultate.*

Minorativa. In minorativum vulgò uſurpant, diacatholicon, diamannam, diaſennam, diaſebêſten, diaprunum ſolutivum ex deſcriptione Razis, Meſuæ, Nicolai præpoſ. Nicol. Alexandrini, Montagnanæ, Florenzolæ, aliorumq;. Atq; ejuſmodi minorativa exhibent decoctionis aut potionis forma, ad hoc aptæ, cui aliquando foliculorum ſennæ aliquid incoctum ſit: vel forma boli: alibi pulpa caſſ. recens extra-

ctæ

ctæ in vulgari eſt uſu, quam etiã ut lenitivum ſingulare, & benignum planè medicamẽtum exiſtimant. Sed in me ipſo ſæpiùs contrarium ſum expertus, qui nunquam ea ſum uſus, quin graviter illa fuerim immutatus, quod pleriſq; aliis ejuſdem mecum temperamenti accidiſſe etiam animadverti. Cùm enim caſſia ſapore ſit dulcis, facilè bileſcit, in bilioſo temperamento, ut & Manna. Adde etiam, ſi ex ea in balneo vaporoſo proliciatur deſtillatione aqua, ex illa promanare (ut & ex melle) aquam mirum in modum fortem, acrem & mordacem, atq; idcircò ſummè calefacientem. Quæ quidem vis ex igne deſtillationis contrahi nõ poteſt, quicquid ſecus garriant alii. Quod experientia videre licet. Siquidem ex pulpa melonum, cucurbitarum, cidoniorum, cucumerum, aliorumq; id genus fructuum, qui naturæ proprietate frigidæ ſunt qualitatis, eodem ignis gradu, nihil prolicitur, quàm aqua frigida & ejuſdem naturæ; id eſt, frigiditatis, cum fructibus ex quibus eruitur. Nemo enim dat id, quod non habet, ut jam ſuprà diximus. Idcircò cùm uſurpabitur caſſiæ uſus, id ſumma cautione & circumſpectè faciendum eſt, explorata videlicet uniuſcujuſque natura & conſtitutione, cui ea præſcribitur. Siquidem pituitoſus & obæſi ac craſſi corporis conſtitutione præditus æger, ea quidem uti tutò

Caſſia vehementia.

Ejuſdem interna anatome.

Caſſia cautè utendum.

poſſit: alius verò, citra noxam, & commodè nequaquam queat. Nolim igitur videri illius uſum improbare aut damnare: ſed ex interiore illius anatomia & diſſectione, quam ſæpè aggreſſus ſum, demonſtrare volui, quid intus contineat, nec ubique aut ſemper in omni ſubjecto illius uſum eſſe recipiendum: at ne pleuriticis quidem, etſi omnibus aliis purgantibus, illis interdicatur, ea tuta eſt, licet benignum & temperatum inter alia omnia judicetur eſſe medicamentum. Quinetiam ejuſdem pulpâ ſolâ exhibitâ, uſque adeò ventriculus diſtenditur & intumeſcit, ut magna flatuum copia perturbetur, ac vehementer torqueatur, quod ea utentibus valdè noxium ac perniciosum eſt. Si autem ea, in majori etiam doſi, aliquo apto & idoneo decocto diluatur, decoctumque clarificetur, ac colo trajiciatur, adjecta uncia una ſyrupi de cichorio cum rhab. aut ſyrupi roſati ſolutivi, melius agitur cum ægris quibus propinatur ex Medicorum nonnullorum ſententia. Nos autem utemur meliùs ſequenti opiata purgatoria ad minorandam epilepticorum materiam, cujus deſcriptio ſequitur.

Opiata purgat. Quercetani. ℞ *polyp. q. viſci querni, ſeminis carthami ana* ℥ ij. *paſſul. purgatarum à vinaceis, liquiritiæ ana* ℥ j. *prunorum dulcium, jujubarum, ana*

Ana n. xx. *ſem. peoniæ, cardui bened. ana* ℥ ß. *florum calendul. tiliæ arboris, lilii convall. ana p.* j. *florum cich. viol. bor. bugloſſi, roſ. ana p.* ij. *ſandali citrini* ʒ iij. *cinam. aniſi ana* ʒ j. ß. *decoquantur & exprimantur ac clarificentur. In ſuff. quantit. hujus decoctionis clarificatæ, atque in vas vitreum inditæ, adde folio ſennæ orient.* ℥ iij. *agar. troch. rhab. ana* ʒ vj. *epithymi p.* j. ß. *vas vitreum optimè ſigillatum, ac in Bal. Mar. inditum, ibi triduum moretur, ut omnia in ipſo ſufficienter digerantur: dein fortiter exprimantur. Expreſſioni addantur pulpæ caſſ. tamarindorum, cum aqua viol. extract. ana* ℥ iij. *mannæ granatæ optimæ, penidiorum, ſacchari violati q. ſuff. fiat electuarium, coctum ad perfectionem, ut artis eſt.*

Hoc medicamentum dici poteſt antidotus catholica, non ſolùm antepileptica, ſed quæ variis aliis, tùm acutis, tùm diuturnis morbis conferre poteſt, blandeq; humores omnes evacuare ac reprimere citra calefactionem, aut ullam moleſtiam. Hæc antidotus ut plures aliæ deſcriptæ ſunt à nobis in noſtra Pharmacopœa reſtituta, cujus exhibetur ℥ ß. in forma boli. Aut ſi forma potus jucundior ac gratior eſt, diſſolvatur medicamentum in decocto aut aqua convenienti, in qua per noctem maceretur: dein poſtridie clarificentur omnia cum ovi albumine juxta artem. *Ejus uſus.* *Doſis.*

Huic

Huic potioni addi poterit, in gratiam eorum, qui fortiore purgatione opus habebunt, ſyrupus aliquis roſatus ſolutivus cum rhab. aut cum ſenna, eorum qui à nobis in Pharmacopœa noſtra deſcripti ſunt: qui etiam ſoli purgandis infãtibus, & junioribus ac delicatioribus, in minorativum conducunt ac apti ſunt.

Nonnulli minorativi loco uſurpant pilulas de aloë & de hiera, quas iis, qui potiones præ debili & delicatulo ventriculo ferre nequeunt, nec bolos, ſumendas præſcribunt. In hunc finem pilulæ noſtræ de aloë in aliis noſtris conſiliis, ac præſertim in Pharmacopœa noſtra deſcriptæ, maximè conducunt & excellunt, virtute aloëphanginas, & pilulas de aloë roſata, de aloë lota longè lateque ſuperãtes, etſi aloë benè riteque præparata ac lota inſtar balſami ſit ventriculo & hepati, ac tantoperè à Celſo commendetur, ut omnibus aliis purgantibus, ventriculo noxiis, correctivi loco admiſceri jubeat. Aloëndarium etiam medicamentum à Guinterio Andern. in libro de Peſte deſcriptum, ubi alia, quàm vulgari, ratione parata eſt aloë, præſtantiſſimum habetur.

Diaſenna Montagnanæ, aut illa ipſa quam in Pharmacopœa noſtra tradidimus, in qua tartari crudi loco, cremorem aut cryſtallum tartari ſubſtituimus, benignum pariter ac lene pur-

ne pur-

ne purgativum eſt, quod in minorativum cō-modè uſurpari poteſt. Hic addendus eſt ſyrupus de ſenna noſtræ deſcriptionis.

Atque hoc florilegium eſt medicamentorum benigniùs ac mitiùs purgantium, quæ primæ corporis regioni expurgandæ multùm conducunt, & quibus in eum finem Dogmatici medici, vel expertiſſimi omnium, utuntur. Illis, quicquid ingenii ac induſtriæ Deus nobis largitus eſt, candidè impertiti ſumus & adjecimus.

Repurgata igitur, ut ſuprà dictum eſt, prima corporis regione, in uſum venit, concoctio, attenuatio, & humorum præparatio (ut vocant) idq; antequam ad morbi radicem extirpandam tranſeatur. *Concocta enim medicari & movere, non cruda, oportet, inquit Hippocrates.* Quam quidem humorum concoctionē ſic capimus in corpore aptè fieri, cùm, juxta Hippocratem, fluida redduntur corpora, hoc eſt, materia coagulata ac fixa redditur liquabilis & ſoluta, quæ corporea ſunt, in ſpiritum attenuantur, aut quæ ſpiritualia, in corporea convertuntur, hoc eſt, cùm craſſa extenuantur, & tenuia incraſſantur. Hæc veræ coctionis ſpecies (quam tamen non aſſerimus, eam eſſe ubique, quę ab Ariſtotele 4. meteor. cap. 2. adfertur) fuſiùs ac clariùs à nobis alibi explicabitur; cujus etiam effectus genuinos in hoc

Humorum præparatio.

in hoc ipſo tractatu demonſtrabimus, cùm deinceps de auxiliis & veris præparationum modis, ab Hermeticis in humorum peccantiũ concoctionem uſurpatis, verba faciemus.

In præparantium uſum uſurpant apozemata, hydromelita, oxymelita & ſyrupos huic ſcopo congruos. Quo remediorum genere ubique pharmacopolarum officinæ ſcatent, nec non tam veterum quàm recentiorum libri practici. In omnium autem præparantium locum, quibus vel doctiſſimi quiq; Dogmatici uti conſueverunt, unicam tantùm formulam apozematis methodo hic deſcribemus. Ad cujus exemplum, & hydromelita & oxymelita, aliaq́; id genus remedia, eodem ſpectantia, componi poterunt.

Apozema. ℞ *rad. pæoniæ, galangæ, cyperi, angelicæ, calami aromat. ana* ℥ ß. *rad. graminis, aſparagi, viſci quer. ana* ʒ vj. *cichorii cum toto; endiv. ſcariolæ, fumariæ, lupuli, meliſſæ, prim. veris, agrimoniæ, ceterach. polytrici ana m.* j. *chamæd. chamæpyt. hyſſopi, thymi, majoranæ, menthæ ana m.* ß. *ſem. aniſi, cardui bened. pæon. ſeſel. citrii & corticis ejuſdem ana* ʒ iij. *florum anthos, calend. beto. ana p.* j. *florũ tiliæ arboris, lilii cõval. ana p.* j. ß. *fiat decoctio in oxymelite ſimpl. ad* ℔. j. ß. *in colatura clarificata diſſolve ſyrupi cort. citrii, de ſtœchade, & de beton. ana* ℥ iij. *fiat apozema aromatizandum* ʒ j. *diamoſchi dulcis, utatur per* 5. *dies.*

Ejuſ-

Ejuſmodi apozemata inter præparantia primum locũ obtinent, in quibus pratorum propè omniũ herbæ & flores omnis generis bona ex parte capitales & calidi acervantur. In caput enim morbum graſſari hunc præcipuè plerique omnes autumant, cujus in cauſam, cùm pituitoſam materiã frigidamq; accuſent, citra cõtroverſiam ex calefacientibus propè omnibus ſimplicibus, apozemata ſua conſcribunt. Veruntamẽ præter primariã cerebri affectionem, habent etiã illi cordis, ventriculi, ſplenis & matricis rationem ſi afficitur mulier; hinc fit, ut cardiaca, hepatica, & ſplenica hyſtericaq; immiſceant remedia. Porrò cùm varii etiam ægrotantium temperamenti magna ſit habenda ratio, cùm alii ſint phlegmaticæ, alii bilioſæ, alii melancholicæ conſtitutionis: quin etiam alii craſſi & obæſi, alii macri & extenuati, alii ætate grandiores, alii juniores, denique ſexus ipſe cùm magnà cautione ſit diſtinguendus, pro omnium iſtorum obſervata varietate, varia etiam adhibenda erunt remedia: ut (verbi gratia) proponatur nobis bilioſus aliquis & calidi temperamenti; abſtinendũ erit in illius medicatione à calidioribus medicamentis, quæ phlegmatico alicui ægro poſſint congruere: aut ſaltem calidiora, ſi quæ uſui ſunt, frigidioribus erunt temperanda ut minùs incédant aut noceant.

Cauſa variationis remediorum.

Quæ

Vim medicatricem ſimplicium non à qualitatibus procedere.

Quæ quidem ratio à Dogmaticis ſummo jure obſervatur. At, ut liberè loquar, parum fidendum cenſeo rationibus eorū, qui omnem auxiliorum vim ex ſimplicibus frigidi, calidi, &c. qualitatibus deducunt, & totam pendere autumant. Etenim in his affectibus qualis epilepſia eſt, hujuſmodi qualitates prorſus eſſe frigidas, inertes & invalidas, ſatis ſuperque experientiâ comprobatur: quod jam alibi attigimus, ut fuſiore repetitione nunc non ſit opus. Nec quis putet hanc mei ſolius eſſe opinionem, & à Paracelſo emendicatam: idem nobiſcum ipſe ſentit Hippocrates libro illo ſuo de antiqua medicina, quem jam alibi citavimus: ubi rejectis eorum hypotheſibus, qui rerum virtutem calori, frigori, aliiſque id genus qualitatibus, adſcribunt, ipſe potentibus & efficacibus ſaporum, acidi ſcilicet amari, &c. facultatibus potiùs quàm illis vēdicat; ubi quàm propè ad Hermeticorum ſententiam accedat, ut fuſiùs alibi expoſuimus, elucеſcit.

Hinc igitur diſcendum, non ad ſolam ſimplicium caliditatem reſpiciendum, quùm nec pœonia, nec viſcus quer. nec tiliæ, aut lilii cōvall. flores, alcis ungula, cranium hominis, ceraſorum nigrorum aqua, hirundinum & picarum, atque alia id genus ſubſidia ſpecifica, ex calidis ejuſmodi qualitatibus mēſurentur nec

necà celebrioribus ac magis expertis Medicis Dogmaticis hoc reſpectu in hujus morbi curationem uſurpentur.

In apozematum autem ſuperiorũ locum, ad præparandos humores deſtinatorum, ego potiùs hydromelitum atq; oxymelitum uſum probaverim, quæ hujuſmodi morbis congruũt: quòd minus moleſtiæ & faſtidii, quàm apozemata ſumenti exhibeant: adde etiam, quòd diutiùs integris aſſerventur viribus, ut diu etiam illis uti liceat citra corruptionem, quod in his morbis maximè neceſſarium eſt: ut videlicet nõ in ſex aut ſeptem tantùm dies, ſed in plures menſes etiam eorum uſus protrahatur. Sic enim chronicas affectiones & longa temporis ſerie contractas domari ac evinci decet.

In præparationem igitur morbifici humoris, quod ſequitur hydromel, congruentiſſimum futurum eſt.

Hydromel antepileptiсum.

℞. *raſuræ ligni buxei* ℥ iij. *rad. enulæ campanæ, viſci querni, viſci coryli ana* ℥ j. ß. *raſuræ cornu cervi & ligni rhodii ana* ℥ j. *ſem. cardui bened. citrii, rutæ, ana* ℥ ß. *macerentur per 24. horas in* ℔. viij. *hydromelitis ſimplicis: dein coquãtur ad unius tertiæ conſumptionem, addendo ſub finem coctionis florum tiliæ arboris, lilii convall. calend. ana p.* ij. *ſcyllæ præ.* ℥ j. *demum tranſcolentur per manicam Hippocratis: aromatizen-*

tur, ſi velis, cum pauco cinnamom. & fiat hydromel antepilepticum. Huic, ut melius & utilius reddatur, adjici poſſunt aliquot ſpiritus vitrioli guttulæ, dum aceſcat, & palato gratiſſimum fiat. Hujus hydromelitis ſingulis diebus manè & veſperi duæ aut tres uncię propinentur, quod in longum tempus continuetur.

Spiritus autem vitrioli loco, etſi ſingulare ac præſtantiſſimum remedium eſt huic malorum generi, ad ſingulas hujus hydromelitis doſes, in eorum gratiam, quibus ſuſpecta ſunt metallica remedia & inviſa citra rationem, (ut paulò pòſt dicemus) unam aut alteram, aut etiam plures uncias aceti ſcyllitici admiſcere poteris, quod quidem totum vitriolatũ eſt, nec idcircò à veteribus & recentioribus Dogmaticis repudiatum, ſed ſummè inter omnia præparantia laudatum & celebratum. Aut hydromelitis loco, incoquantur oxymeliti ſcyllitico ſuperiora ſimplicia, quod fortiùs incidet, & humorem peccantem concoquet.

In eundem finem uti etiam poſſumus oxymelite helleborato majore Juliani, toties in Epilepſiam, alioſque id genus morbos, decantato à Geſnero: quod, ut ipſe loquitur, mirificè abſtergit, incîdit, aperit humores omnes, omniaque excrementa è corpore protrudit, ac meatus, intus foriſque reſe-

reſerat: mira denique de eo prædicat Geſnerus, ita ut mirum ſit, ipſum in apothecis Pharmacopœorum deſiderari, & à medicis ab uſu quotidiano excludi. Hujus deſcriptio habetur in Pharmacopœa Auguſt. & alibi.

Quæ mox ſequetur aqua, in eundem finem conducet, quæ opportuno herbarum & florum tempore parari poterit, & ad uſus neceſſarios aſſervari.

℞ *rad. recentium Angelicæ, enulæ campanæ, Zedoariæ, ana* ℥ j. *radicum buxi, pæoniæ, Luna in ſigno Leonis, ſi fieri poteſt, decreſcente collectæ, viſci querni recentis ana* ℥ ij. *dictami albi* ℥ j. *ſem. cardui bened. citrii, acetoſæ, portulæ pæoniæ Luna decreſcente collecti & excorticati ana* ℥ ß. *nucis moſchatæ, macis ana* ʒ iij. *florum cotulæ fœtidæ, ſambuc. ana p.* iij. *florum ſalviæ, ſtœchados, lilii convall. ana p.* ij. *pulveriſanda pulveriſentur craſſiuſculè, & contundenda contundantur & macerentur per quatriduum ad ignem Balnei Maris in aquarum rutæ, ceraſorum nigrorum, florum tiliæ, florum geniſtæ & hyperici, ana* ℔. ij. *dein fortiter per torcular exprimantur. Huic expreſſioni adde ſpec. diamoſchi, diamarg. frigidi, diacorallii ana* ℥ ß. *raſuræ cornu cervi* ℥ j. *confect. de hyacintho, conf. alkermes theriac. veteris ana* ℥ ß. *cāphoræ* ʒ j. *denuò per duos dies in Bal. Mar.* *Aqua antepileptica.*

O 2 dige-

digerantur, ac tandem deſtillentur per cineres. Hujus aquæ exhibeatur pro doſi ℥ ß. cui ſi ſalem ex capite mortuo aut fæcibus, in cinerē redactis, extractum addideris, reaffuſa ea ipſa aqua in cineres fæcum toties, dum virtute ſalis impregnata ſit, longè præſtantius reddetur medicamentū: hujus enim vel minima quantitas exhibita, multò majorem utilitatem pariet, copioſis illis decoctionum hydromelitum à nobis deſcriptorum doſibus, adjectis ſemper aliquot ſpiritus vitrioli guttulis, quod arcanum eſt hujus morbi ſpecificum, ut jam in lite, inter Dogmaticos & Hermeticos intentata, abundè conteſtati ſumus, & ut patere poteſt ex elegantibus illis floribus, quibus Dogmaticorum præcepta hac in parte ornavimus & inſtruximus. Prçterea, nō tantùm humorum pituitoſorum, melancholicorum & bilioſorum præparationi uſui erit eadē aqua, ſive ſeorſim peccent ejuſmodi humores, ſive conjunctim: at apoplexiis etiam, vertiginibus & membrorum reſolutionibus, atque id genus aliis morbis magnoperè conducet, in eorum præcautionem ſcilicet, & paroxyſmorum repetitionem arcendam, ſi ad ſingulas Lunæ quadras, iſtius aquæ unciam exhibueris. Quæ etiam in ipſis morbi paroxyſmis tutò rectéq; exhiberi poteſt, ut curationi & inſultuū violētiæ coërcendæ ac domandæ, ægriſq; ocyſſimè liberandis inſerviat.

Vſus prædictæ aquæ.

Hæc

Hæc aqua præſervans, ſcilicet, præparans, & ſanitatem conſtituens, his tribus ſimul effectis admodum inſignis & potens, ſi accuratè expendatur, partim ex cardiacis conſtare, utpotè, radice angelicæ, zedoariæ, dictami, ſeminibus cardui benedicti, citri & ſimilibus, quæ infeſtis ac malignis humorum peccantium ac necantium qualitatibus opponuntur, eam animadvertetis: partim ex radicibus & ſeminibus pæoniæ, viſco querno, aliiſque id genus, in ſpecificum epileptici morbi remedium ab antiquis & recentibus medicis habitis & celebratis: partim etiam ex iis, quæ cerebro, ventriculo, aliiſq; viſceribus corroborandis maximè conducunt. In qua etiam raſuræ ligni buxei additamentum, à me fortè primò excogitatum, & in compoſitionem etiam apozematum ac hydromelitum relatum, comperietis: denique ea ingeſſi ſimplicia, ut flores ſambuci, camphoram & aquam rutæ de induſtria, quòd in hunc morbũ ſpecificis quibuſdam virtutibus nõ careant: quarum rationes mox ſum redditurus, ne citra rationem aut inconſultè quid feciſſe videar. Ingrati illi cotulæ, ſambuci & camphoræ odores, ſatis arguunt, putido quidem ac narcotico, ſed quòd & mitigativo ſulphure ſcateant. Cujus generis ſulphur, mitigando, ſedando, extinguendoq;, tanto fulminis ardo-

Examẽ ſpecierum compoſitionem illius aqua ingredientium.

Sulphur anodynum. ri, in cerebri noſtri cœlo, furenti, & inſultus hos epilepſię fulgureos jaculanti, aptiſſimum ac congruentiſſimum eſt: quod ſatis teſtatur aurea illa noſtri Nepenthes compoſitio, quæ promptiſſimum ac ſingulare huic morbo adfert ſubſidium. Atque ut particularius cauſas audiatis, quæ nos ad ſcobem ligni buxei, aliòqui admodum fœtentis & caput ferientis, addendam impulit: ſciatis, in eo vim quandam narcoticam & ſoporiferum ſulphur abundè contineri, unde fœtorem contrahit, quemadmodum cicuta, ruta, mandragora, omniaq; papaverum genera, quæ ingratum odorem expirant, quòd narcotica ſint, hoc eſt, narcotico ſulphure nimium tincta & infecta. Adde etiam, in perpetuo virore ligni buxei, & ejus in ſaxoſis ac montanis locis delectatione, ac origine, ubiq; partium illius vitriolatam planè naturam internæ ejus ſignaturæ eluceſcere. Quinetiam cùm ex ejus raſura extillatur aqua, major acidi liquoris irritantis ac pungentis, ſolventiſque ſpiritus vitriolati inſtar, quàm alius humoris, copia extrahitur. Quemadmodum etiam vitriolum alia omnia mineralia narcotico ſulphure ſuperat; ſic ſimplex hoc naturæ illius prorſus fit particeps, eamque induit, ſpiritus ejus ex locis montanis & petroſis, ubi libenter naſcitur, creſcit & luxuriat, exugendo, atq; hinc fœtidiſſi-

Anatomia interna ligni buxei, ejusq; natura & facultas.

diſſimum ſulphur contrahẽdo, quod vi ignis in oleum putore graviſſimum extorquetur. Cujus narcoticæ virtutis magnum eſt argumentum, quòd ea quilibet, vel graviſſimus dentiũ dolor, omnes alios dolores ſuperans, uno momento ſedetur, ſi dentiſcalpium oleo ejus intinctum in radicem dolẽtis dentis immittatur, quæ vix eo attingitur, cùm ſtatim miraculi & incantationis inſtar dolor prorſus avolat & opprimitur. Præſtantiſſimũ igitur eſt, inter omnia ſimplicia, mitigativũ auxilium, nec nõ adverſus omnem virulentiam & verminationem, ut ita loquar, quæ ut plurimum epilepſiarum cauſas inducunt, præſentiſſima antidotus: quale inter mineralia, narcoticũ vitrioli ſulphur habetur, primamque ſedem occupat in curatione hujus morbi, prout ſuo loco fuſiùs docebimus. Addemus & hîc noſtras hujus olei buxei experientias, quod tantæ virtutis re ipſa eſſe experti ſumus, ut omnes generis dolores edomet, corruptiones & putrefactiones corrigat, vermes enecet & expellat, malignoſque vapores, ex quibus ſymptomaticæ epilepſiæ procreantur, quæ facilè tandem in Idiopathicas tranſeunt, arceat & abſumat.

Præter has rationes uſu & experiẽtia à nobis confirmatas, vir quidam Germanus, magni nominis Medicus, ſcriptis ſuis certò te-

Quid ſit oleum ligni Heraclei Rulandi.

ſtatus eſt, oleum ligni Heraclei Martini Rulandi, quo Rulandus ipſe in ſuis centuriis tot epilepticos ſanitati reſtituiſſe, & dentium dolores ſedaſſe affirmat, oleum hoc ligni buxei deſtillatione extracti fuiſſe, non guajacini, ut antea opinabatur. At licet fides eorum dictis detrahatur, experientiis tamẽ meis ſatis confirmor, in hoc buxeo ligno magnam vim anodynam, & Herculem quendam hujuſmodi tàm gravium affectuum domitorem, deliteſcere. Solus unus Martinus Rulandus, aut potiùs, qui patri ſupervixit filius, dignus utique tàm admirandorum arcanorum, tàm admirandi doctiq; patris hæres, refragari mihi poſſit, ſi in electione & uſurpatione buxi, alterius ligni loco, hallucinor. Ille, inquam ipſe eſt, qui reclamare poſſit, ſoluſque dignus, qui ſingularia ejuſmodi arcana in lucem proferat, & Rempubl. medicam eorum participem faciat. Neque enim nobis ipſis nati ſumus, at patriæ, parentibus & amicis. Si autem Heracleum illud tanti pretii lignum, cedros etiam Libani, ob tàm inſignes ejus virtutes ſuperans, publicum fugit medicinæ theatrum, liceat de noſtro ligno, buxo inquam, periculum facere, & viriũ ejus experientias tentare, quacunque libuerit præparationis facie. Sive enim decoctionem ejus uſurpes, ſive liquorem aut oleum, miros ejus in curatione mot-

morborum, his, quos tractamus, ſimilium, ob rationes jam à nobis cōmemoratas, effectus experieris. Sed plus ſatis in excutiendo hoc præparationis articulo immorati ſumus: tempus eſt, ut ad vacuationem & purgationem tranſeamus, ut nempe diſcamus, quando & quomodo eam fieri oporteat, & an ſemper in hoc morborum genere neceſſaria ſit futura.

CAPUT XVII.

De Helleboro nigro, quo ut & aliis violentioribus remediis, vel nulla, vel ſaltem perexigua emendatione correctis veteres utebantur, ejusq; admirandis ad quoſvis graviſſimos ferè morbos facultatibus & præparationis modo.

DEMONSTRATUM eſt antea, quibus vacuantibus medicamentis antiqui in tàm gravi morbo uti erant ſoliti, tum vomitum provocantibus, tùm aliis id genus: helleboro nempe albo & nigro, qui principatum in hunc uſum obtinebant, ex ſententia ipſius Galeni, medicorum Coryphæi, quingentis aut ſexcentis, poſt Hippocratis tempora, annis nati & florentis, quemq; Dogmaticæ medicinæ inſtauratorem omnes profitentur: à quo tamen quàm parum aut inſcitè exitialia illa & violenta purgantia inſtaurata & corre-

Digitized by Google

Violenta & exitialia remedia, vel abſq; ulla, vel ſaltem frivola quadam adhibita præparatione ab antiquis uſurpata.

ćta illo ſeculo fuerint, ex præſcriptis eorum formulis ſatis ſuperq; liquet: ut qui ne hellebori quidē albi, quem præcipuè in epilepſiæ curam uſurpabat (ut ex ipſius commentariis in aph.1.lib.5.videre eſt) ullam aut ineptam emendationē admiſerit, quæ violentiam illius in vomitu provocando, compeſceret: quam quidem hellebori vehementiam & in provocanda vacuatione moleſtiam teſtatur bonus Meſues lib. de ſimpl.c.ult.de helleboro, cum accidētibus terroris plenis fieri. Quin & paulò antè verſiculis aliquot, docuit his verbis, quid de eo ſentiret: *Helleborus albus, inquit, corporibus noſtri temporis eſt moleſtus, imò eſt eis, ſicut venenum propriè præfocans.* Celſus lib. 2.c.13.hæc de Helleboro refert: *At ubi longi, valētesq; morbi ſine febre ſunt, ut comitialis aut inſania, veratro quoq; albo utendum eſt, id neq; hyeme, neq; æſtate rectè datur, optimè vere, tolerabiliter autumno: quiſquis daturus erit, id agere antè debet, ut accepturi corpus humidū ſit. Illud ſcire oportet, omne ejuſmodi medicamentū, quod potui datur, non ſemper ægris prodeſſe, ſemper ſanis nocere.* Cujus rei hodierna etiam experientia certam ſatis fidem facit. Quod tamen antiquorum primarium ac potiſſimum fuit medicamentum, quo ad vomitum in epilepſia & gravioribus aliis morbis, quibus cōgruit, praliciendum utebantur. Ante tamen

Meſ. lib. de ſimpl. c. ult.

illius

illius exhibitionem, levia quædam ab iis obſervabantur: lubricantibus enim prius corpus ad laxationem præparabant, idq́; ex ſententia Hipp. 4. aph. 13. quò minùs laborioſè excrementa, cùm per vomitum, tum per alvum deturbarent. Ratio etiã temporis, horæ & temperamenti habebatur, ac cavebatur aliquando, ne jejuno ventriculo, at potiùs cibato & pleno exhiberetur, ut vomitus faciliùs & minore moleſtia ſuccederet. Quod ad ejus præparationem attinet, ſive quæ fit in turundis majuſculi raphani, in quibus ramenta hellebori infixa per integrum diem macerari ſinebantur: quibus extractis taleolæ raphani in oxymel infundebantur, poſtea deglutiebãtur, ſuper hauſto ipſo oxymelite, ſive quæ cũ pomo, aut quæ cum infuſione in oxymelite fit, aut aliquo alio ejuſmodi præparationis modo: inſipidæ prorſus id genus præparationes, & omni induſtria carentes frigidæq́; ſunt, prę aliis elegantibus utriuſq; hellebori præparationum formis, quas arti ſpagyricæ debemus, quasq́; variis modis deſcriptas, & maximè utiles ac neceſſarias, hydromelitis, oxymelitis, extractionũ, pilularũ & tabellarũ figura in reſtituta Pharmacopœa noſtra videre licet, quas hîc ſigillatim recenſere non ſit opus. Etenim ſine dubio eſt, inter vegetabilia purgãtia, helleborũ, præſertim nigrũ, & aptè & concinnè

Præpar. hellebori juxta antiq.

Vires hellebori nigri mira.

para-

paratum, aſtralibus morbis, ut vocant Hermetici, hoc eſt, tàm altas fixasq; radices habentibus,tamq; occultis ſeminariis ſummum & præſentiſſimum eſſe remedium,atq; idcircò huic tanto tamq; gravi morbo curando & prorſus eruncando ſummè cõducere. Quantis autem laudibus helleborum nigrum ipſe ornarit Hippocrates,perſpicuum eſt;ſic enim de eo loquitur: *ut, ſi opportunè & appoſitè, cui congruit, exhibitus fuerit, illius hominis juventutem inſtauret, perfectam illius valetudinem conſervans, temperamentũ corrigens, atq; inde animi mores commoderans.* Quin & addit bonus Meſue, *illius virtute viſcerum omniũ corruptiones emendari, puritatemq; humoribus eorum reſtitui: magna facilitate & poteſtate ſubtilem bilem cum craſſa pituita mixtam, hancq; cum atra bile, promiſcua omnia, vacuari & expurgari, nec non ejus efficacia ac proprietate totam ſanguinis maſſam purificari, & ſordibus ſuis elui*; uſque adeò venas omnes penetrat, ut ab iis,ex toto corpore,fæces omnes & impuritates proliciat ac educat,tantæq; virtutis eſſe aſſerit, ut ne remotiſſimæ quidem partes,ac ne cutis quidem ipſa extima, illius attactum fugiant. Quo fit, ut hoc medicamentum præſtantiſſimum ſit ac ſpecificum, purgando cerebro, totiq; capiti, ac omnibus ſenſuum inſtrumentis, nervis, viſceribus, veſicæ & matrici

lib. de ſimpl. c. de Helleb.

trici idoneum auxiliũ, huicq́; epilepſiæ morbo, de quo agimus, melancholiæ, maniæ, paralyſi, vertigini & hemicraniæ ſingulare præſidium. Atq; hæ ſunt, quas Helleboro laudes tribuit Antiquitas: cujus uſu tamen hodierni Dogmatici, periculum veriti tot ſymptomatum, quæ procreat, utcunq; videlicet præparatus, prorſus ſibi interdicunt. At cùm tantæ ſit virtutis, huicq́; morbo, de quo agimus, repurgando, & valetudini reſtituendæ accommodatiſſimum ſit medicamentum: aliquot formulas hîc ſubjiciemus remediorũ, in quibus purgationis baſim & principem locum helleboro tribuemus. Si plures quis iis deſideraverit, licebit ex pharmacopœa noſtra illas expiſcari. Aut ſi junioribus, ut infantibus, aut delicatioribus, mitius aliquod & vulgarius medicamẽtum exhibere animus eſt, Galeniq́; exemplo, amarum ex aloë pharmacum illis ſæpè quotannis propinare, pilulæ noſtræ Catholicæ ex àloë, in eadem pharmacopœa noſtra & alibi deſcriptæ, lenioris ac jucundioris medicamenti, quàm ex aloë ſola, citra præparationem, locum abundè ſupplebunt. Ubi etiam multa alia purgantium genera, ſive ſimplicia, ſive compoſita, vulgaria & non vulgaria, comperientur præſcripta, quorum huc traducendorum non eſt hîc locus, nec opus.

Satis

Google

paratum, aſtralibus morbis, ut vocant Hermetici, hoc eſt, tàm altas fixasq; radices habentibus, tamq; occultis ſeminariis ſummum & præſentiſſimum eſſe remedium, atq; idcircò huic tanto tamq; gravi morbo curando & prorſus eruncando ſummè cõducere. Quantis autem laudibus helleborum nigrum ipſe ornarit Hippocrates, perſpicuum eſt; ſic enim de eo loquitur: *ut, ſi opportunè & appoſitè, cui congruit, exhibitus fuerit, illius hominis juventutem inſtauret, perfectam illius valetudinem conſervans, temperamentũ corrigens, atq; inde animi mores commoderans.* Quin & addit bonus Meſue, *illius virtute viſcerum omniũ corruptiones emendari, puritatemq; humoribus eorum reſtitui: magna facilitate & poteſtate ſubtilem bilem cum craſſa pituita mixtam, hancq; cum atra bile, promiſcua omnia, vacuari & expurgari, nec non ejus efficacia ac proprietate totam ſanguinis maſſam purificari, & ſordibus ſuis elui*; uſque adeò venas omnes penetrat, ut ab iis, ex toto corpore, fæces omnes & impuritates proliciat ac educat, tantæq; virtutis eſſe aſſerit, ut ne remotiſſimæ quidem partes, ac ne cutis quidem ipſa extima, illius attactum fugiant. Quo fit, ut hoc medicamentum præſtantiſſimum ſit ac ſpecificum, purgando cerebro, totiq; capiti, ac omnibus ſenſuum inſtrumentis, nervis, viſceribus, veſicæ & matrici

lib. de ſimpl. c. de Helleb.

trici

trici idoneum auxiliũ, huicq; epilepſiæ morbo, de quo agimus, melancholiæ, maniæ, paralyſi, vertigini & hemicraniæ ſingulare præſidium. Atq; hæ ſunt, quas Helleboro laudes tribuit Antiquitas: cujus uſu tamen hodierni Dogmatici, periculum veriti tot ſymptomatum, quæ procreat, utcunq; videlicet præparatus, prorſus ſibi interdicunt. At cùm tantæ ſit virtutis, huicq; morbo, de quo agimus, repurgando, & valetudini reſtituendæ accommodatiſſimum ſit medicamentum: aliquot formulas hîc ſubjiciemus remediorũ, in quibus purgationis baſim & principem locum helleboro tribuemus. Si plures quis iis deſideraverit, licebit ex pharmacopœa noſtra illas expiſcari. Aut ſi juniotibus, ut infantibus, aut delicatioribus, mitius aliquod & vulgarius medicamẽtum exhibere animus eſt, Galeniq; exemplo, amarum ex aloë pharmacum illis ſæpè quotannis propinare, pilulæ noſtræ Catholicæ ex áloë, in eadem pharmacopœa noſtra & alibi deſcriptæ, lenioris ac jucundioris medicamenti, quàm ex aloë ſola, citra præparationem, locum abundè ſupplebunt. Ubi etiam multa alia purgantium genera, ſive ſimplicia, ſive compoſita, vulgaria & non vulgaria, comperientur præſcripta, quorum huc traducendorum non eſt hîc locus, nec opus.

Satis

Satis igitur nobis fuerit, in medicamentum purgans epilepſiis accommodatiſſimum, ſolùm hunc ſyrupum helleboratum deſcribere, ut ſequitur:

Syrupus helleboratus.

℞ *rad. helleb. nigri, veri & electi* ℥ j. *polyp. q. ſeminis carthami ana* ℥ j. ß. *viſci quer. coryli ana* ℥ j. *turbith. gummoſi, agarici trochiſcati, aſari ana* ʒ vj. *ſem. pæoniæ, aniſi, citrii, cardui bened. acetoſæ ana* ʒ iij. *diptamni Cretenſis, florum tiliæ arboris, calendulæ, centaurii minoris, hyperici ana p.* ij. *florum viol. bugloſ. nymphææ ana p.* j. ß. *macerentur in ſ. q. oxymelitis ſcyllitici & aquæ fumariæ, idq́ in vaſe vitreo optimè clauſo, ad ignem Bal. Mar. per duos dies ad minimum, deinde fortiter exprimantur ac clarificentur. In* ℔. ij. *hujus colaturæ macera deinceps, & digere ad eundemmet ignem Baln. per 4. dies rad. hellebori nigri veri & electi* ℥ j. *foliculorum ſennæ* ℥ iij. *macis, caryop. cinnam. ana* ʒ j. *Denuò fortiter exprimantur, & per unum aut alterum diem in eodemmet Baln. Mar. quàm optimè purificentur, ut artis eſt, ſemel aut bis in die ad minimum, fæces, quas in fundo vitri ſubſidere percipies, rejiciendo, & quod purius eſt, denuò purificando, idq́ reiterando, donec materia nullas amplius fæces ſeponat ad fundum vaſis. His peractis, adde ſacchari viol. q. ſ. ut coquantur in ſyrupum, addendo ſub finem coctionis rhab. ſeorſim in ſucco roſarum pallidarū macerati & expreſſi*

preſſi ℥ j. ß. *miſce, fiat ſyrupus mediocriter coctus. Doſis eſto* ℥ j. *vel* ℥ ij. Per ſe exhibetur, vel cum aqua lilii convall. ſemper addēdo potioni guttulas aliquot ſpiritus vitrioli, ex arte præparati. Atq; is unus eſt ſyruporum noſtrorum purgantium antepilepticorum: cujus omnibus æquè, ſive ii ſint infantes aut fœminæ, ſive juvenes aut veteres, obæſi aut macri, ſive cujuſvis temperamenti homines, tutus eſt uſus, eam doſin exhibendo, quæ pro cujuſvis ægrotantis debili aut forti natura ſatis eſſe poſſit. Idem met auxilium apoplexiis, paralyſi & melancholiæ, aliiſq; id genus morbis, validas etiam fixaſq; radices habentibus, ſummè conducit.

Si tamen fœmina eſt, quæ hujuſmodi morbo conflictetur, ut ſæpenumerò id contingit, purganti ſyrupo adjicienda erit bryoniæ radix, quinetiam in purgationem addi poterit fæcula bryoniæ, cujus deſcriptionem tradidimus ac præparationem in illa noſtra Pharmacopœa, quod hyſtericum eſt medicamentum, idq; ſpecificum & proprium ſolutivum: quales ſunt etiam extractiones, quæ fiunt ex ſuccis mercurialis & rutæ, quæ ibidem etiam habentur.

Caput XVIII.

De revulſionibus & derivationibus, operationibus chirurgicis, deq; medicamentis corroborantibus, tàm generalibus, quàm ſpecialibus Dogmaticorum.

QUÆ huic affectui adhibentur revulſiones ac derivationes, clyſteribus acribus, attrahentibus ac vellicantibus, necnon ſuppoſitoriis commodè fient: item apophlegmatiſmis, maſticatoriis, errhinis, gargariſmis & ptarmicis. Atq; ut ex chirurgia aliqua etiam petamus remedia, aptè hæmorrhoides aperientur: venæ etiam malleolorum ad fluxum ſanguinis ſecabuntur, præſertim ſi ex ſuppreſſis menſibus vitium oriatur, quod utplurimùm contingit: nec non hirudinum ad frontem, pone aures, atque ad alias capitis partes commodas, affixio futura eſt utilis, ſi in eo morbi vitium ſitum eſt primariò.

Chirurgicæ operationes.

At ſi ex infimis partibus cauſa mali exurgat, pedibus, cruribus, femoribus, hypochondriis, cucurbitulæ cum ſcarificatione utiliſſimè apponentur: necnon & in ſuperiorum partium revulſionem, ſcapulis congruè affigentur. Ligaturis etiam fortibus & frictionibus, commodiſſimus futurus eſt uſus.

Quin-

Quinetiam ad cauteria actualia aut potentialia, ut vocant, ſuturæ coronali, occipitio, aut colli cum capite commiſſuræ adacta, tranſiri fœliciſſimè poteſt: idq; ut exitiali materiæ, ſi caput primùm ea infeſtetur, exitus ſternatur: aut ad ea loca proximè, ex quibus virulenta cauſa emergere percipitur, emunctoria, ad eam materiam divertendam ac diſtrahendam, excaventur, quæ ſæpenumerò ex femoribus, cruribus & pedibus, atq id; genus partibus infimis & procul diſtantibus evaporat & ſcaturit. *Uſus cauteriorum.*

Quod ad materiam eorum pharmaceuticorum auxiliorum attinet, eam fuſiùs aut minutiùs excutere, non eſt noſtri inſtituti, præſertim cùm ſubjectum boc omnibus ſit notiſſimum, de eoq;, aut bona ejus parte jam abundè, dum de præſentis paroxyſmi cura hujus morbi ageremus, à nobis dictum ſit.

Reſtat igitur (ut præſcriptam methodum ſequamur) de affectarum partium corroboratione, de intemperiei earundem correctione, ac reliquarum peccantis materiæ diſcuſſione, dicere.

Roborationi conferunt conſ. rad. pæoniæ, acori, pyrethri, cortices citriorum, & myrobalani condîti: conſervæ quinetiam florum ſalviæ, roſmarini, ſtœchados, betonicæ, uniones ſeu margaritæ, coralli, ebur, cornu mono- *Corroborantia.*

cerotis, cornu cervi, præparata omnia ex arte: ſpecies aromatici roſati, diarrhod. diamb. diamoſchi, lætif. Gal. dianthos Nicol. diamarg. calidum Avicennæ, diacaſtorium, confectio de hyacyntho, de granatis, Alchermes, & id genus alia, quæ in uſu ſunt, ſive ſimplicia, ſive compoſita, quæ in varias aptantur formulas, ut opiatas, condita, tabellas: quibus Neoterici ſemper aliquid ſpecificorum, hodie in curam hujus affectus uſurpatorum, ſolent adjicere, qualia ſunt alcis ungula, cranium humanum, viſcus quernus, ſemen radixq; pæoniæ. Quod autem ad ungulam aſini attinet, cujus uſus veteribus fuit familiaris, nunc apud recentiores Medicos, ea propemodum exolevit.

Specifica Epilep.

Inter autem ea ſpecifica, vulgò recepta remedia, cùm in uſum admittuntur, certis quibuſdam obſervationibus deliguntur: ut ſcilicet poſterioris pedis potiùs quàm prioris, alcis ungula uſurpetur, quæ apud nonnullos, annulo incluſa, ita ut cutem attingat, geſtatur: apud alios collo appenditur, nudam pariter carnem contingens: hacq; adminiſtratione virtutis laudem conſequitur, profligandæ prorſus iſtius ægritudinis, nec non ipſo inſultu & paroxyſmo ocyùs ægrum liberandi, idque ex obſervationibus Joannis Agric. & Ammonii. Ab aliis ſcobs ejus & pulvis potu exhi-

exhibetur, quod præſentiſſimum creditur eſſe remedium Geſnero lib. de Quadrupedibus, cap. de Alce.

Sic etiam in cranio cautiones adhibentur, ne ſcilicet pars ejus poſterior, ſed anterior potius in uſum ſeligatur, ut fœminæ fœmineum, mari maſculũ adaptetur. Solet autem ſic adminiſtrari, ut ab aliis pulvis tantùm ejus propinetur citra ullam aliã præparationem: ab aliis calcinatus, & in cinerem candidiſſimum redactus exhibeatur. Qui autem calcinatione meliùs reddi ſpecificum opinantur, reprehenſione non carent eorum, qui ejuſmodi præparationem improbant: quòd in peruſta (ut ajunt) illa calvaria nullus ſuperſit primigenius humor, nullumq; principium vitale reſtet: ſatiusq; in ſcobem deraſam propinandam exiſtimant, citra ullũ aliud præparandi genus. At ne ipſi quidẽ ſatis acutè perſpiciunt, aut prudenter diſtinguunt, utrum cranium fuerit melius, an recens, an ex ſepulchris effoſſum, & longo jam tempore exuccum ac deſiccatum.

Calcinatione humidũ primigeniũ non abſumitur.

Atqui diligentes iſti humoris primigenii, & vitalis principii inquiſitores & ſcrutatores, ſi rerum ſalibus incluſa illa non agnoverint, magnorum ac verorum philoſophorum, naturæ arcanorum indagatorum titulo prorſus indigni ſunt: at ſophiſtarum ac pædotribarum,

rum, qui græca latinè vertendo, & ex ſuggeſtis publicæ ſcholæ multa garriẽdo, ſibi grandia omnia arrogant, & ex admiratione, quam apud juniores quoſdam adhuc analphabetos diſcipulos ſuſtinent, jam ſe ad cœlum uſq; extremum evectos, planè ſibi perſuadent ac ementiuntur.

Sed de his ſatis dilucidè jam in tractatu noſtro de priſcorum philoſophorum medicinæ materia, &c. egimus, nec non pluribus locis alibi, quæ hìc repetere ſupervacaneum ſit.

Salis ſubſtãtia fixa. Quicquid eſt: ſalem, certiſſimum eſt, trium principiorum hypoſtaticorum fixiſſimum eſſe, in eoq; firmiſſimas tincturas ac impreſſiones deliteſcere: hinc fit, ut liquoribus ac oleis animalium terra abſumptis & exeſis, oſſa, ſalium domicilia, ipſaq; propè tota ſales, licet exiccata tumulo, fixa tamen firmaq; ſola ſuperſtent, nulla temporis ſerie expugnabilia nec vincenda. Quæ etſi exterantur, eorum tamen ſales neutiquam diſpereant, ſed in ipſa terra permanentes deprehendantur. Veruntamen, ea etſi oſſa magnam ſalis copiam in ſeſe contineant, eorum ſal multis terræ partibus involvatur, & viribus ſuis idcircò interpelletur, nullos ſuæ virtutis effectus producit, quales diſſolutus & ſeparatus præſtare ſolet, nec balſami ſui vires exerere, quin terreſtribus illis vinculis expediatur. Quod una calcina-

cinatione fieri tantùm poteſt, quâ ſales in cineres rediguntur, ex quibus à perito philoſopho ac artifice, mediante propria aqua, aut quavis alia huic rei idonea, ſal eximius, ac magni pretii elicitur: qui venis noſtris impertitus, humidum verè primigenium, activis qualitatibus longè potentius, quàm cranium ſimplex, in pulverem redactum, dici poteſt. Cujus etiam ad perfectam albedinem calcinati, humor noſtro ventriculo inſitus, ſalem diſſolvere, & in partes corporis omnes diffundere potis eſt.

Neque hîc rejicio vulgarem illam cranii præparationem aut calcinationem, Dogmaticis nonnullis cognitam: etſi mox ſinceriores, purioresq́; ac earum legitimũ uſum ſubjuncturi ſumus, quùm auxilia Hermeticorum producemus, à quibus egregias illas ac elegantes philoſophicasq́; præparationes hauſimus, iisq́; acceptas referimus.

In viſci autẽ querni, radicis ac ſeminis pæoniæ adminiſtratione, quædam etiam in illis colligendis traduntur obſervationes; ut videlicet radices & ſemina hujus pæoniæ decreſcente Luna decerpantur: nec non & eodem tempore viſcus quoq; quernus colligatur, ſed cùm Juppiter in aliqua domorũ ſuarum fortunatus admodum fuerit, Lunam ſcilicet trino vel ſextili aſpectu intuens.

Sed jam ſatis experientias hujuſmodi præſidiorum in hunc affectũ ejusq́; curam rationibus ſuis confirmatas ſuprà attigimus: nonnullas adhuc porrò ſubnectemus ſuis locis.

Hoc tantùm loco, formulam unam roborantis medicamenti in opiatæ formam adjiciemus, ut ſequitur:

Opiata corroborans.

℞ conſervæ florum anthos, pæoniæ, bugloſſæ ana ℥ ß. corticis citrii ſaccharo conditi ʒ ij. pulveris viſci querni & ſeminis pæoniæ decreſcente Luna collecti, ungulæ Alcis ana ʒ ß. cranii humani calcinati ad albedinem ʒ j. ß. coralli præp. margaritarum præparatarũ, cornu cervi præp. unicornu ana ℈ iiij. lapidis Bezoardici veri ℈ j. diamoſchi dulcis, diatriaſandali ana ℈ ij. theriaces veteris, confect. de hyacyntho ana ʒ j. cum ſyrupo conſervæ citrii fiat opiata mollis, de qua capiat ad molẽ nucis avellanæ ſingulis matutinis, idq́; in longum tempus protrahatur; ſtatim ad ſingulas doſes hauſtulum aquæ lilii convall. florum tiliæ, qui etiam huic malo ſpecifici ac congruentiſſimi ſunt, aſſumendo. Nec non in eundem uſum propinentur etiam aquæ hirundinum aut picarum, de quibus antea locuti ſumus.

Habentur etiam in noſtra Pharmacopœa, nonnullæ aliæ theriacales aquæ antepilepticæ, quæ corroborandis partibus etiam conducunt: quarum huc ſupervacaneum ſit deſcriptiones traducere.

Poſſu-

Poſſumus etiam ex ſuperioribus medicamentis alias formas concinnare, utpote electuariorũ, tabellarum, & id genus aliarũ, in uſum diuturnũ matutinis horis exhibendarũ.

Atq; hæc ſunt generalia corroborantia, quæ præcipuè affectum cerebrum reſpiciunt, ubi hujuſmodi morborum, ex Dogmaticorum ſententia, ſedes conſtituta eſt.

At ſi radix & ſeminarium morbi in ventriculo ſitum eſt, ea ſuperioribus adjicientur remedia, quæ ei conducunt. Si verò ex matrice affecta morbi cauſa procreatur, ejus etiam habenda erit ratio.

In peculiarem etiam partium corroborationem, epithematis, fotibus, ſuffitibus, cucufis, ſcutis, balſamis, emplaſtris, & id genus aliis, partibus affectis accommodatis, utendum erit.

Ex his perſpicuum eſt, in generalibus ac particularibus roborantibus, Dogmaticos in frequenti & vulgari uſu habuiſſe flores ſalviæ, roſmarini, ſtœchadis, betonicæ, ſemina pæoniæ, juniperi, & alia id genus omnia propemodum calida & odorata; nec non moſchum, ambram, ejuſmodi compoſitiones ingredi: quòd, ut jam alibi, cauſam eorum propugnando, expoſuimus, opinẽtur propè omnes à cauſa frigida hunc affectum procreari, eaq; craſſa & pituitoſa, ideoque incidentibus,

Digitized by Google

calefacientibus & attenuantibus habere opus remediis. Attamen frequenti experientia didicimus, ejuſmodi calefacientibus & odoratis remediis auctos potius & excitatos fuiſſe hos affectus, quàm imminutos aut ſuperatos. Nunquid id accidit ideò, quòd moſchus & ſimilia odorata ſint καρυβαρικὰ, hoc eſt, caput gravantia, & opplentia cerebrum, & plethoricas cauſas augentia? Quin re ipſa quotidiana nos docet experientia, mulieres hyſtericis affectibus, huic morbo germanis ſororibus, obnoxias, ſolo chirothecarum moſcho ſuffitarum odoratu, & id genus aliis, in inſultus incurriſſe hyſtericos, iisq; illas uno momento concidiſſe & proſtratas eſſe. Quinetiam ipſe vidi, multos ne roſæ quidem odorem ſuſtinere potuiſſe, nec citoniorum, quin ſtatim rheumate corriperentur, & perpetuis ſternutationibus concuterentur: imò etiam graviſſimis capitis doloribus torquerentur, uſque adeò odores illi fragrantes & vaporoſi cerebrum opplent, agitant & perturbant. Quod ſummoperè à Dogmaticis & accuratè notandum eſt, in quotidiana roborantium ſuorum adminiſtratione, ubi frequentiùs peccatur, quàm proficitur. Idcircò paulò pòſt, ſuo loco, videbimus, ſpecifica Hermeticorum roborantia longè aliam diverſamque naturam habere, quorum etiam probabiliores ac dilucidiores

A Galenicis in hoc affectu calida & odorata perperam exhibentur.

Moſchi natura.

diores certioresq́; rationes redduntur, cur in uſum hujus morbi aptentur & conducant.

Caput XIX.

Radicalis Epilepſiæ fomitis extirpandi ratio oſtenditur, nec non remedia ad hunc ſcopum opportuna adducuntur.

RESTAT modos explicare, quibus hujus morbi reliquiæ radicitùs erui, & funditùs extirpari queant. Cùm enim alta & occultiſſima ſint illius ſeminaria, ſimplicibus ægrè & levioribus tantùm medicamentorum præparationibus ſolvi ac ſubigi poſſunt: quibus etiam edomandis, vulgares vacuationes, revulſiones, derivationes, roborationes ad aliquot dies adminiſtratæ, impares fuerint. At longiore multò tempore ad ejuſmodi radices eruncandas opus fuerit, ut ſcilicet ſenſim & paulatim, ac continua diuturni temporis ſerie exhibeantur ac adminiſtrentur: quibus vel ſic quidem vincendo malo non ſatis paribus ac validis, neceſſarium fuerit ad chronicas diætas (ut vocant) perfugium, hoc eſt, ad ſubſidia hydrotica, diaphoretica ac diuretica: ſed nec ſpecifica propria, quæ ad occultas illas cauſas prorſus evellendas, malignamq́ue ac perniciosam morbi qualitatem, qua

Seminales Epilepſiæ fomites difficulter è globis ſuis eliminantur.

Indicationes huic ſcopo inſerviẽtes.

ſtipari conſuevit, coërcendam ac extinguendam, reſpiciant: ut hac ratione viſcera craſſis illis impuritatibus ac obſtructionibus, quibus ſcatent, expediantur, ſupervacaneiq; humores inciſi, attenuati, ſoluti, & per urinas expurgati, prorſus exhauriantur & abſumantur: atque ſic venenati ac maligni illi vapores ſudoribus excludantur, ac exhalent, ut œconomia membrorum depravata in integrũ reſtitui poſſit, & temperata firmaque corporis conſtitutio reddi. Sic enim concoctiones juvabuntur, & tota ſanguinis maſſa defæcabitur, omni contagii ac veneni labe ſic excluſa, qua ſæpenumerò omnes hujus mali cauſæ foventur ac creſcunt.

Diaphoretica principalia.

Inter remedia, hos curationis & corroborationis ſcopos ſpectantia, baſamicum & odoratum guajacũ, Indicum illud lignum, nec non lignum Saſſafras, quod ex Florida, in qua creſcit, ad nos advehitur, cujus aromaticus ſapor, dulcedinem fœniculi æmulans, guſtui eſt gratiſſimus, principem locum inter hydrotica omnia & diaphoretica, occupant: quæ etiam pervicacibus morbis omnibus ac chronicis, quorum frigidæ ſunt cauſæ; nec non cõſtitutionibus ac naturis obæſioribus, craſſioribus ac pituitoſis, adminiſtrari utiliter & adhiberi ſolent.

Inter ſudorifica, quæ vulgariter uſurpantur,

tur, Salſa parilla & radix Chinæ, minùs calefacientia habentur: quæ idcircò in id genus morbis adminiſtrantur, qui radices occultas habent, & diuturnitatem temporis conſequuntur, omnibus aliis remediis fruſtra tentatis: quæ quidem hydrotica à nonnullis Dogmaticis macris & macilentis adaptantur, & in eorum uſum ſervantur, nec non eorum, qui jecur impensè calidum obtinent, ratis, ejuſmodi ſimplicium decoctionem minùs noxiam, quàm quæ ex guajaco, aut alio calidiore medicamento paratur: quanquam alii laudant guajacum, principemque locum tribuunt in curationem, non tantùm variolarum, ſed epilepſiarum etiam, paralyſis, & chronicorum ejuſmodi morborum ac nullis remediis vulgaribus cedentium: cujus tamen temperatur decoctio ſcobis rhodii ligni admixtione, ut apud Pharmacopœos nomẽ habet, vel quod aliter roſeum aſpalathum dicitur, ſantalum non tantùm ſimilitudine exprimens, ſed odorem roſæ valdè referens, cujus hodie frequentiſſimus eſt uſus, ejuſque cum omnibus ferè aliis decoctionibus mixtio fit, in quibus guajaci & aliorum calidorum hydroticorum calor moderandus eſt, pergratum ſimul ac ſuaviſſimum odorem, ſaporemque decoctioni impertiens.

Inter ea etiam hydrotica communia laurinum

rinum ac juniperinū, ligna recenſentur; quorum in morbis frigidis & pituitoſis temperamentis ac humidis, qualia ſunt quædam paralyſeωn, contracturarum & catarrhorum genera uſus evidens eſt. In eodem albo numerantur ulmaria, carduus benedictus, radix petaſitis aut bardanæ, & id genus alia, quæ longum eſſet omnia recitare, ſatisq; hîc eſſe poſſit cōmuniora quædam enumerare, ad quæ celebriores & majoris notæ Dogmatici, in gravioribus morbis, & pervicacioribus, tanquam ad ſacram anchoram ex vegetabilium familia petitam, hodie confugere ſolent. Ex quibus varii generis decocta parant, quibus unum aut alterū ſudorificorum iſtorum immiſcent modò majore, modò minore copia, prout res exigit, & varia ægrotantium conſtitutio ac temperamentum ſuadet.

Nos verò qui hoc loco de Epilepſia agimus, ea nos medicamenta hydrotica, quæ opportuniora, aptiora, & magis affectui ſpecifica nobis videbuntur, inſeremus, ob commemoratas jam à nobis rationes, quas hîc ſupervacaneum ſit repetere. Atq; ne ab ordine noſtro, & inſtituta methodo aberremus, poſthac etiam ſuo loco, quæ opportuniora etiam, ac aliis morbis huic germanis ſororibus magis congrua ac ſpecifica fuerint, docebimus.

Hydroticū ℞. *raſuræ ligni buxei* ℥ ij. ß. *raſuræ ligni juniperi,*

peri, radicis pæoniæ, viſci querni ana ℥ j.ß. *raſuræ ligni rhodii, cornu cervi, ana* ʒ vj. *raſuræ eboris, radicis chinæ, ſeminis card. bened. & corticis citrii ana* ℥ j. *macerentur per 24. horas in* ℔.viij. *aquæ fontanæ tepidæ: dein coquantur ad unius tertiæ conſumptionem, addendo ſub finem coctionis florum tiliæ arboris, lilii convallium, ana p.* ij. *fiat colatura per manicam Hippocratis, cujus doſis ſit unciarum* v, *vel* vj. *in potu.* Hæc utique potio cujuſvis ætatis & temperamenti hominibus epileptico hoc malo affectis, cōmodè exhiberi poteſt; quùm ea magis ad virulentas ac malignas qualitates edomandas reſpiciat, quàm ad craſſos pituitoſosq; cerebri humores calore ſuo attenuandos, ſolvendos ac vacuandos ſudoribus excitatis. *antepilepticum.*

Nonnullæ ſunt corporum admodum humidæ naturâ conſtitutiones, in quorū uſum, decoctioni non verear ℥ ij. ſcobis guajaci, admodum balſamici, ut jam monuimus, adjicere, ut quod, cùm inter ſudorifica annumeretur, non poſſit non corruptionibus ac verminoſis malignorum vaporum putrefactionibus, quæ ſæpenumerò epilepſiam ſympathicam concitant, obſiſtere. Ditioribus ex aquis ulmariæ, fumariæ, vel florum tiliæ & lilii convallium, hujuſmodi morbo ſpecificorum (loco aquę communis) decoctiones propinaverim. Aut etiam decoctionum loco,

cùm

cùm in iis, pars mercurialis, aut acidulus ejus & fermẽtativus ac ſudorificus ſpiritus vi ignis exhalet, ut in noſtro de lue venerea conſilio ſcripſimus: ſatius fuerit, & malim ego ex ſimplicibus illis, in Bal. Mar. per triduum aut quatriduum digeſtis, liquorẽ cornuta, ut vocant, igne balnei vaporoſo ad ſiccitatem uſq; extillare, unde tota rei ſubſtantia citra aduſtionem proliciatur, ac ſecundam decoctionẽ ex fæcibus parare, quæ loco vini in potum cibi tempore aut extra cibũ etiam exhibeatur. Quod præſtabitur commodè, ſi aridis illis fæcibus, fontana & communis aqua ſuperinfundatur, ex qua fiat decoctio, ac demum decoctione effuſa, exiccatoque capite mortuo, ex eo in cineres candidos per reverberium redacto, cineribusque iſtis in manicam Hippocratis injectis cum cinnamomi conquaſſati modico, velim ego per eos deſtillatam identidem ac crebris vicibus traducere & reaffundere priorem aquam, quæ ſalem fæcum extrahat, unde efficacior & magis vitriolata reddatur. Hujus autem aquæ ſic demum paratæ ſatis fuerit in ſingulas doſes duas aut tres uncias offerre, unde admirandos effectus videre liceat.

Atque ſic, quibus ornamentis ſpagyricis vulgaria illa Dogmaticorum remedia obiter augeamus, ac ditemus, perſpicuum eſt: quæ alioqui parum fœcunda, & prorſus etiam

iam inania deprehenderentur, ſi qualia ſunt, nec arte ſpagyrica adaucta, adminiſtrarentur. At expectate pauliſper amici, ut ſuo loco, illa elegantiore ac nobiliore cultu induta, vobis prodeant.

Cum hujuſmodi remediis utuntur Dogmatici, hanc adminiſtrationem, Diætam facere, vocant, quòd tunc ſtrictum admodum vivendi genus, idq́, attenuans, & exiccans utplurimùm imperetur. Nonnulli ad longum ſatis temporis ſpatium, hanc vivendi formulam, hoc eſt, ad 24. 30. aut 40. dies protrahũt, ut paulatim & longa ſerie, tàm rebelles affectus, longoq́; tempore contracti, domentur ac vincantur. Aliis 10. aut 15. dierum Diæta ſatis, néc ultra progrediuntur. Quod mihi nullo modo probatur. Tanta enim temporis brevitate agitantur, non autem diſcutiuntur aut abſumuntur humores morbifici.

Irrita Diæta Dogmat.

Toto illo temporis Diætæ curriculo purgatur æger (ut & ante illius inchoationem commodè fieri ſolet) idoneo ſpecificoq́; medicamento, idq́; ſexto quoq; die. Cui ſi ſtricta fuerit alvus, biduo quoq; perfundetur emolliente clyſtere, ultra medicamentum ſuperius allatum. Quodq́; poſtremum eſt in hac cura, ut inchoata eſt potione medica laxante curatio, ſic potione ſimili finitur medicatio. Quod quidẽ medicandi genus in nonnullis,

adver-

adverſus ejuſmodi chronicos & pertinaces affectus, qui carnoſæ & obæſæ conſtitutionis, humidiq́; ac pituitoſi temperamenti fuerint, felicem ac efficacem ſortitum eſt exitum. Aliis plus damni, quàm commodi peperit. Quæ enim expectatur cerebri exiccatio, tantum abeſt, ut fiat, ut contra humidius, ac catarrhis cerebrum reddatur opportunius. Hujuſmodi enim calefacientibus remediis incenſus ſanguis, majorem vaporum copiam exhalat & emittit, quibus magis oppletur cerebrum, ſicq́ue turbidum ac nubilum, nec non pluvioſum redditur, hoc eſt, defluxus ac deſtillationes in varias corporis partes concitantur & creſcunt. Cujus rei ſedula habenda eſt ratio, ne quid hujuſmodi remediorum, citra delectum & inconſultè, præſcribatur. Quin potiùs procurandum eſt, ut iſtiuſmodi medicamentis urinæ potiùs provocentur, ſudorifica enim omnia, diuretica quoque haberi ſolent: aut per inſenſilem tranſpirationem ſanguis expurgetur, ne ad ſudores violentiùs adacto corpore plus juſto ſanguis incaleſcat.

Talis Dogmat. medicatio non in omnibus ſuum finem aſſequitur.

Diuretica commendantur,

Caput

Caput XX.

De aquis mineralibus, ad quas Dogmatici ægros poſt omnia ſua fruſtrà tentata remedia, ablegare ſolent, affectui huic ſpecificis, earumq́ facultatibus.

SIc igitur adminiſtratis id genus auxiliis, ſi res parum fœliciter ſuccedat, exiguumq́ue fructum afferat, ſolent iidem Dogmatici ægros ſuos ad thermas & minerales aquas ac metallicas ablegare: quas natura in dies variis Europæ locis, videtur nobis liberaliter & profusè elargiri. At ne altiùs cogamur illas repetere, ſatis ſit nobis eas exquirere, quas Gallia noſtra, locaq́ue nobis etiam circumvicina ac finitima ſuppeditant: ubi nec ferreæ, nec plumbeæ, argenteæ, antimoniales, vitriolatæ, aluminoſę, nitroſæ, gemmeæ, ſulphureę, nec bituminoſæ nobis defuerint: ex quibus aptè uſurpatis & congruè adminiſtratis, in diverſorum affectuum varias curationes, ab expertis doctisq; Medicis, varios & admirandos effectus produci videamus. Quos quidem effectus, ex variis vacuationum generibus, quas ſingulæ ſpecificas habent & proprias (utpote quæ aliæ ſudoribus, aliæ urinarum provocationibus, aliæ per alvum purgationibus, aliæ

Thermæ & aq. mineral.

Earum effectus.

Q vomi-

vomitibus, aliæ tranſpiratione inſenſili medicantur) pręſtari certum eſt. Alias verò aliis dotibus præditas videre eſt, quibus citra ullam apertam vacuationẽ, morbis appoſitè mederi ſolent, idq; viſcera nutritioni inſervientia obſtructionibus ſuis tartareis & mucilaginoſis impuritatibus inhærentibus expediendo, vel optimam illis temperiem, à qua deſciverunt, reſtituendo, ac totam illorum depravatam œconomiam corrigendo & inſtaurando.

Galen. omnibus ſuis deſtituti remediis ad mineralia confugiunt.

Sed quæram libenter ex iis, qui tantoperè in auxilia metallica, aut ex metallorum ac mineralium familia petita (in quorum albo cenſemus lapides, ſuccos terreſtres, ſive ſales ſint, ſive ſulphura) invehuntur & eis adlatrant, cur tentatis omnibus aliis ſubſidiis, & eorum imbecillitate cognita, in graviſſimis ac deploratiſſimis morbis ad thermas minerales, aut medicamentoſas aquas confugiunt, ſi illis virtutem omnem detrahunt, & mortua prorſusq; inertia eſſe contendunt? Nunquid hoc eſt, contra ſuas injuſtas querelas agnoſcere, ſubſtantiam quandam metallicam, eamq; efficaciſſimã iſtiuſmodi aquis ineſſe, cujus virtuti tantorũ malorum curatio arroganda ſit? Quæ quidem vis & efficacia, ſi iſtis aquis deeſſet, ex mineralibus eſſentiis, quid aliud quàm humectare & refrigerare poſſint aquæ thermales? Apage igitur perverſam illã & contortam eorum

Gal. de mineralibus perperam ſentiunt.

rum

rũ de ſubſtãtiis metallicis opinionẽ, qua vitali omni principio eas carere falsò imaginantur, & ratiocinari pertinaciter geſtiunt. Non minùs abſurdè aut temerè diſputant, ac negant ullam eſſe metallorum ſubſtantiis cum hominis natura analogiam ac communicationem: quùm hujuſmodi aquarũ virtutibus tot tantisq; malis hominem liberari & reſtitui indies cernant, ac fateri cogantur, ſive id fiat impuritatum deterſione, vel vomitibus, vel dejectionibus, vel per urinas, præſtita: ſive etiam cõtrà ejuſmodi ſymptomatis, adſtrictionibus aquarũ, & virtutum metallicarũ coërcitis, & ad naturalem habitũ reſtitutis: ſive etiam catharris omnibus, nec non omni hæmorrhagiæ aut profluvii cujuſvis genere ſedatis, & curſu ſuo violentiore interceptis ac compoſitis. Ex quibus etiã thermalibus aquis, atq; etiã metallicis ſubſtantiis & virtutibus, omnis generis febriles, ſive ex pituita, ſive ex bile ardores, non refrigerante aliqua tantùm qualitate, ſed longè alia præſtantiore ac nobiliore potẽtia, modò extinguuntur, modò frigida quæq;, non calida qualitate, ſed potẽtiore efficacia, ad ſuam temperiem revocantur. Sic omnes œdematoſæ ac pituitoſæ frigiditates corrigi ac temperari cernuntur, ſexcentiq; alii admirandi effectus iſtis thermalibus aquis in omnis generis morbos producuntur, pro varietate

ſubſtantiarum metallicarum, quibus dotatæ ſunt & prægnantes. Quis jam neget ex tot tãtisq; virtutibus ac effectis, oculis ipſis perviis vitalia eſſe metalla, omnique (niſi mente captus, & talpa cæcior) ſpirituum vitalium robore deſtitui auſit aſſerere? Quis analogiam & conſenſum hujuſmodi remediis cum hominis natura, temperamento & complexione, ut vocant, nunc detrahat? & tàm arctam conſpirationem ac concordiam, quâ ſeſe mutuò juvant & complectuntur, deneget? Tot itaq; agendi poteſtates tot virtutes, tot miracula, quæ præſtari in tàm gravium & invictorum morborum curationem quotidie perſpiciuntur, ſatis amplam demonſtrandi fidem faciunt, quàm potens & firma ſit ejuſmodi ſpirituum metallicorum tinctura, vitaliſque impreſſio (nedum ut nulla ſit) omniumque aliorum auxiliorum vim & energeiam ſuperans, ut nulla alia probatione, quàm quâ oculis fides habetur, vel apud ipſos cœciſſimos, ſit opus.

Vnde tot tãtaq; mineralium actiones proficiſcantur.

Attamen nuper ſubortum eſt inſanientium neſcio quod genus hominum, huc & illuc titubantium, lumine luſcorum, cerebro & ingenio obtuſo ac hebeti, vel potius contorto & perverſo, qui veriùs vulcaniorum cyclopum imaginem repræſentent, & quos magis fabrilia incudibus & malleis ſordidè tra-

ctare,

ctare, quàm febrilia curare, & medica opera honeſtè liberaliterq; exercere deceat: qui in metallica illa remedia debacchantur, omnibusque viribus eorum lucem extinguere conantur, quòd tàm mirandis remediis & effectis (quos tutò citò & jucundè exerunt) invideant, & à ſeſe talia præſtari, quæ nunquam didicerunt, indigniſſimè ferant, victasq; manus tendere erubeſcant. Sic ſanè ignorantia ſuperbiæ & nequitiæ individua comes. At quod pejus illos habet, & in rabiem totos adducit, hoc inprimis eſt, quòd in graviſſimis & deploratiſſimis morbis, ſua utplurimum frigere remedia videant, & mira ab aliis præſtari audiant ac ſciant: cumq; ea ediſcere potiùs, aut ſaltem æmulari & ſtudiosè imitari in uſum miſerorum ægrorum deberent, damnant è contrario, atq; in furorem adverſus quoſdam Doctores, celebresque Medicos, naturæ myſteriorum ſtudioſos, adiguntur: quos falsò & ſuperciliosè ignaros, artiſtas, Empiricos proclamant, ignari ipſi apeirici, & verè luſci, cùm non videant gloriam ex empiria conſurgere, ex apeiria verò ignorantiæ dedecus inuri. Sed quid cum fucis iſtis ac veſpis nobis rei eſt? Pares cum paribus committi debent: ſic fortes Aquilæ imbecillarum columbarũ, & leones feroces canum etiam allatrantium congreſſum reſpuunt: invidis maledicis ac detra-

Livor quorundam in mineralia, omnem ipſis vim medicatricem derogantium.

ctoribus ſolummodò loquor, bonos, doctos, verosq; Medicos ſemper excipio, eosque ſuſpicio, ut alibi jam proteſtatus ſum.

Sed de his plus ſatis;ad alveum thermarum noſtratum aut aquarũ calidarum revertamur, à quo hæc juſta famæ &nominis noſtri apologia me avocavit,& parumper digredi coëgit.

Illarum virtutes,poteſtates ac proprietates, mille ac millie admirandorum effectuum in curationibus morborũ, exemplis oculis ipſis videndas, ſubjecimus,nec tamẽ huic ſoli probationis generi,licet potenti & valido,acquieſco: ſed aliis porrò dilucidioribus demõſtrationum rationibus,poſthac adhuc illarum veritatem enucleabo, ubi ſimul eorum opiniones confutabimus,ut pueriles & ridiculas,qui metalla aut metallicas ſubſtantias omni vitali principio carere autumant, apocruſticaq; ea eſſe ex Gal. ſententia pronunciant, nec nõ lethalia potiùs, quàm ſalubria, ut quæ ab interno uſu explodenda ſint, & interiorum purgationum adminiſtratione: in quem tamen finem à doctis, & in præparatione eorũ verſatiſſimis deſtinantur & præſcribuntur fœliciſſimè, magnoq; omnium ægrotantium commodo, ut vel deploratiſſimi morbi iis vincantur & cedant,non ſecus ac thermalibus aquis.

Ut rationibus igitur veritatem metallicorum auxiliorum confirmemus, eodem argu-

mento

mento utemur, quo novus quidam practicus, iſq; in utraque medicinæ ſecta æquè juvenis, me à ſe impetitũ apud celebrem quendã Medicũ (à quo hanc juvenilem arrogantiã didici) jactitavit, mihiq; ſic validâ argumenti vi ſilentium impoſitũ fuiſſe, hac utiq; ratione triumphũ bellè ante victoriam concinens. Sed diſſidium iſtud in aliũ locum rejiciemus, ubi paulò pòſt Hermeticorum remedia in hunc, de quo agitur, affectum, proponemus: ubi primas occupari ſedes à metallicis perſpiciemus, aut nõ poſtremo ſaltem ea loco cenſeri debere, ibidemq; ex reſponſione noſtra ad Neotericum illũ, demonſtrabimus, ejuſmodi remedia nullo modo vitali aura & ſpiritibus carere potentibus ad agendum: quin potius firmiorem illis ineſſe virtutem & vitam præſtantiorem, quæ inter alia omnia medicamentorum vel præſtantiſſimorum genera maximè virtute & energia excellant: idq; non vaga aut erronea quadam opinione docebimus, ſed validis, certiſque rationibus, ipſo uſu & experientiâ rerum magiſtrâ, nixis ac confirmatis, com probabimus ac demonſtrabimus.

Mineralia vita non deſtituuntur.

Thermales igitur inter aquas, quæ acidæ ſunt ac vitriolatæ (quales Spaenſes & Pogeæ, ſexcentæq; aliæ hujus generis habentur, quas natura variis in locis profundit) epilepticis affectibus cõgruentiſſimæ ſunt ac aptiſſimæ,

Mineralia hiſce affectibus appropriata & ſpecifica.

cujus rei rationem ſuprà reddidimus, à cujus repetitione hîc ſuperſedebimus. Secundum à vitriolatis locum occupant ferreæ in hujus morbi curatione. Ex hujuſmodi aquis ferreis, aliquot ab hinc annis, recens in Dania fons emerſit. Harum vis eſt potiſſimùm in hoc affectu, ſi morbus ex partium nutritioni inſervientium, vel matricis vitio oritur. Siquidem vitriolum, quod venereum eſt, & veluti primum cupri ſeu veneris ens, magnum cum Marte, qui ferrum dicitur, conſenſum habet, ſiquidem unum in aliud facilè tranſmutatur, alteriusque naturam induit, ut vulgò notum eſt. Unde Poëtæ, Veneris & Martis amores myſtico quodam ſenſu confinxerunt, rationem ex Philoſophis & naturæ arcanis expiſcati, unde mutuam utriuſque concordiam & conſenſum didicerunt.

Vitrioli cum Marte conſortium.

Inter vitriolatas, antimoniales etiam aquæ recenſentur. Antimonium enim, ut ſcribit Parac. lib. de Aurora, de ſtirpe eſt & gente vitrioli. Hæ autem tertio loco collocantur in curatione horum affectuum, præſertim ſi, ut ſæpè fit, ex materia quadam putrida & verminoſa oriantur, ex qua peſtiferi vapores ac venenati in cor cerebrumq; efflantur, epilepſiamq; utplurimum excitant. Quæ quidem virulentæ materiæ ejuſdem aquis expurgantur, & dejectione ſæpiùs deturbantur, nonnun-

Antimonialium aquarum facultas.

nunquam tamen etiam vomitione, ſed rarò, extruduntur. Si in illis infuſum argenteum numiſma maceretur aliquandiu, aureum colorem ex illis contrahet, quod certiſſimum eſt antimonialis aquæ cognoſcendæ ſignum. Hæ miros etiam effectus edunt. Tales eſſe Encoſſenſes in Vaſconia crediderim, aut de antimonii minera aliquid retinere.

Sed de hujuſmodi aquis & admirandis eorum effectis, ſeorſim tractatũ conſcribemus, ubi quicquid eſt hujus argumenti, fusè diſputabitur, balneaq; præcipua, ac thermales aquę totius Europæ, ſuis etiam nominibus, cum virtutibus ac proprietatibus deſignabũtur & deſcribentur, idq; in libro noſtro de Recondita rerum natura, artisq; myſteriis, &c. quò lectorem revocamus, ne nunc fuſiorem hìc à nobis de iis tractationẽ fruſtrà expectet. Hoc unum tantùm dicemus, Galliam noſtrã, præ alia quavis regione, abundè ejuſmodi aquarum medicamentoſarum genere, à natura cumulatam ac ditatam, præſertim Vaſconiam noſtram, quæ toto montium Pyrenæorum tractu, iis mirum in modum & fœliciſſimè abundat: qui idcircò inter alios montes, pretioſiſſima omnis generis metalla, & metallicas ſubſtantias profundunt & exhibent: ex quibus olim Romani ingentes theſauros & immenſas opes eduxerunt: quorum adhuc

Gallia aquarum mineralium ferax.

veſtigia extant. Nec mirum id eſt, cùm eorum virtus & ſumma prudentia totum propè orbem ſubegerit, ac imperio ſuo ſubjecerit. Faxit autem D. O. M. & auguſtiſſimo Regi noſtro, virtute facilè ac prudentia Romanos ſuperanti ex noſtris votis annuat, ut pervigili diligentia, ſolerti induſtria ac ſagacitate Nobilis viri, D. de Beaulieu, jam olim Conſiliarii Regii, ac Regni arcanorum, privatiq; Senatus Amanuenſis, à Rege pro dignitate ſummam in fodinas minerales ac metallicas authoritatem adepti, nec non præter alias verè nobiles dotes, raris ac elegantibus naturæ arcanis ſummo ſtudio invigilantis, atque his nominibus ſumma gloria diligentiſſimè iſthæc efficiantur. Annuat, inquam, Deus, ut Pyrenæi illi montes, alterum opibus ac theſauris Peru referant, ex quorũ copia & fœcundo penu hoſtes publicæ ſalutis edomentur, conſervatores ac pacifici, amiciq; Regni foveantur ac ſuſtineantur. Ex medicinalibus verò thermis & earum virtutibus, natura & proprietatibus, nec non ex illis defluentibus aquis, quæq; indies promanaturæ ſunt, ut univerſalis Panacææ vim ac locum obtinere poſſint, juventutisq; inſtauratrices aquæ dici. Faxit etiam Deus, ut earũ ope & virtute, proſperæ ſanæq; cõſtitutioni ac valetudini, potentiſſimus Rex reſtitutus, ea tamdiu fœliciter perfruatur, ut Neſto-

Neſtoris annos etiam vitæ diuturnitate ſuperet: optamus quinetiam, ut prædictæ aquæ locum medicinæ alicujus univerſalis, qua omnes totius ipſius populi ægritudines abigãtur (quod Deus omen beet) ſupplere poſſint. Atq; hinc certè ſumma naturę benignitas nobis eluceſcit, quæ pauperibus prætertim ita proſpexit, ut cùm ſua inopia remediorum auxilia, ex eorum caritate nequaquam ſibi comparare queant, abundè iſthinc ſumma liberalitate conceſſa, hauriant, & affusè perfruantur. Sic enim comparati ſunt hodie multi Medici, ut omnis apud illos frigeat in pauperes charitas, citiusq; eos morbis jugulari patiantur, quàm ullum præſidium præ avaritia, qua toti uruntur, benignè elargiantur. Quo factũ, ut Deus ſummè miſericors, citra diſpendium tàm liberaliter illis ſuccurrat. Unde cõſtat, quàm ab antiquo aurei illius ſeculi ſplendore degeneratit Medicina, quæ à generoſa illa liberalitatis in omnes facie, in rugoſum hoc ac portentoſum avaritiæ os, deformis planè & defœdata deſciverit.

Præter Vaſconios fontes, alias etiam thermas habemus in Gallia Narbonenſi, Balernas nomine, in Delphinatu, in Lugdunenſi ditione, Borbonenſi, Avernia & Nivernenſi: deniq; in omnibus ferè hujus regni plagis & provinciis, alias; ut ſponte ſua ſic videatur Natura

Natura erga mortales benignitas. tura (communis omniū parens) larga manu, pauperibus & circumvicinis populis erogaſſe tantum beneficium, quo ſine impenſis & minore negotio, cùm opus remedio haberent ac ſubſidio, perfruerentur. Atq; hujuſmodi opum uſq; adeò dives eſt Natura, ut quotannis novos ac recentes ejuſmodi fontes è ſinu ſuo ubiq; exprimat, quales nobis duos aut tres ab hinc annos exilierunt ſcaturigines: una ad Rothomagum, altera ad Monbelliardum, in confiniis Campaniæ & Burgundiæ ſitū. Quarum virtus & poteſtas quanta ſit, illius præſertim, ad Monbelliardum ſcaturientis, magnam fidem facit, doctiſſimi cujuſdam & celeberrimi Medici de dotibus illius, indubia tractatio. Hanc naturæ benignitatem ac liberalitatem, tot tantiſq; præſidiis humano generi, ſumma Dei gratia, conſulentem, cùm animadvertimus, nunquid ea arguit & damnat mercenariorum Medicorum ac inexorabilium, qui artem ſuam tàm turpiter & ſordidè nundinantur, immanitatem ac crudelitatem?

Præter ſuperiores aquas & thermas, varia etiam lutorum genera, ſulphureorum, bituminoſorum, quæ ſalium quorundam naturam ac proprietatem frigidis affectibus, ut paralyſi & id genus aliis congruam, poſſident, Natura ex divite cornu copia ſua ſuperaddidit,

dit, ne quid de parſimonia tàm benignæ matris, conquererentur liberi.

Quibuſdam in locis extant etiam balnea, ex quibus derivantur ſtillicidia, Italis Doulches dicta, à dulci, leni & blando fluore, quo caput aut aliæ corporis partes ægræ utiliter perfunduntur. Hac enim ratione rigatæ partes, ſuperflua ſua humiditate liberantur & exiccantur, inprimis cerebrum pituitoſum his valdè juvatur ac corroboratur. Hujuſmodi quoque auxilio, quædam Epilepſiæ ſpecies curationem aut levamen non exiguum recipiunt.

Atq; hæc eſt compendioſa medicamentorum ſeries, tàm internorum, quàm externorum, varias indicationes & ſcopos reſpicientium, quibus hactenus Dogmatici in epilepſiarum curationem utuntur.

Caput XXI.

De indicationibus atq; obſervationibus Dogmaticorum, tum veterum, tum recentiorum in cura vertiginis.

Quod ad vertigines attinet, quæ ab omnibus ferè Dogmaticis, vel ab ipſo etiam Galeno, parvæ vocantur epilepſiæ, iiſdem propè remediis (quæ juxta indicationes curationum eaſdem, propoſuimus in epi- *Com. aph. 17. 3.*

Cura vertig. juxta Dogmaticos. in epilepſiarum ſubſidium) eæ ab illis tractari & curari ſolent: aut tàm exiguum ſaltem inter utrorumq; morborum auxilia aut curandi modum ſubeſt diſcrimen, ut ſeparatas curas id non mereatur. Nullus enim Medicus, vel tantillum in medendi arte verſatus, non novit medicamenta ſeligere, eaq; huic vel illi morbo adaptare, prout tempus & locus poſtulant: cùm etiam & in natura, affectis partibus, cauſisq; magnum conſenſum habeant & affinitatem. Hoc tantummodò privatim obſervandum, ut in ipſis paroxyſmis, præter ligaturas, cucurbitarum affixiones, clyſterum acrium & irritantium injectiones, quibus ad revellendum uti ſolent, caput cum aceto roſaceo irrigetur, oleo verò incoquatur ſerpillum, aut ſpondylium, aut hedera, aut id genus alia: odorandumq; acetum, pulegium, mentha, aliaq; ejuſmodi ex aceto, idq; juxta Aretæi ſententiam.

Aretaus de curat. morb. diuturnorũ c. 3. & 4.

Aëtius tetrabibl. 2. ſerm. 2. c. 7. ex Archigenis opinione & Poſidonii, venam ſecari ſuadet, ſive principium fuerit affectionis, ſive tempus jam progreſſum fuerit, dummodò vires ferant, nihilq; reluctetur, ac inprimis ſi ex materia ſanguinea ac calida affectus oriatur.

Phlebotomia.

Lib. 3. c. 13. de cura vertiginis. At in hac ſanguinis miſſione, prout notat Damaſcenus, cavendum, ne confertim is detra-

trahatur, aut acervatim evacuatio fiat, ut loquitur Aëtius: eò quòd ex qualibet occaſione ægri concidunt. Quapropter pluribus detractionibus per intervalla repetitis utendū eſſe ſentit, ut congrua menſura expleatur. Hanc addit porrò obſervationem, ut ſcilicet, cùm educitur ſanguis, caput oleo ſimul, ſectionis tempore, aceto & roſaceo, polygoni, aut hederæ ſucco admixto, irrigetur, & lana convoluta, roſaceo, aut œnanthino madefacta, eodem tempore ventri imponatur.

Idem Aëtius eodem libro & capite, poſt alia omnia, tum univerſalia, tum particularia tentata fruſtrà remedia, generaleſq; vacuationes purgationis & miſſionis ſanguinis præmiſſas, inciſionem arteriarum in capite, juxta tempora ſupra aures (ut utamur ipſiſſimis illius authoris verbis) fieri ſuadet. Eandem tuetur opinionem Paul. circa finem 12. c. lib. 3. de re medica. *Verùm (inquit) in quibus caliditas capitis, & aurium ſonitus eſt, utpote calidioribus vaporibus per arterias illabentibus, etiam arteriarum ſectionem aſſumimus retro aures.* Ejuſdem ſententiæ eſt & ipſe Damaſcenus eodē cap. *Cùm verò, inquit, iſta vertiginis paſſio doloroſa naſcitur ob vaporoſos ſpiritus, ſurſum ad caput elatos, in utriuſq; arteriis poſt aures impactos, ut foris infarctæ compareant arteriæ: tunc unicum ejus ferè & præſentiſſimum fuerit præſidium,*

ſidium, earundem arteriarum pertuſio. Quæ tamen ſanguinis per arterias miſſio non omnibus probatur, quòd ſic à ſcopo curationis ſæpiùs aberretur, juxta ſententiam ipſius Gal. 3. de loc. aff. cap. 8. Avicen. Fen. 1. tract. 5. cap. 3. In hujuſmodi affectu laudat venæ ſectionem, quæ ponè eſt aures, quam quietam vocat. *Eſt enim, inquit, optima in curatione omnium ſpecierum vertiginis materialium.* Et quandoq; cauteriſatur: idq; meritò, quòd ea ſectione, vapores & halitus omnis generis tranſpirent & exhalent, undecunq; in cerebrum evecti fuerint. Quod poſt præmiſſas univerſales vacuationes fieri conſtat. Caput enim ante totum corpus curare non licet. 4. Therap. Quin & hæmorrhoidum in viris, & menſtruorum in mulieribus provocatio, in his affectibus utiliſſima & neceſſaria futura eſt. *Eſt enim ſanguinis miſſionis quædam ſpecies congruentiſſima.* *Poſt ejuſmodi tentata remedia, caput ipſum ad occipitium eſt ſcalpello convulnerandum*, ut ait Oribaſ. ſyn. lib. 8. c. 5. In eundem finem Moderni & Neoterici cauteria, ſive actualia, ſive potentialia, præſertim ſuturæ coronali admovent, quibus per cerebrum, tanquam per fumale, exhalationes & nigræ fuligines ac reſinoſæ, horum morborum productrices, expirent & traducantur. Atque eæ ſunt indicationes ac obſervationes, quas tùm veteres, tùm

Hæmorrhoidū & menſium provoc.

Cauteria.

tùm recentiores in praxi horum affectuum, vertiginum inquam, curatione ſequi ſolent. Cætera quæ ad præcautionem aut ad curationem eligi & adminiſtrari poſſunt remedia, ex ipſarum epilepſiarum cura in preſervationem & curationem poſita, peti poſſunt, ut ſuprà monuimus.

Caput XXII.

De indicationibus curativis Apoplexiæ, tàm generalibus, quàm ſpecialibus, cum adjunctis remediis, juxta methodum Dogmaticorum.

IN apoplexiæ verò tractatione, quæ in morborum acutiſſimorum numero cenſetur, quæq; ſæpiùs ægrum ad mortem rapit, aut ſaltem in graviſſimum alium affectum, paralyſin, inquam, degenerat, nonnulla ſunt privatim obſervanda, ab iis diverſa, quæ in curam epilepſiarum uſurpantur; etſi in genere, quæ uni morbo conducunt, alteri etiam prodeſſe poſſint, cùm ſint affines morbi, & ex iiſdem propè cauſis nati, quiq; juxta Dogmaticorum ſententiam eandem corporis partem occupant: ut com. aph. 45. 2. aliiſq; locis jam citatis ſcribitur.

Peculiares quædam obſervationes hîc notandæ.

Quod igitur à Medico obſervandum id eſt, ut ſcilicet morbi naturam accuratè intueatur,

Gradus Apoplexia. & expendat, num apoplexia ſit graviſſima, an mediocriter, an parum tantùm laceſſens. Siquidem tot illius gradus à Medicis agnoſcuntur ac cõſtituuntur: qui præcipuè diſtinguuntur uſu reſpirationis, magis aut minus liberæ aut impeditæ, vel fortis aut debilis. Anhelitus enim in minore aut debili apoplexia aliquem ſervat ordinem, quamvis inæqualem; in fortiori ac magna vim patitur & ægrè procedit. At in fortiſſima uſque adeò deficit reſpiratio, ut ſenſu & motu prorſus privata membra videantur, & præter obſcurũ in pulmonibus & pectore anhelandi officium nihil reſtare perſpiciatur. Sic enim diſcernitur affectionis magnitudo, ex noxæ, quam ſpirationi infert, vehementia, ut ſcribitur 3. de locis affect. *Galen.*

Atq; id eſt, quod ſagaciter à Medico prudenti perpendendum eſt, nec non pulſus diligenter illi etiam notandus eſt, examinandusque color vultus, nec non alia quæque obſervanda, quæ ad rem faciunt, num videlicet æger gravi ſomno prematur, num altiùs aut demiſſiùs ſtertere audiatur, atque an magna vel parva moleſtia reſpiret, num etiam variis corporis locis vellicatus & compunctus, ſenſum ex corporis motu præ ſe ferat, nec ne. Quo in caſu ſequendum erit Archigenis conſilium, *Apoplexia lethalis.* ut nimirũ à prognoſtico exordiatur, quò ejuſmodi apoplexiam fortiſſimam lethalem eſſe ſigni-

ſignificet & judicet. Sic enim famæ ac honori ſuo proſpiciet, omnemq; calumniandi ac convitiandi anſam eripiet, & à ſe amolietur, memor ſcilicet Magni illius Dictatoris aphoriſmi 42. aph. 2. lib. *Solvere morbum, quem apoplexiam vocant fortem, impoſſibile: levem verò non facilè.* Debilis tamen curari poteſt, ut addit Galenus in com. &c. Sed utplurimùm in paralyſin terminatur.

Lata igitur & pronunciata prognoſtici ſententia, non tamẽ à Medico æger citra ſubſidiũ prorſus deſerendus eſt (licet in ſuo genere hic morbus graviſſimus ac periculoſiſſimus nullam ſalutis ſpem polliceri videatur) niſi fortè in ipſo mortis agone, extremoſq; anhelitus ducẽs deprehendatur. Tunc enim animę Medicis cõmittendus eſt. At dum quid ſpei Medico ſubeſſe videbitur, quo æger recreari poſſit, invocato primùm illo ſummo Numine, Medicorũ Archiatro, ut remediis benedicat, omni Medicus diligentia & induſtria ægrotanti ſuo ſuccurret, obſervabitq; inprimis ægri vultus colorẽ: qui ſi fuerit rubicũdus, pulſus utcunq; plenior & validior, corpus nõ extenuatũ, ac plethora potius refertũ, indicant, apoplexiam ex vaſorũ plenitudine & ſanguinis copia ſuſcitatam; primam medicandi rationem, quę ſingularis & inter alias præſentiſſima eſt, à ſanguinis eductione auſpicabitur. *Methodus procedendi in Apoplexia cura.*

Phlebotomia. At quas venas ſecari oporteat, quæ quantitas ſanguinis educenda, an magna, an exigua, an paulatim ſenſimq́;, an ſimul & ſemel haurienda: quidvé ſanguinis miſſioni præire debeat, non ſatis conſtat inter authores Græcos, Arabes, nec Latinos, tum antiquos, tum recentiores, ut qui hac in re ſententiis diſcrepent.

Veterum de phlebotomia ſententia. Archigenes, præjudicato, ut diximus, infœlici morbi exitu, audacter è vena dextri brachii, ſanguinem pro viribus emittit. Gal. in introd. ſanguinem ſtatim mittendum ſuadet. Aëtius primo loco, unctiones huic affectui cōgruas ac utiles uſurpat, totumq́; corpus iis imbuit, at caput præſertim, nec non vomitum provocat, ac clyſteribus acribus ventrem laceſſit. Quibus peractis venam ſecandam eſſe docet, ſectionemq́; & ſanguinis detractionem è dextra manu fieri debere cenſet, nec non copiam ſanguinis, quæ educenda eſt, dividendam. *Commovere enim, inquit, oportet tantùm non exolvere vires, & calorem extinguere.* Inſpiciendus etiam pulſus in evacuatione, & faciei color ac reſpiratio. Quibus non obſtantibus, nihilq́; mali minantibus, ſecurè etiam repetenda erit detractio.

Aëtius tetr. 2. ſerm. 2. c. 27.

Paul. lib. 3. c. 28. Oribaſ. ſynop. lib. 5. c. 6. ex ſententia Philomeni, eundem ferè ſequitur proceſſum. Paulus Ægineta contrà, omnibus aliis poſtpoſitis,

tis, ſtatim ad ſanguinis miſſionem confugit, modò ex cauſis ſuperiùs allatis ea neceſſaria ſit. *Eis itaq;, inquit qui quomodocunque parari poſſunt, ſtatim vena ſecanda eſt. Et ſi remiſſionem aliquam habuerint, repetita ſectione, ſanguinem detrahere oportet eadem aut ſequenti die.* Nec tamen hìc venam deſignat, quam nihilominus cubiti venam notari ſubintelligendum eſt: cujus cùm plures ſint, alii cephalicam deligunt, cujus eſt opinionis Avicenna, à qua vult etiam copioſum educi ſanguinem. *Avic. Fen. 1. tra. 8. c. 24.*

Rhaſes alicubi jugulares venas pertundi ſuadet; cujus ſententiam improbat Marcus Gatinarius, præclarus ex Neotericis Medicus, quòd ægerrimè earum vulnus claudi poſſit. Alibi idem Rhaſes utramq; cephalicam aperiendam eſſe cenſet, vel intra horæ ſpacium. *Lib. diviſionum, c. 12.* In eam it ſententiam Meſue, conſulens, ut quàm celerrimè utraq; cephalica incidatur, idq; cum emiſſione multi ſanguinis, ut cerebrum, inquit, patiatur. *tra. de ægrit. cerebri, cap. de apopl.*

Haly filius Abbas ſentit in hoc apoplexiæ genere, quam, ut dictum eſt, ex ſanguinis copia naſci conſtat, ut cephalica ſecetur, aut ſaphena etiam, ad majorem revulſionem. *Haly 5. prac. c. 22.*

Alexander Bened. inter Neotericos percelebris, hanc primò laudat revellentem ſanguinis miſſionem, ex talo, vel crure, mox eam *Alex. Bened. lib. 1. c. 35.*

R 3 quæ

quæ ex venis circa guttur turgentibus & conſpicuis fieri poteſt.

Atq; hę ſunt diverſę ac diſcrepantes authorum, quos modò citavimus, circa hujus remedii adminiſtratione͂, ſententiæ, qui inter Græcos & Arabes excellunt ac eminent. Omnes enim hîc recenſendi nullus unquam fuerit finis. Rogo autem lectorem, & juniores Medicos, quibus hęc mea ſcripta conſecro, ut, quicquid paulò pòſt ſcripturus ſum, æqui boniq; conſulant. Probo quidem ego & laudo in apoplexia, quæ ex ſanguinis copia ſuſcitatur, ſubitam phlebotomiam, ſi modò vires ferant, & judicium jam de morbi gravitate & periculo pronunciatum fuerit. *Si quid enim movendum videatur, principio morbi moveto,* inquit Hipp. in hoc præſertim tam acuto affectu, quòd nullas det inducias, inprimisq; ſanguinem ex mediana vel cephalica utriuſque brachii educito, prout urgebit neceſſitas. Quinetiam ſi vires ulterius progredi patiantur, & ſuadeat jugularium venarum diſtenſio, ut ſæpè fit, quando per anarrhopen ſanguis ab inferioribus partibus ſurſum traducitur, vaporumq; multitudo, ac halituum ſuperiora petens, & jugulares venas diſtendens, ſtrangulationem ac ſuffocationem minatur, tùm cenſeo ſecurè & intrepidè ſecandam eſſe venam, ac pręſentiſſimum iſtud eſſe præſidium, tutiſſimumq;,

Autoris de phlebotomia ſententia.

ſimumq; , ſi ſphagetides aut jugulares illæ venæ pertundantur, quarum majore plenitudine, ex trajectu ſanguinis, aut vaporum ſurſum elatorum, ſpiritus vitalis intercipitur, ne in cerebrum transferri poſſit,unde affectũ hunc ſuſcitari, tanquam ab una ex primariis cauſis, ſuprà notavimus. Fruſtrà autem Marcus Gatinarius earum apertionem metuit, quòd ægrè vulnus coaleſcat. Si enim ejus claudendi rationem probè, citra faſcias aut ligamenta, tenuerimus, cui modo jampridem aſſuevimus, levis aut nullus prorſus futurus eſt labor. Huic enim rei emplaſtrum de pice, aut ſimili glutinoſa materia vulneri inductum, ſatisfaciat,& planè ipſum concludat. Vel ſi digitus apertioni appoſitus, ei ad horas aliquot adhæreat (ut fieri ſolet in venarum & arteriarum inciſionibus,ex ingenti vulnere illatis,quarum ſanguis aliter ſiſti non poteſt)idem commodè præſtari poſſit.

Ut autem oſtendamus, in hoc apoplexiæ genere unicum ſubſidium eſſe ſanguinis miſſionem (quod tamen non caret periculo) addam & illud (ut tandem finem faciam) quod ſcriptum reliquit Celſus his verbis: *Si omnia membra reſoluta ſunt (quod de apoplexia intelligit) ſanguinis miſſio vel occidit, vel liberat. Aliud curationis genus vix unquam ſanitatem reſtituit, ſæpè mortem tantum differt, vitam* *Lib. 3 de remed. c. 27.*

interius infeſtat. Poſt ſanguinis miſſionem, ſi non redit & motus, & mens, nihil ſpei ſupereſt, ut è contrario. Poſt eductionem ſanguinis, utile fuerit acres clyſteres injicere: quin & ipſe Rhaſes conſulit, ut ab iis curationis ſumatur initium, qui morbificam materiam attrahant & deturbent ad inferiores partes, ſicq; revellant. Cui etiam revulſioni frictiones vehementes, validæ ligaturæ & ſtrictæ, cucurbitulæ inferioribus partibus affixæ, ſomnoq; ægri profundo excutiendo, ſummoperè cōducunt & commendantur. Conſultum etiam fuerit, ex ejuſdem Rhaſis ſententia, in ſanguinea hac apoplexia cucurbitam magnam ſuturæ coronali apponere, nec non & humero ſiniſtro cum ingenti flamma: revocat enim ad vitam deploratos. Nam obſtricta itinera ſpiritibus etiam vitalibus patefacit, & liberam eorum virtutem reddit.

Aliæ quædam indicat. curat.

Nota.

Nec in hoc genere morbi omittendæ erunt perfuſiones ex oxyrrhodinis, idq; incipiente morbo, quæ raſo capiti inducentur. Fiet autem oxyrrhodinum ex oleo & aceto roſato, cui ſerpillum incoctum fuerit. Caſtoreum verò naribus ad olfactum admovendum, ut vult Archigenes, quod multis probatur veterum, ne initiis ad reſolventia vehementiora & magis calefacientia ſtatim veniatur. Commodiſſimus etiam fuerit ptarmicotum

Perfuſionis oxyrrhod.

rum uſus, ut privatim cerebrum obſtructionibus liberetur: ubi obſervandum, ſemper à levioribus remediis eſſe inchoandum. Atque ſic ægro omnibus modis, uti ſuprà, promptiſſimè ſuccurrendum. Cui ſi nulla ratione altus ille ſopor excutitur, nec liber ſermo reſtituitur, certiſſima ſunt proximæ mortis argumenta, cujus nequaquam reus Medicus fuerit, præſertim ſi de omine præmonuerit, & talis morbi eventus periculum maturè fuerit auguratus. At ſi adminiſtratis ex arte appoſitis & congruis remediis, quibus Deus cœperit benedicere, ſpes aliqua affulget reſtitutionis, audacter continuanda curatio eſt, ut ſeminariorum morbi reliquiæ, digerentibus, evacuantibus, reſolventibus, ac partes affectas corroborantibus medicamentis, prorſus evellantur & diſcutiantur, cerebrumque ipſum ſuis incommodis expediatur, idq; purgationibus & corroborationibus idoneis: quarum myrmeciam aut formicariam ſupervacaneum fuerit hîc acervare: quùm ex iis, quæ jam in epilepſiæ curam attulimus, judicioſi Medici, quæ ad rem fuerint, deſumi poſſint: ſiquidem ob utriuſq; morbi inter ſe conſenſum & affinitatem, communionem etiam præſidiorum uterque affectus ſortitur, quibus mutuò ſe juvare poſſint. Hîc mihi tantummodò ſatis ſit propoſuiſſe, quid privatim

Signũ mortis.

in apoplexiis obſervandum ſit, quæ ex ſanguinis copia naſcuntur, ut indicia & notæ teſtantur, quas ſuprà attulimus.

De præparantibus nihil attigimus, quòd morbus, ne in ipſo quidem principio, ullas offerat inducias. At verſus declinationem præſcribi poſſunt.

Signa & cura apoplex. phlegmatica. Si verò apoplexia, ex pituitoſo, frigido & conglaciato humore generetur, ut frequentiùs contingit ex Dogmaticorum ſententia, has habebit notas: pallidum vultus colorem, temperamentum pituitoſum, gravatum & conſopitum cerebrum, nec non ſenectutem. In ea autem ſic verſabitur Medicus, ut, ſi ægrũ reſtitui poſſe confidat, nec prorſus deploratũ eſſe morbum agnoſcat, edito prius prognoſtico, ut ſuprà, primò curã à clyſtere admodum

Clyſter. attrahente ordiatur, *qui ex cephalica decoctione, meliſſæ, origani, rutæ, majoranæ, calamenthi, betonicæ, ſeminis pæoniæ, granorum juniperi, florum chamæ. centaur. & ſimilium concinnabitur, in cujus q. ſuffic. incoquentur pulpæ colocynth.* ʒ j. ß. *agarici, ſennæ, ana* ʒ iij. *deinde in colatura hujus decocti ſolventur mellis anthoſati* ℥ ij. *ſalis gemmæ* ʒ j. *olei nardini & anethini ana* ℥ j. ß.

Si præſtò non fuerint Pharmacopolæ, aut remotiores ab ægro fuerint, ne tamen æger præſenti auxilio deſtituatur, quòd inter alios affe-

affectus, hic morbus promptiſſimum remedium poſtulet, ſumendum erit juſculum ex olla culinaria ad ℔. j. in quo tantum marini ſalis diſſolvendū, quantum capi aut ferri poſſit à juſculo, quibus oleum nucum aut olivarum, aut butyrum adjicietur, nec non tartarum vini ſuccum vel liquidum: quæ promptè omnia, vel in quavis domo reperiri poſſunt, atque ex iis clyſter injiciendus.

Si licet per otium juſculo vel aquæ ſalviam, rutam, thymum, origanum, hyſſopum & aliquot braſſicæ capita, quæ ubique facilè occurrunt, incoquere, commodius fuerit, huicque decoctioni (ſi ruri aut in arce aliqua, alioque loco ab urbe remoto, hoc fiat, ubi deſit Pharmacopœus) adjiciendus erit cortex ſambuci, qui ubique reperitur, aut grana ebuli ad ſuff. quant. & prædicti ſalis quantitas cum oleis, melle & butyro ubique pervio, ſolvenda, ex quibus fiat clyſter.

Si res verò in urbibus geratur, cephalicis clyſterum decoctis, qualia ſuprà attulimus, addentur, diaphœnicon, benedicta, hiera Paccii, hiera diacolocynth. & id genus alia, quibus clyſteres majorem vim trahendi acquirant.

Ut autem in eum finem prompta & parata ſemper habeantur remedia, deſcripſimus in noſtra Pharmacopœa oleū colocynthidis ſimplex

plex & compoſitum, quæ poſſunt æquè facilè à Pharmacopœo parari ac conſici, ac quodvis aliud ſimpliciſſimum, ut præſtò ſint in ejus officina, quùm uſus poſtulabit. Si enim hujus olei ℥j. ſumpſeris, quam in juſculo aut decocto aliquo cephalico, aut ſimili alio ſolveris, cōfeſtim paratus habebitur clyſter, qui injectus magnam utilitatem afferet, attrahendo & diſcutiendo materiam omnem morbificam, hujus generis mali cauſam. Iſte enim affectus, ab initio, alvi ſolutionem per vehementem & potentem clyſterē deſiderat, quo materia peccans à cerebro avellatur, & ad infernas partes revellatur, ut ait Damaſcenus lib. 3. cap. de apoplex.

Clyſterum in hoc affectu uſus.

Præter hæc colocynthidis olea tàm ſimplex quàm compoſitū, quæ in officinis Pharmacopœorum non ſunt uſitata, attamen ſummè neceſſaria, alia nos docet ars ſpagyrica, quæ longè majores attrahendi vires & utilitates, quibuſvis aliis, poſſident, quorum extrahendorum induſtriam ſuo loco deſcribemus. Ejuſmodi clyſteres, prout opus fore videbitur, repeti debent, nec non in eorum locum proſtera aut ſuppoſitoria ſubſtitui, ex trochiſcis alhandal, ſale nitri & euphorbio confecta: quæ etiam commodè indentur, ſi tardior fuerit injecti clyſteris exitus, & pigrior operatio. At ne, dum diutius fortè ejuſmodi ex-

di expectantur remedia, ullum vel temporis momentum pereat, frictiones deorſum verſus, & ligaturæ fortes in partibus corporis inferioribus, adminiſtrentur, & rejecto clyſtere, plures variis in locis cucurbitulæ, collo videlicet, ſcapulis aut humeris, natibus, coxis & cruribus, idq; cum ſcarificatione affigantur: ſtatim verò poſt hoc, quod ſequitur, vomitorium exhibeatur.

℞ *rad. aſari, ſem. raphani, anethi, urticæ ana* ℥ iij. *fiat decoctio ad* ℥ v. *in qua ſolve oxymelitis ſimplicis* ℥ ij. *fiat vomitorium.* Ante tamen vomitorii uſum, ſi validus percipiatur pulſus, æger nō admodum ſenex, attamen boni & plethorici habitus, etſi omnia non ſeſe prodant ſanguineæ apoplexiæ indicia, non vererer tamen, poſt redditos clyſteres, ſermone non revocato, ex utraque cephalica venæ ſectionem præſcribere, è qua tamen parciùs educatur ſanguis: quamvis & veterum & recentiorum pauci in hac apoplexia phlebotomiam ſuadeant, & mihi objici poſſit, citra omne exemplum, à me uno eam imperari. Sed ad Meſuem, Medicosque Pariſienſes provoco, qui ne in ulla quidem paralyſis & apoplexiæ ſpecie phlebotomiæ parcunt. A quibus fateor, me in ea audentiorem eſſe factum, etſi liberiorem aut largiorem phlebotomiam non probem. *Vomitoriũ.*

Si æ-

Si æger autem ad ſe redeat, hoc eſt, ſenſum & ſermonem recipiat, ante ipſum vomitum levis purgatio non erit negligenda, quæ cum pilulis cochis, aureis, de agarico, fœtidis erit exhibenda, modò catapotia poſſit deglutire: ſin minùs, gutturniolo appoſito, quæ ſequitur, potio erit propinanda.

Potio purgatoria. ℞ *agarici trochiſcati* ʒ ij. *folicul. orientalium, ſennæ* ʒ iij. *macerentur & coquantur in aqua betonicæ, lilii convall. ana ſ. q. pro doſi, in qua colata ſolve hieræ Paccii* ʒ j. ß. *caſtorei* ℈ ß. *theriacæ veteris* ℈ j. *oxymelitis ſimplicis* ʒ vj. *fiat potio.* Quantitas hieræ augeri aut minui poterit, pro viribus ægrotantis. Nec enim habenda eſt ratio ingrati ſaporis remedii, cùm careat omni ſenſu æger, omnibusque modis & ingratorum & vehementiorum medicamentorum, nec non nauſeam & vomitum provocantium, excitandus & agitandus ſit ægrotus. Hoc in caſu veteres longè violentius remedium uſurpabant, nimirum helleborum. Neque enim in hujuſmodi morbis ſequendus eſt Hippocratis aphoriſmus, concocta medicari, &c. At potiùs ſi quid movendum videatur, de principio move, idque quàm ocyſſimè. Hinc etiam fit, ut præparantium & concoquentium nullam hìc, in ipſo ſcilicet paroxyſmo, rationem habeamus.

Præter generales hujuſmodi evacuationes ac re-

ac revulſiones, adminiſtrandæ etiam particulares veniunt, quæ caput ſuis impedimentis expediant: qualia ſunt ptarmica, aut ſternutationes, quæ in nares ægrotantis inſufflabuntur ex canaliculo pennæ, licet ſenſus ſit prorſus expers. Errhinorum enim & maſticatoriorum nullus uſus eſſe poteſt, præ alto ſopore, quo opprimitur, niſi ab eo reſurgat, & ſenſus recolligat. Ubi nec prætereunda ſilentio ſunt medicamenta, quæ vim illam cerebri ſopitam excitare & vellicare poſſunt. Quales ſunt ſuffitus ex caſtoreo, aſſa fœtida, opopanace, galbano, quos naribus hauriet, & admotos excipiet: vel cum pulveribus illorũ, aqua vitæ, aut oleo ſalviæ, vel nardino maceratis & exceptis parabitur linimentum, quo, os, nares, & aurium limina inducentur, nec non etiam deraſum caput ad coronalem ſuturam, & eam partem, qua collum occipitio committitur, eo perfundi poterit. Quinetiam in morbi deſperatione, vertici capitis aut ſyncipiti ſartago candens imponatur, cujus calore congeſti ac conglaciati humoris liquatio promovebitur: cui ſuccedet linimentum ex pulveribus, ſalviæ, baccarũ lauri, pæoniæ, hyſſopi, granorũ ſynapi, caſtorei, caryophyllorũ, macis, piperis, iridis granorum alkermes, opopanacis, benjoini, oleo caſtorino, vel nardino exceptis, & id genus aliis, addito aquæ vitæ,

Particulares remed. intentiones.

vitæ, & ſi lubet, euphorbii modico, quo caput imbuetur. Ex his etiam concinnabitur emplaſtrum ut ſequitur:

Catapla-ſma. *℞ pulveris ſynapi ℥j.ß. ſtercoris caprarum & columbarum ana ℥ß. pulveris ſem. paoniæ, gran. juniperi, rad. ireos, & florum ſalviæ ana ʒij. foliorum rutæ minutim cōciſorum, m.j. cum vini, mellis & aceti, q. ſuff. fiat emplaſtrum vel cataplaſma, quod commiſſuræ colli cum occipitio inducatur.*

Roborantia. Roborantia etiam in hoc affectu ſtudiosè uſurpanda ſunt, quæ, ſi fieri poſſit, per os ingerantur, idq; præmiſſis univerſalibus vacuationibus: qualia ſunt theriaca, confectiones de hyacyntho, alkermes, anacardina, aurea Alexandrina, in aquis aut decoctionibus aptis ac idoneis infuſa & macerata: cujus generis ſunt theriacales aquæ, Antapoplecticæ, in noſtra Pharmacopœa deſcriptæ: nec non alia complura roborantia, tàm univerſalia, quàm particularia in uſum cerebri, quorum etiam aliquam fecimus mentionem, cùm de cura Epilepſiæ ageremus, aptiſſima in hunc finem futura ſunt.

Si ad ſe redeat æger (quod ex remediorum ſerie congruè adminiſtratorum fore conjiciendum eſt & ſperandū, alioqui fruſtrà hæc præſidia præſcripſerimus) licebit per otium, reliquiis mali prorſus tollendis, & ſenſim ex-

tin-

tinguendis invigilare. Præparantes enim tum vacuationes, revulſiones, derivationes & roborationes otioſè venient in uſum: quæ non tantùm obſtabunt, ne recidivos paroxyſmos patiatur æger, ſed quæ etiam curationem integram ac abſolutam præſtare poſſint.

Caput XXIII.

De Paralyſis, ejusq; ſpecierum cura, legitima etiam medicamentorum adminiſtratione, ex ſententia Dogmaticorum.

AT cùm, ex more, ejuſmodi apoplexię frequenter in paralyſin degenerent ac terminentur, eamq; vel unius tantùm corporis partis, vel dimidii corporis etiam; reſtat nobis pauca de hoc etiam affectu dicere: quùm etiam, quæ in cura chronicæ epilepſiæ attulimus potiſſima remedia, eadem & huic morbo aptari poſſint & exhiberi, quò juniores Medicos revocamus, ut ex infinita auxiliorum varietate, quæ copioſè illic explicavimus, amœniores flores, elegantiores, & utiliores ſeligāt ac decerpant. Nec enim ad quoſvis ſcopos & curationis indicationes varias, quicquam deſiderari animadvertent. Quo fit, ut nihil in curam hujus ſymptomaticæ paralyſis addituri ſimus, quàm capita quędam, ob- *Curatio paralyſews*

ſervatione ac adminiſtratione remediorum particulari digniſſima, ſive hæc paralyſis ab apoplexia originem trahat & derivetur, ſive (ut fieri poteſt) aliunde generetur. Etenim quædam ſunt etiam colicorum affectuum genera, nec non febrium, quæ per criſes, & (ut volunt) per metaſtaſin in paralyſes tranſeunt ac degenerant. Nonnullæ etiam matricis ſuffocationes, ut vidimus aliquando, in id genus affectus deſierunt & terminatæ ſunt: quin & Luis quædam ſpecies, quarum longo jam ante exortum tempore gravitates capitis & ſtupidi ſopores, crebris vertiginibus ſtipatæ, præceſſerant; eundem exitum habuerunt: quæ quidem alia ratione domari & vinci nequiverũt, quàm ſolis iis remediis, quæ ſpecifica quadam proprietate affectum extinguunt: qualis eſt mercurius philoſophicus, aut Philoſophicè paratus, ut paulò pôſt docebimus. Si igitur contingat, ut apoplexiæ paralyſis ſuperveniat, aut in eam degeneret, cui jam aptata fuerint, quæ dicta ſunt remedia, evacuantia, revellentia, exiccantia & corroborantia: ut omnibus modis porrò juvetur natura, & ſarcinæ mole expediatur, cujus propemodum pondere ſuccumbit gravis: quod juveni Medico præſtandum reſtabit, id erit potiſſimum, ut nempe diuturnis iiſque congruis præparantibus ad concoquendam materiam,

Nonnulli affectus per criſin in paralyſin deſinunt.

Indicat.

terſam, fluidamq; reddendam, ac ad evacuationem aptandam, utatur, reliquiasq; humorum ſic excludat ac deturbet, aut deturbandas præparet. Huc enim magni illius Dictatoris Hippocratis refertur aphoriſmus, aptiſſimeque uſurpatur: *concocta medicari & movere oportet, non cruda.*

Quæ jam ante in cura epilepſiarum chronicarum præſcripta ſunt hydromelita, nec non alia præparantium genera, cùm magnus ſit inter hos morbos conſenſus & ſimilitudo, huic quoque morbi generi congruentiſſima ſunt, ſeligiq; poterunt, quæ commodiora & aptiora eſſe videbuntur, hucq; traduci: Unam tantùm receptæ formulam ſatis fuerit deſcribere, quę & omnibus aliis paralyſis generibus accommodari & prodeſſe poterit, tanquam inter præparantia omnia, unum ex præſtantiſſimis ſpecificum & accommodatiſſimum remedium. *Remedia.*

℞ rad. acori, henulæ campanæ ana ℥ ij. raſuræ ligni juniperi, & ligni Rhodii ana ℥ j. ß. hyſſo. herbæ paralyſ. florum lilii convallium, calendulæ, lavendulæ, ana p. ij. macerentur per 24. horas in ℔. vj. hydromelitis ſimpl. dein coquantur ad medietatis conſumptionem, tùm demum tranſcolentur per manicam Hippocratis, & aromatizentur cum pauco cinam. & nuce moſchata. De hoc hydromelite capiat ℥ iiij. manè, & totidem veſperi. *Hydromel ſpecificum.*

Ejuſdem hydromelitis continuandus eſt uſus, non ad multos dies tantùm, ſed ad multas hebdomadas, aut etiam menſes. Adjeci huic formulæ de induſtria, quæ viſa ſunt magis attenuantia, coquentia & calefacientia initio: etſi morbifica materia prorſus ſit craſſa, frigida, pituitoſa & obſtruens, qualis utplurimùm eſſe conjicitur: attamen admiſcui etiam, (ut videre eſt) lignũ rhodium diſertè, ut ad temperiem reliqua revocaret. Eſt enim adſtrictionis magis & corroborationis, quàm attenuationis particeps. Hæc igitur à me putentur ita eſſe facta, ne nimia colliquatione & attenuatione materiæ, principio morbi diffluentis & excedentis diſpergantur huc & illuc in nervoſum genus variæ illius partes, quæ malum potiùs augeant, quàm minuant. Quod maximè junioribus Medicis obſervandum & notandum eſt, ut rectè & tutò gerant omnia.

Examẽ prædicti Hydromelitis.

Interea verò, dum hydromelitis uſus adminiſtrabitur, frequentes injiciendi erunt clyſteres, idq; uno quoque ſaltem biduo. Sicq; tractata ac præparata mali materia, tandem expurgabitur, non ſimul & ſemel forti aliquo medicamento, at per intervalla & ſenſim, hoc eſt, apozemate aut decocto ſolvente in plures dies exhibendo, cujus ſequitur formula.

Apozema ſolutivum.

℞ *polypod. ſennæ, carth. ana* ℥ x. *paſſul. liquiritiæ an.* ℥ ß. *ſem. aniſi, ſeſeleos, an.* ʒ ij. *florum cicho-*

chorii, viol. borr. ana p. j. agar. troc. cum ſua ligatura ℥ ß. *folicul. ſennæ orientalium* ℥ j. ß. *fiat decoctio. In* ℔. j. *collaturæ ſolve ſyrupi roſati ſol. ſyrupi de cichorio cum rhab. ana* ℥ ij. *fiat apozema in tres doſes, adde in ultima diacarth. electuar. de citro ana* ʒ j. ß.

Atque ſic purgatus æger denuò repetet uſum hydromelitis præparantis, cui per aliquot dies ſumpto, alternatim ſuccedet purgatio. In hunc modum alterna illa hydromelitis & ſolventis medicamenti adminiſtratio ad aliquod ſatis longũ temporis intervallum continuabitur. Si quis autem nova decoctione lubenter carere velit, accipiat ℔. ij. ſuperioris hydromelitis, quibus incoquat & maceret ſennæ, turbith, hermodactylorum ana ℥ j. dum reſtet decocti ℔. j. clarificata, cujus tres aut quatuor unciæ ægro (prout ad purgationem fuerit præparatus) propinari poterunt, idq́; per tres aut quatuor varios, aut etiã continuos dies, ſi ferat natura ejus minùs delicatula tantùm purgationis.

Poſt longas & diuturnas ejuſmodi præparationes ac vacuationes, minùs calefacientes & vehementes, tranſiri poteſt ad fortiores ac vehementiores; quales ſunt pilulæ fœtidæ, de bdellio, de euphorbio, hiera Paccii aut Logadii, atq; aliæ id genus hieræ, aliaq́; medicamenta, vehementiùs attrahentia, & com- *Remed. vehementiora.*

 poſi-

poſitiones, quæ ſcammoneam, helleborum & euphorbium exciplunt, nec non plura alia præſidia, quibus veteres & recentiores ſcatent. Quæ tamen citra cautionem, aut temerè non ſunt exhibenda, etſi à cauſa prorſus frigida prognatum malum agnoſcitur, ægrotansq; craſſi, obæſi & pituitoſi temperamenti ſit, ut cenſet Trallianus. Quæ enim paralyſes extenuata & macra corpora, hepatisq; bullientis, invaluerunt, & cauſam morbi ex calidis ſiccisq; exhalationibus ac qualitatibus obtinuerunt, eæ hujuſmodi remedia, ut noxia potiùs, quàm utilia reſpuunt, ut poſtea docebimus.

Trall. lib. 1. cap. 16.

Objectio. At excipient nonnulli: tantùm abeſſe, ut ea noceant aut contraria ſint, ut contrà antiquitas ſenſerit, exhibenda eſſe ea medicamenta, quæ vel febrem ipſam poſſint inducere, à qua nervoſum genus morbis ſuis remedium mutuatur, juxta Hippocratis aph.

Hanc utique medendi rationem minimè probare poſſum, nec ſolus ſum, qui eam improbem: utpote quæ parùm recta ac tuta ſit. Exigua enim febris parùm utilitatis adferre poſſit: at magna exitium potiùs pariat, & mortem acceleret, quàm ſalutem reſtituat. Probamus tamen hieram Galen. ſimplicem, quam tota Antiquitas commendavit: pilulas de hiera cum rhab. & agarico, pilulas de aloë roſata dictas, eò quòd ſucco roſarum ſæpiùs

piùs elotæ ſint, aut quòd eundem ſuccum ſæpiùs imbiberint, ut videlicet duæ pilulæ paulò ante prandium, vel cœnam deglutiantur, idq; vel eo etiam tempore, quo pręparans hydromel propinabitur: ut quæ & ventriculum ſint corroboraturæ, & ſimul unam & alteram ſedem excitaturæ, unde natura levetur & adjuvetur.

Neq; hîc etiam pręter mittendus revellentium uſus, in quos frequens clyſterum injectio commodiſſima futura eſt, à quorum lenioribus primo loco inchoandum, ut dictum eſt, deinceps ad fortiores & vehementiùs attrahentes, ac magis vacuantes, tranſeundum; in quibus ſolvi poſſunt jam ſuprà commemoratæ hieræ Paccii, Logadii, nec non benedicta laxativa, & id genus alia. *Revulſiones.*

Ptarmica autem, Errhina, maſticatoria, in particularem cerebri à ſuis impedimentis expeditionem, magnoperè conferent, ea ſemper cautione, ut leniora, benigniora, ac minus vehementer attrahentia præmittantur. *Ptarmica, &c.*

Reſtat nunc (ut ordinem inſtitutum ſequamur) de remediis cerebrum, parteſq; nervoſas corroborantibus dicere, nec non de iis, quæ reliquias mali educunt, ac intemperiem corrigunt. Inter roborantia cenſentur conſervæ florum calendulæ, betonicæ, ſalviæ, roſ- *Roborantia.*

marini: radices acori conditę, anacardina confectio, diacaſtoreum, nec non ipſum per ſe caſtoreum in numero præſtantiorum habetur, apud omnes antiquos & recentiores. Idem diamoſchum, diambra, roſata guajaci, ſalſæ parillæ, ligni juniperini & ſimilium.

Externa. In externis numerantur remediis, quę partes reſolutas ac paralyticas magnoperè juvãt, fotus ex vinaceis vindemiarum, ſi illis calentibus æger incubet, aut iis foveatur, nec non decoctio vulpis ad tabem uſque & oſſium ſeparationem conſumptæ, ſi huic decocto adjectæ fuerint, inter coquendum, herbæ cephalicæ, &nervis cõgruentes. Vaporaria item ſiccà conferunt, nec non balneæ ex ejuſmodi incoctis herbis in vulpis juſculo, vel vino, paratæ. Ex quibus vel ſolus vapor ab ægro ex capſula congruente, in qua fuerit collocatus, exerto capite & libero, ſatis receptus fuerit, vel in vaſculo ad id accommodato, in quod lateres igniti, ejuſmodi decoctis ſuffocati, vapores ſuos deponant, quos æger excipiat. Ex quo eductus æger, & in lectum calentem trajectus, ad ſudores componi debet. Ex fotibus tamen emergenti ægro, vel ex vaporario ſicco aut humido, operæ pretium fuerit, nõ tantùm reſolutas partes congruis oleis aut litibus inungi, ſed collum etiam, qua parte occipitio committitur, dorſi ſpina, nec non principia

cipia&nervorum origines,unde ejuſmodi reſolutiones tanquam ex partibus primariò affectis iiſdem perfundi debent. Illis enim potiſſimùm, non ſolis iis ſecundariò affectis,externa iſthæc remedia accommodari debent.

Inter ea autem remedia, quæ in apothecis Pharmacopœorum occurrunt,ſunt, unguentum Aragon dictum, Martiatum, Agrippæ, oleum vulpinum,coſtinum, nardinum, laurinum, de caſtoreo, de piperibus, de lateribus, depalma Chriſti, canabynum, oleum ſalviæ, rutæ, lumbricorum, de therebinthina, & id genus alia, &, quod nobis etiam à natura datur, petroleum. Ex quibus vel ſolis, vel medullis & axungiis cervi, urſi, pardi, taxi, anguillæ,& ſimilium(inter quas axungia humana excellit) admixtis, additis etiam ſuccis & pulveribus herbarum cephalicarum, coctis omnibus & cum cera ac therebinthina in unguenta,aut litus aptatis, extrinſecus partes affectæ foveantur, perlinantur & inducantur: nec non commodiſſimum & ad rem fuerit, ſuperioribus oleis & pinguedinibus unguentum catellorum compoſitum adjungere: unguentum ex impinguato anſere, cum ſimplici pice nigra infarctum, vel etiam additis foliis viſci pomi, ſalviæ, herbæ paralyſis minutiſſimè conciſis: adjecto quinetiam caſtoreo, & gummi ammoniaco, bdellio aceto ſolutis,

ad majorem penetrationem: Baccæ etiam juniperi & lauri conquaſſatæ, caryophylla, nuces moſchatæ, cubebæ, piper, craſſiuſculè cõtuſa omnia, ſuperiori farcimini indi commodè poſſunt, juxta convenientem ſingulorum quantitatem & doſin. His enim omnibus anſerculi abdomine confarto, & ad lenti ignis aſſationem aptato, defluet ex eo, in pinguariam, aquis ſalviæ & betonicæ imbutam, liquamen, quod iſtis aquis ſupernatans, ne aduratur, tandem poſt perfectam anſeris coctionem ſegregabitur, & in linimentum aptabitur, quo reſolutæ partes, vel ſolo, vel admixtis aliis congruis, perungentur & fovebuntur.

Guay. tract. 9. de paral. c. 7. ol. ſerpentis. Oleum ſerpentis à Symphoriano Campegio, & expreſſiùs ab Ant. Guaynerio præclaris Medicis deſcriptum, omni paralyſis generi ſingulare præſidium eſt, nec non omnibus nervorum affectibus ſummè conducit. Quod quidem ſerpentis oleum, cum aliis quibuſdam remediis optimis, experientia à ſe comprobatum aſſerit Guaynerius: cujus receptam heremitæ cuidam chymico acceptam refert: qui cùm diuturnam operam & oleum fruſtra ac temerè in ſufflandis carbonibus & chymicis follibus impendiſſet ac luſiſſet, animum tandem ad aquas ſtillatitias & olea extrahenda, quæ ab eadem chymica arte fœliciùs didicerat, converterat & appulerat. Hoc fate-

Digitized by Google

fatetur ipſe Guaynerius, & teſtimonium arti ſpagyricæ, tanquam ad medicinam utiliſſimæ, ſic perhibet & adſcribit: nec pudet eum fateri, licet celebrem Medicum, ab ignaro & nihili homine alchymiſta, tam præclarum & utile remedium didiciſſe. Sic candido animo, quæ bona ſunt per ſe, bona agnoſcit, nec aſpernatur, undecunque prodeant; quod perverſi, ſuperbiq; homines non ita fideliter & candidè, etſi convicti, amplectuntur & recipiunt: ſed ætas patrum ſic nos tulit nequiores, mox daturos progeniem vitioſiorem.

In eodem tractatu idem Guaynerius Ciconiarum oleum, cum unguento de gummis inſcripto, ad ejuſmodi affectus etiam præſtantiſſimo, deſcribit.

Valeriola obſerv. medic. lib. 4. obſervat. 4. eximium etiam ad paralyſin unguentum depingit. Nos præclara quoq; multa deſcripſimus in Pharmacopœa noſtra, quæ ad eundem finem ſpectant, hauſta quidem ex Dogmaticis, quibus mox & alia hîc adſcribemus topica, ab arte ſpagyrica Hermeticis tradita, tam ex metallico genere, quàm vegetabili, & animali extracta: quibus Dogmaticorum ſuppellectilem augebimus & ornabimus (ut noſtri eſt inſtituti) ne dum ut eam improbare ac damnare animus ſit, ut falsò nonnulli

aliis

aliis perſuaſum volunt, & eo nomine convitiantur, ac nos, neſcio, cujus inſimulant.

In hunc finem vel ipſi vulgares Medici reſpiciunt, cùm, fruſtrà tentatis omnibus aliis remediis, paralyticos ſuos ad aquas minerales relegant, balneaq́; ſulphurea, aluminoſa, bituminoſa, nitroſaque, ex quibus indies mira ſpectare licet. Ejuſmodi ſunt Borbonenſes balneæ, Vaſconiæ, miræ præſtantiæ & utilitatis. Quod teſtari poſſit nobiliſſimus Dominus de Beaulieu, Spaenſes aquas, & multa alia ſuperiùs commemorata remedia, magna fœlicitate expertus. Cujus cùm totum crus cum femore, ex lapſu graviore, in paralyſin & reſolutionem incurriſſet, nec non motum ac ſenſum amiſiſſet, ita tamen tandem ſummo Dei beneficio reſtitutus eſt, ut liberè nunc incedere & gradiri poſſit, muniaq́; ſua, alioqui ſeria & regia obire, ut jam antea diximus. Quem ut conſervemus, & in meliorem ſtatum ſemper promoveamus, defungentes officio & promiſſis, quibus erga tantum virum particulari quadam fide devincti ſumus, aliqua hîc explicabimus remedia, quæ ſingulare & præſtantiſſimum id genus morbis ſubſidium afferant, quæ ex catalogo Hermeticorum remediorum, arte ſpagyrica prognatorum, mutuabimur.

Aquæ minerales.

Juniorem autem Medicum oportet, in admini-

miniſtratione ſuperiorum remediorum, ac inprimis topicorum jam commemoratorum, quæ utplurimùm calefaciunt & attenuant, accuratè expendere (ut ſuprà obiter monuimus) paralyſis naturam, ægri temperamentum: ut videlicet, ſi morbus à materia frigida, pituitoſa, craſſa ortum habet: ſi ſimilis temperamenti eſt æger, hoc eſt, pituitoſi, membrumq; paralyticum intumuit, ſenſum deperdidit, cujus ſopor ſit exacuendus & excitandus, ut in hunc finem unguenta & linimenta, ſive ſimplicia, ſive compoſita ſeligat in remedium morbi, quæ plus ſubtilitatis & penetrationis, calefacientis ac attenuantis virtutis poſſident. At verò etſi cauſa morbi materialis eſt, ægrotanſq; temperamento bilioſo, ſi tamen pars affecta emarceſcit, & in atrophiam labitur, aut jam incidit (quod ſæpè uſu venit) à vehementiùs reſolventibus ac calefacientibus, quæ magis exiccare ac atrophiam augere poſſunt, abſtinebit Medicus: qui alioqui plus noceat, quàm proſit. Quo in caſu ſatis fuerit, meo quidem judicio, decoctum ex vulpe, inteſtinis & capite vervecinis, cui anodyna ſemina incocta fuerint, ſi eo pars ægra foveatur, & linimentis, aut oleis congruis, hoc eſt, lenioribus & minùs fervidis inungatur, quæ uncta ſuccidâ lanâ, aut canina pelle, ad id accommodata, obvolvatur.

Quædam notanda in adminiſtratione topicorum.

Hæc

Hæc igitur remedia prudenter & judicioſè paralyticis affectibus adaptentur, ſive ii ſint ex apoplexiis nati, ſive ex ſeſe craſſam materiam poſſidentibus.

At ſi non redundantia humorum craſſorum, ſed exhalationum potiùs qualitas, quàm quantitas fuerit hujuſce morbi effectrix, ubi quidem ſiccitas ſimul cum caliditate potiùs, quàm cum frigiditate & humiditate infeſtat, quid tunc præſtandum erit? Tunc utiq; curandi ratio prorſus immutanda erit.

Trall. lib. 1. cap. 16.

Poſſe autem paralyſes ex hujuſmodi cauſis ſuſcitari, teſtis eſt Trallianus, qui inter veteres id accuratè obſervavit: inter verò Neotericos Guaynerius tract. 9. c. 8. Ubi de paralyſi non tantùm ſanguinea, melancholica & cholerica loquitur, ſed & de ea, quæ à mala complexione, ſine materia, procreatur.

Alia paralyſ. ſpec. ejusq; à ſuperiore diverſa curanda ratio.

In hoc affectus genere Medicum peritum eſſe oportet non tantùm externæ & ſuperficiariæ illius anatomiæ, ſed internæ & vitalis, de qua à nobis alibi inſtitutus eſt ſermo, nec non ſuprà, cùm de veris paralyſis cauſis diſſereremus: quarum bonam partem aciditati cujuſdam humoris, non frigidi ſimpliciter & humidi, ſed acidi, pungentis & ſtupefacientis etiam ac planè vitriolati (ut ſuo nomine tandem deſignetur) adſcripſimus: qui quidem ex vaporibus melancholiæ in nobis natę proficiſci-

Anatomia ejus interna.

ficiſcitur, quam Dogmatici etiam acidam agnoſcunt: cujus reſoluti vapores, & in genus nervoſum diffuſi, ſtuporem ac ἀναίσθησιαν inducunt.

Hunc itaque humorem qui diligenter expendet, & facultates illius ac effectus, quos humori melancholico vendicavit Antiquitas, conferet cum liquore vitriolato, quanta ſit utriuſq; ſympathia & conſenſus ac ſimilitudo, ne dicam Identitas, facilè animadvertet, ut fuſiùs à nobis alibi dictum eſt. Quod cognitu maximè neceſſarium eſt & conſideratione dignum. Vix enim aliter multarum paralyſeωn cauſæ & remedia dignoſci ac comparari poſſunt. Fruſtra enim in horum affectuum curationem laboretur, ſi opinio ſit, communibus ac vulgaribus remediis, hoc eſt, calefacientibus & ſiccantibus omni paralyſis generi ſuccurrendum eſſe. Quod optimè utiq; Trallianus (etſi ſub ſimplici caloris ſicci, aut frigidæ qualitatis ſpecie) agnoſcens (quæ quidem qualitates melancholicum humorem, aut vitriolatam ſubſtantiam, non ſecus ac umbra corpus, comitantur) appoſitè in hæc verba ſcripſit lib. & cap. ſuprà citatis: *Talibus igitur, inquit, purgans aliquod medicamentum præbere, commodum non eſt: univerſa enim ipſis inimica ſunt, præſertim hiera, & quæ euphorbio conſtant. Nam præterquam quòd nihil*

nihil juvant, ſiccitatem nervorum adhuc magis augent. Novi ſanè ego quendam, reſolutionem ex mœrore, multa ſollicitudine & inedia expertum: deinde ſumpta hiera adeò læſum, ut totus ipſe immobilis fieret, & propemodum interiret, niſi in contrarium mutatus fuiſſet, & humectantibus omnibus, cùm potionibus, tùm cibis & aliis, quæ temperatum ipſum reddidiſſent, uſus fuiſſet: maximè verò balneis compluribus, unctione ex hydrelæo, mutatione aëris temperati & omni hilaritate. Etenim triſtis erat, ad iram proclivis, à medicamento nimirum excitatus, & qui flavam bilem collegiſſet. Hac ſanè ratione, ſi qualitas fuerit, præſertim intemperies calida, vitari debent cibi acriores: adhuc autem magis, quæ medicantem ac purgantem vim obtinent. Pari modo etiam frigida intemperie præditis, medicamentis utendum non eſt purgantibus, cùm ſolo victu tales curari poſſint. Atque hæc Trallianus.

De ſpecificis verisq; remediis, omni paralyſeων generi congruis, ſermonem in ſuum locum differimus: cùm videlicet, quæ curandi ſit ratio Hermeticorum, tractabimus: ubi videbitur, uſum præſcribi poſſe purgantium, præparantium, revellentium, corroborantium, quæ ſpecifica fuerint, & congruè adaptata cauſæ morbi legitimæ ab Hermericis privatim agnitæ: ubi ea etiam auxilia enarrabimus,

bimus, quæ paralyſibus ex prava & maligna qualitate naſcentibus ac ſtipatis, prout ſuprà diximus, appoſitè congruunt, quibusq; ineſt vacuandi, purgandi ac domandi morbi ſpecifica & particularis quædam energεια, & quæ in tutiſſimum uſum venient. Malam enim complexionem inductam non corrigunt ſolùm, ſed & extinguunt, delentq;, calorem ſuffocatum vivificant, nervoſumq; genus à tota proprietate corroborant.

Quod ad aliquas alias paralyſes, quæ rarò contingunt, à quibuſdam Dogmaticis recentioribus deſcriptas, attinet, quæque vocantur humorales, hoc eſt, ex ſanguinis copia, aut ex bile, aut ex melancholia ſuſcitatæ, præter vulgares illas, quæ humori pituitoſo, frigidiſſimo & conglacianti adſcribuntur, legi poteſt, quod inter alios docet Guaynerius tract. 9. c. 8. cujus ſi verba ipſa non referimus, ſententiam tamen authoris explicabimus, quæ hujuſmodi eſt: Curationem ſanguineę paralyſis, vult primùm à clyſtere inchoari, quem ſubſequatur phlebotomia, ſi vires adſint, & reliqua omnia conceſſerint. Ad hanc vacuationem, Medici Pariſienſes, inquit, vel ad tres libras ſanguinis, aut etiam ampliùs, conſequenter educunt, hac nixi ratione, quòd phlebotomia copiam & quantitatem minuit ac vacuat. At tu, inquit (lectorem compellans) ſi aliquando

Paralyſes humorales.

Cura paralyſ. ſanguinea.

T cogê-

Non tam largè affatim ſanguis profundendus.

cogêris ad tantam ſanguinis copiam educendam, tantamq; vacuationem, cave, ne confeſtim & uno momento eam præſtes. Tutiùs enim operaberis, ſi in duas aut tres eam repetitiones diſtraxeris, matutinis horis baſilicam ſecando, lateris oppoſiti; veſperi cephalicam ejuſdem lateris, & poſtridie linguæ venas incidendo. Quæ quidem ſenſim ſic adminiſtrata ſanguinis miſſio minùs (ut infert) habet periculi, & longè tutiùs aliâ celebratur. Unde videre eſt, non ex hodierno ſeculo, ſed ex priſca jam olim avorum ætate, Pariſienſes Medicos magnorum phlebotomitarum famam reportaſſe: quanquam ſunt, quos ab iſto proverbio, ut prudentiores & magis judicioſos excipere fas eſt, & de vulgarium iſtorum medicaſtrorum numero eximere, qualis & ipſe fuit ſuo tempore Guaynerius, qui aliorũ methodum damnabat: quales etiam fuerunt noſtro tempore celeberrimi Medici, Grandus ille & Duretus, qui tantam ſanguinis miſſionem ubivis, & in omni morbi genere non ferebant: quam audacter nimiùm & incircumſpectè, nulla cautione adhibita, nulla ætatis, criticorum dierum, & aliorum id genus habita ratione, multi profuſiùs, quàm par eſt, celebrant, & temerè adminiſtrant. Ad quam quidem ſanguinis miſſionem, ne in apoplexiis quidem & paralyſibus, ex copia ſanguinis pro-

progenitis, quibus tamen phlebotomia ſingulare præſtat remedium, uſq; adeò præcipites erant veteres, ut ex abrupto, & citra ullam cautionem & circumſpectũ judicium, ad eam imperandam raperentur. Atq; hæc ſunt, quæ de ea loquitur Aretæus, cùm curam apoplexiæ & paralyſis inſtituit. *Æquale ſanè (inquit) adjutorium, utpote magno affectui magnum remedium, miſſio ſanguinis eſt, niſi quis plus, quàm conveniat, mittendo delinquat. Modum autem conjectare difficile eſt. Nam ſi paulò plus detraxeris, hominem planè ſtrangulaſti. Ad vitam enim tuendam hic vel paucus ſanguis efficaciſſimus eſt, cùm ſit vitæ corporisq; alimenti fomes. Si minùs detraxeris, quàm cauſa poſtulat, nihil magni per magnum auxilium contuleris. Adhuc enim cauſa permanet. Sed præſtat minùs detrahendo delinquere. Nam ſi minùs detractum eſſe viſum ſit, aliqui verò optimi ſucceſſus apparuerint, iterum venam reſcindere congruens fuerit: ſcindenda eſt autem vena in concavo cubiti: hæc enim in ſiniſtro fluida eſt. Simul quoq; in puſilla apoplexia (id eſt, paralyſi) & reſolutæ partes conſiderandæ ſunt, in ſiniſtróne, an in dextro latere reſolutio ſit: à ſalubribus enim partibus (ut dicere mos eſt) ſanguinem haurire oportet. Hac enim ſangnis facilè delabitur. Hac etiam à læſis partibus materia derivatur, &c.*

Aret. lib. 1. de curat. acut. mor. c. 4.

Alexander Trallianus, de paralyſi ſangui- *Lib. 1. c. 16.*

nea diſſerens, hæc ſcribit, quæ ſequuntur: *Siquidem igitur copiam ſanguinis ex notis deprehendas, liquet moderatam ejus evacuationem, ante aliam univerſam, adhibendam eſſe. Non enim convenit in his multum ſanguinis, etiamſi abundet, detrahere: ſed ad auxilia potius, quæ locis inducuntur, perveniendum eſt.*

Tetr.2.ſer.2. c.27.28. Aëtius de phlebotomia apoplexię congrua loquens, vult miſſionem ſanguinis diviſim fieri, hoc eſt, ſenſim & paulatim ſeparatimq;. *Commovere enim tantùm oportet, inquit, non exolvere vires, & calorem extinguere.* Deinde ſequenti capite addit in hunc ſermonem de ſanguinis miſſione in paralyſi, ex humorum copia, & ſanguine genita. *Manifeſtum igitur eſt, inquit, quòd redundantem humorem evacuare oportet. Nec verò aptius principium in his reperire datur, quàm à venæ ſectione, ſiquidem permiſerit ætas, habitus, tempus, ſtudium, progreſſus, victus & reliqua, quæ prohibere ſolent venæ ſectionem. Oportet autem moderatam detractionem facere, ne perfrigeretur. Frigiditas enim cum ſiccitate affectionē inducit. Quapropter ſolùm imminuenda eſt materia paululùm per venæ ſectionem, & præſertim in provectiori ætate, detractio verò fiat à ſanioribus partibus.*

Qualem igitur oporteat eſſe phlebotomiæ in hujuſmodi affectibus legitimum uſum, his teſtimoniis ſatis ſuperq; liquet. Ubi diligenter

ter

ter obſervandum, ſumma cautione & circumſpectione, non temerè (multorum more, qui omni alio carent ſubſidio) ea utendum eſſe. Quod quùm à multis ſecus fiat, quantus ſit illius abuſus, fallaxq; aut exitiale remedium, perſpicuum eſt nimis, eamq; diuturnam ac inveteratam conſuetudinem in legem tranſiiſſe, quæ abrogari nequeat, iniquiſſimum eſt judicium, & perverſiſſima opinionis regula.

Celebratâ phlebotomiâ, pergetur ad ſanguineæ paralyſis curationem reliquam, ubi adhibebuntur præparantia ad commoderandum ſanguinem, evacuantia congrua, revellentia & derivantia opportuna ac neceſſaria, & topica affectui accommodata: quæ cuique mali ſpeciei propria & apta, ex eorum numero, quæ copiosè tradidimus, ſeligentur.

In paralyſibus ex humore bilioſo, acri & calido natis, ut purgationi reddatur opportunus humor, non attenuandus & calefaciendus fuerit: ſed contrà refrigerandus & incraſſandus, idonea ad id victus ratione, & legitima medicamentorum, in hunc finem delectorum, adminiſtratione, hoc eſt, ut ex præparantibus minùs calefacientia, & ex purgantibus pariter temperata uſurpentur. Qui etiã delectus in topicorum exteriorum, hoc eſt, fotuum, lituum, unguentorum, emplaſtrorum, balnearum applicatione obſervabitur. *Paralyſ. bilioſa curatio.*

Paralyſ. melanch. cura. Si ex melancholia paralyſis ortum habuerit, eâdem curandi methodo utendum erit, ut cauſæ ſuis remediis appoſitè reſpondentibus tollantur: quæ commoderanda erunt & ita temperanda, ut citra nimiam exiccationem id præſtetur. In quibus paralyſεων omnis generis curationibus ſedulò animadvertendum erit, ut ea remediis aliis immiſceantur medicamenta, quæ ſpecifica quadam proprietate malo adverſantur.

Quid jam ex me deſiderent, aut de me conquerantur Dogmatici, non video, qui uſque adeò penitus in officinas omnes Galliarum, aliarumque regionum introivi, & exactè luſtravi omnia, ut ex illis, quicquid fuerit divitiarum & ornamenti, in apertum ex capſulis & pixidibus aureis, argenteis, ligneis elegantiſſimè pictis & variegatis evolverim, & in curam horum affectuum, de quibus hîc agitur, profusè explicaverim, & elargitus ſim: quibus etiam ipſemet ego Dogmaticus fœliciter uti ſoleo. Quòd ſi à me prætermiſſum quid videbitur, id non ſatis adhuc ſolerti & exactæ indagini, quàm malæ fidei meæ tribuant. Neque enim eo animo omiſi, ut tam præclaris theſauris ac gazis quenquam (ne dum Remp. medicam) privare velim, quàm omni induſtria ditare, & ornare pro ſparta mea contendo: ſed in tanta remediorum fœcunditate ac mul-

multitudine, fieri nequit, quin aliquid nobis elabatur & excidat; ubi Doctorum & celebrium virorum judicium hìc imploro, qui initam à me rationem calculis ſuis comprobent, & ſuffragentur; meq; non ut invidum & malæ fidei hominem, ſed candidum & ſyncerum ac ſibi amicum, germanumq; fratrem agnoſcant.

De Hermeticis etiam hoc mihi promitto, fore, ut nullo modo in me inſurgant & corripiant, quòd eo nomine & fine in collegia ipſorum introeam, ut ſcilicet aliquid ex eorũ monimentis, extractis nempe, eſſentiis, magiſteriis, arcanis, tincturis, aliisq; id genus ſpecificis auxiliis, ut quintis eſſentiis, balſamis ad curandum potentiſſimis & ſummè efficacibus, mutuer & decerpam, ut ex virtutibus & effectis, de pręſtantia eorum, & ſedis eminentia, qua aliis omnibus præluceant, judicetur. Simulq; hoc rogatos illos velim, ut mecum in adita & penetralia ſua ingredi patiantur aliquot doctiſſimorum ex Dogmaticis ac celeberrimorum virorum: qui, etſi antiquitatis zelo & ſtudio, mordicus veteres ſuas opiniones retineant & tueantur, eo tamen animo tam candido, modeſto, recto & non obliquo ducuntur, eaq; ſolida pollent prudentia & doctrina, ut ſaltem nobis amicas aures potiùs præbituri ſint, quàm præcipiti invidia,

& odio in nos ferantur, & convitiis laceſſant, ac ut improbos & deceptores damnent. Illudq́; auſim etiam mihi perſuadere, ubi ipſis oculis medicamentorum præparationem, & remediorum efficaciam conſpexerint, & in Hermeticorum ſchola edocti fuerint, nō minore animi ardore ea amplexuros, pro viribus tutaturos, & ſummis laudibus evecturos, quanta aliquando invidia & odio, in illa explodenda, damnanda & execranda, conflagrarunt.

Caput XXIV.

Mechanicam Hermeticorum lithurgiam ex recondita Naturæ œconomia atq; officina fluxiſſe oſtenditur, ſimulq́; therapeuſis eorundē in cura Epilepſiæ, cum legitima quorundam remediorum præparatione demonſtratur.

EJA igitur, quid præſtent Hermetici, nunc videamus. Appulimus enim jam ad cujuſdam, ex noſtris confratribus Hermeticis, Poneterium, vel ut ita loquar, Laboratorium, qui tamen in Dogmaticorum ſchola eruditus, Dogmaticæ profeſſionis Doctoratum adeptus eſt, cujuſq́; tanta eſt eruditio, ut etſi diuturnis ac variis digladiationibus laceſſitus ſit, oppugnatoribus fortiter reluctans, victoriam

riam tamen ſumma cum gloria reportarit: idq; tamen non citra ſubſidium magni illius Coryphæi, ordine & ſede, qua eminet, digniſſimi, utpote Maximo ac potentiſſimo Regi operam dantis, & medicinæ apud illum faciendæ primatum obtinentis. Cui confratri ac Collegæ chariſſimo à Majeſtate ſua, laboratorium, & fornacum conſtruendi varia genera, conceſſa eſt libertas, quæ in ſpagyricorum remediorum præparationem & uſum referantur. Quo fit etiam, ut liberior vobis ad hanc ſcholam pateat aditus: cujus quidem, certum eſt, ingreſſum, primo limine, anguſtum ſeſe vobis oblaturum: at ſenſim tamen dilatari, & in largum expatiari, Pythagoricæ literæ inſtar, paulò pòſt deprehendetis. Hac enim literæ figurâ, Pythagoras virtutis viam commonſtravit, cujus introitus arduus quidem eſt & ſpinoſus, reliqua verò via, ad exitum uſq; planiſſima, facillima & amœniſſima peragranti eſt. Præterea tota hæc ſchola ſentibus, rubis & urticis ſcatere primo aſpectu deprehendetur, quæ tamen non ſunt aſpernandæ, cùm hujuſmodi loricis ſuaviſſimi ac pulcherrimi fructus muniri ſoleant. In hunc finem, ubique in portarum frontiſpiciis roſa cum ſuis ſpinis pingi aſſuevit, addito hoc emblemate: *Difficilia quæ pulchra.* Vobis igitur candidiſſimi viri, quæ in obtrectatorum, invido-

Chriſtianiſſ. Gall. Rex Chymiæ fautor.

Significatio literæ Pythagoricæ.

vidorum &maledicentium ſede non confidetis, ſed omni virtutũ genere, quæ veros Aſclepiadas ac Dogmaticos Hippocratæos decent, ornati eſtis, vobis, inquã, aditus huc patet. Neque enim facilè patimur, vos à nobis, aut nos à vobis divelli, qui perpetuam vobiſcũ unionem optamus, & quam ſcimus vobis gratiſſimam nobiſcum futuram: quorum conjunctione & concordia, collapſam medicinam reſtitutum iri non dubitamus, magnosq́; inde fructus ad Rempub. medicam acceſſuros, opportunumq́; ægrotantibus, ex philantropia & dilectione, qua erga proximum noſtrum tenemur, ſubſidium illatum iri.

Laboratorii ſpagyrici deſcriptio. Sed jam intrò pedẽ intulimus; Circumſpicite quaquà verſum, num in oculos veſtros incurrant tot vaſa, pixides, magnæ, mediocres, parvæ, tam varii generis, quæ infinita ſpecierũ & medicamentorum genera, tam ſimplicium quàm compoſitorũ, cùm internis, tùm externis affectibus congruentium cõtineant, quales in Pharmacopolarum officinis magno numero videre licet. Nequaquã in hoc Poneterio tot tantosq́; fucos atq; pigmenta extrinſecùs admirari licet, at omnia carbonibus denigrata ac fœda videas: fornaces hîc & illic incõpoſitè ad varios ignes cõſtructas, ut nõnullæ etiam ſint, quæ perpetuũ nocte dieq́; ignẽ, ad exemplũ ignium Veſtaliũ, perpetuò coruſcan-

ſcantiũ, relucentẽ ſufficiant. Hoc tamẽ porrò admirari liceat, innumera vaſorum genera, variis formis, & ſtupendis etiam effigiata, quæ inde ignaris & ſtupidis hominibus riſus argumentũ, at doctis & ſolertibus admirãdæ ſagacitatis anſam præbent, in hac officina cõperiri ac cõſpici. Norunt enim ſapientes, nequaquã ludicram eſſe aut ridiculã, & præter rationem excogitatam hanc inſtrumentorum, vaſorum nempe ac fornacũ varietatem: ſiquidẽ ad exemplũ & imitationẽ naturæ, in viſceribus aut penetralibus terræ, tanquã in ſuo magno Laboratorio, munia ſua obeuntis, artem operari ſatis ſuperq; ſciunt. Atq; ut in illis fornacibus Natura cõtinuas ſuas ac varias deſtillationes, evaporationes, ſublimationes aut exaltationes, circulationes, rectificationes, cohobationes, atq; id genus alias operationes in ventre terræ tanquam in ſuo magno athanore, exercet, ubi ignes ſuos proprios, ſive ex carbonibus, ſive ex ſulphuribus, bituminibus, & id genus oleagineis rebus, poſſidet, quos per gradus appoſitè temperat: Sic ars, variis ſuis inſtrumentis artificium naturæ ingenioſè æmulatur & perficit. Non minùs enim hæc ſuis reverberatoriis furnis indiget, ac monte Æthna, & perpetuas flãmas expirantibus Natura. Ex his enim Chymici ſua reverberatoria, ut ex antris, ſpeluncis, rupibus, ſaxis, anguſtum ingreſ-

Vnde orta ſit inſtrumentorum chymicorum varietas.

Ars ſpagyrica imitatrix Naturæ.

ingreſſum, corpore reliquo largo ac capaci, habentibus, variaq; figura præditis, vaſorum ſuorum varietatem, utpote rectorum, curvorum, obliquorum, longorum, brevium, rotundorum, quadratorum, capacium, anguſtorum, occluſorum, apertorũ, mutuati ſunt. Hinc enim retortæ ſeu cornutæ, matracia, pellicani, ſublimatoria, modò ſigillata, modò non, ad ſimilitudinem naturalium ejuſmodi organorum, ad calcinationes, ſublimationes, reverberationes, circulationes, aptorum (ex quibus tot tamq; varia fontium, balnearum calidarum aut frigidarum genera ſcaturiunt) ortum habent.

At præter iſta, hoc eſt, aqueas illas & humidas deſtillationes, ſicca etiam meteora ex ejuſmodi operationibus Natura producit, eaque ſulphurea, ſalina, mercurialia: qualia ſunt arſenica, realgaria, auripigmenta, antimonia, cynnabria, & id genus alia in viſceribus terræ producta, nec non infinita calcium metallicarum genera, quæ ibi occurrunt & extrahuntur. Adde etiam ſalium infinitam multitudinem, quorum alii in aquas ſoluti, alii coagulati, admirandos operationum, calcinationum, diſſolutionum, filtrationum & coagulationum, naturæ effectus oculis ſubjiciunt, quos natura omnibus modis effingere contendit. Nec in his tantùm naturæ opera-

ratio-

rationibus artis imitatio eſt: at in elixationibus etiam ac aſſationibus, nec nõ concoctionibus naturalibus, quæ πεπάνσεις dicuntur, in quibus ars ignem etiam ſibi proprium, non adurentem aut conſumentem, ſed circulantem, coquentem, foventem, nutrientem, vegetantem, qualem nobis bonus ille Treviſanus, aliiq; veri Philoſophi depinxerunt, extruit: unde nata eſt hæc ſententia, ad medium fumalis laboratorii inducta: *Ignis & azoth tibi ſufficient.* Nunc verò, quid in hoc ſeceſſu & officina chymica contineatur, & quæ auxilia ex iis erui poſſint, tempus eſt patefaciendi: videndumq; eſt, inter tot, quæ ibi habẽtur remedia (licet exiguum locum occupent, & minimis pixidibus ingentes ſummeq; rari theſauri concludantur) quæ ſeligere nos oporteat: ea videlicet, quæ iſtis affectibus, de quibus agimus, juxta varios curationum ſcopos, maximè congruunt, ubi eam rurſum ſequemur, quam inſtituimus à Dogmaticis methodum.

Ut igitur ab epilepſiis exordiamur, ſive ut morbi acuti conſiderentur, tùm potiſſimùm, quùm paroxyſmus repentè ingruit, & ægrum opprimit, ſtatimque deſinit: ſive ut longi & chronici, per intervalla recurrentes, aut interdum etiam diuturnum paroxyſmum foventes, nec niſi morte deſinentes. Horum affectuum *Indicationis curat. Epilepſ. ab Hermeticis deſumta.*

affectuum

fectuum cauſas aſtrales potiùs & ſpirituoſas eſſe indicant Hermetici, quàm materiales & craſſas, ut jam abundè diximus, nec non malignis & virulentis quibuſdã qualitatibus copulari, quibus idcircò, non expectata digeſtionum, concoctionum & præparationum methodo, promptè ſuccurrere, & virulentam eorum vim infringere, totis viribus contendunt. Cùm autem jam ſuprà originem & ſeminaria prima nonnullarum epilepſiarũ, quas analepſias & catalepſias vocavimus, expoſuerimus, easq́; ex pravis, acribus & venenatis vaporibus ſuſcitari, qui vel ex impuro ſanguine ab origine, vel corrupto lacte & inquinato ſemine, aut quovis alio atrabilario humore, porraceo & æruginoſo (qui aptiùs vitriolatus dici poteſt) exhalant: minerasque morbi deliteſcere, vel in ventriculo, ſanguinis maſſa, inteſtinis, ſplene vel meſenterio, matrice, aliisq́; corporis partibus, dixerimus, unde cõtagium ab infantibus etiam lactantibus contrahi poſſit, & ſic mali labes ad eos traduci: Ea deligemus idcircò auxilia, quæ omnibus horum affectuum generibus citra diſcrimen, omnibus etiam ægrotantium ætatibus ac ſexui congruant, & accommodari poſſint, qualis eſt theriacalis aqua quæ ſequitur.

Aqua theriacalis. ℞ *rad. angelicæ, zedoariæ, bardanæ, ſcorzoneræ, tormẽtillæ, biſtortæ, henulæ camp. gentianæ,* *peta-*

petaſites, ana ℥ j ß. *radicum pæoni. maris & fœminæ, decreſcente Luna in ſigno Leonis collect. raſuræ ligni buxei, viſci querni recentis & coryl. ana* ℥ ij. *ſandali citrini, ligni aloës, myrobal. omnium ana* ℥ j. *diptamni albi* ʒ vj. *herb. meliſſæ, ſcabioſæ, acetoſæ, fumariæ, agrimoniæ, rutæ, anagallidis, matricariæ, menthæ rubr. abſynthii Pontici, hyſſopi ana m.* ij. *ſeminis cardui bened. citrii, pæoniæ, ſeſeleos, gran. juniperi ana* ʒ ß. *cubebarum, macis, nucis moſchatæ, cinnam. ana* ʒ iij. *florum geniſtæ, hyperici, centaurii minoris, tiliæ arboris, lilii convall. calendulæ, lavendulæ, ana p.* ij. *florum cichorii, bugloſſi, roſarum rubrarum, p.* j. *Sumendæ erunt radices, herbæ & flores, qui quàm recentiſſimi fuerint ex temporis opportunitate, qua parabitur hæc theriacalis aqua: quod quidem commodiſſimè fiet in æſtate, quùm omnia tunc abundè vigeant & viribus valeant. Atque hæ radices, herbæ & flores recentes, in amplo mortario quàm tenuiſſimè contundentur. Quæ ſi ſicca fuerint, recentiorum defectu, craſſiuſculè conquaſſabuntur. Omnia autem optimè mixta ollæ indantur vitreatæ ſatis capaci, ut tota mixtio liberè ea contineatur: cui ſuperinfundantur aquæ ſtillatitiæ primulæ veris, lilii convall. florum tiliæ & calendulæ, ſingularum* ℔. j. ß. *aquæ meliſſæ, hyſſopi, roriſmarini, geniſtæ ana* ℔. ß. *vini albi optimi* ℔. ij. *aut quantum ſatis fuerit, ad mixtionem illam imbuendam & perfun-*

den-

Digitized by Google

dendam: quæ ſæpe manibus intrò aut cochleari comprimetur, ut meliùs humectetur & liquorem imbibat. Hæc autem olla arctiſſimè occluſa, ne quid expiret, lento igne foveatur, dum materia tepeſcat, ut ſic melior ac facilior fiat fermentatio, ſeptem aut octo dierum ſpatio: quò enim diuturnior maceratio, eò melior futura eſt fermentatio. Poſtea exprimantur omnia, & linteo ſecernatur ac trajiciatur expreſſio. Deinceps fæces torculari fortiter exprimantur, ut tandem aridiſſimæ reddantur. Atq; totus hic expreſſus liquor in plures alembicos diffundatur, vel in magno deſtillatorio cupreo ſimul colligatur, cum refrigeratorio vaſe (quæ omnibus Pharmacopœis obvia & in promptu ſemper eſſe debent, ad aquas & olea vegetabilium extrahenda) ex quo aqua extilletur, quæ precioſa & excellens futura eſt. Relictæ autē fæces ſuperiores interea igne reverberii in cineres reducentur: quibus apprimè calcinatis, ſuperior aqua calidè affundetur & reaffundetur, donec ſuum ſalem ab illis extraxerit, ſicq; potentior & efficacior reddatur: *Vſus iſtius aq.* *quæ tamen ſola, & citra ſalis ſui adjunctionem, ad curationem & præcautionem Epilepſiarum omnium, ſive idiopathicarum, ſive ſympathicarum, omnibus etiam ætatibus & temperamentis ad ℥ ß. tutò & fœliciter exhiberi poteſt, idq; matutinis horis.* Neque enim ea præparandi tantùm & corroborandi ægri vim habet, ut quæ etiam

etiam malignas qualitates adoriatur, undecunq; eæ progrediantur, nec non hujus morbi verum ſpecificum & ἀλεξίκακον eſſe certiſſimum ſit.

ADDITIO.

Veruntamen ut hæc aqua nobilior, perfectior, & majoris virtutis ſit, ac energiæ magis ſpecificæ adverſus hunc morbum, additamentis his, quæ ſequuntur, ditabitur, *ut videlicet ad iſtius aquæ libras quatuor, theriacæ Venetæ, aut Monſpeſſulanæ, ejusq́; quàm optimæ ℥ iiij. confectionis de hyacyntho ℥ j. ß. conf. alkermes ℥ ß. pulverum diamarg. diacoral. lætific. Galeni ana ʒ ij. diacaſtorei, ℥ ß. aut etiam ampliùs, caſtorei ipſius ſimplicis ʒ ij. camphoræ ʒ j. mixtis omnibus, & vaſi longioris colli (quod matracium vocant) firmiſſimè clauſo impoſitis, in balneo maris fiat digeſtio per quatuor dies: deinde igne cinerum deſtillatio per alembicum extrahatur, deſtillatam aquam ter aut quater ſuper ſuas fæces cohobando, ea cautione tamen, ne nimia fæcum exiccatione, liquor extractus aduſtionem redoleat. Quæ tamen non eſt metuenda, ſi ex balneo Maris vaporoſo, vel ad ſiccitatem uſq́;, ut in Pharmacopœa noſtra docemus, fiat extillatio. Hac ratione præſtantiſſima aqua elicietur, non tantùm in omnes Epilepſias, ſed etiam apoplexias & paralyſes. At ſi ſecundæ hujus deſtillationis fæces in cineres aduratis, & ex iis ſalem aquâ meliſſæ*

liſſæ juxta artem extrahatis, eumq́; ter aut quater, ad majorem puritatem & ſubtilitatem; ſolvatis, filtretis & coaguletis, eumq́; ſuæ aquæ immiſceatis, in qua confeſtim ſolvetur, auctiores longè vires & potentiorem multò energeiam ejuſmodi aqua habitura eſt.

Atq; hæc ſit aquarum eleganter conficiendarum, & rerum virtutis extrahendæ methodus ac forma, quæ arti ſpagyricæ accepta ferenda eſt.

Difficilia quæ pulchra.

Atqui ignarus aliquis pædotriba, craſſi & ſtupidi ingenii, pigerrimus ac negligentiſſimus, aſpernabitur forſan hæc omnia, quòd uno momento nō fiant, ſed longius temporis ſpatium ejuſmodi operatio exigat, nec difficultate ars careat. Quod mirum utique non eſt, quùm uſq; adeò ſit imperitus, ut ne rationem quidem extrahendi ſalis, in quo rerum virtus præcipua poſita eſt, ut alibi docuimus, calleat, aut vel tantillùm notam habeat. At quibus præclarum, doctum, ac arcanorum rerumq́; ſublimium ac pulchrarum ſtudioſum eſt ingenium, quibusq́; perpetuò cum honore & gloria medicinæ faciendæ amor incumbit, ac in proximum dilectio, omni lucro antepoſita, iis nihil difficile aut arduum, ſed facilia omnia occurrent: etſi de aſtralibus morbis curādis agatur, quibus vulgaria remedia, craſſa Minerva parata, reſtituendis prorſus imparia,

tia, nullarumq; viriũ ſunt. Hinc autem lenietur laborioſæ operationis difficultas (ſi qua eſt) quòd magna medicamenti quantitas hac ratione comparetur, quæ tædium levet non ita citæ repetitionis: præſertim ſi ex vaſe cupreo, copioſè aqua educatur: quòd diuturnũ etiam vigorem, vim ac energiam retineat, quodq; admodum exigua doſi exhibeatur, ut ne ſemel quidem ſingulis annis operatio iterãn da veniat: ac de virtute quidem ejus tanta eſt experientia, ut fructus illius ac ſumma utilitas, laborem artificis tempusq; impenſum ſatis ſuperq; compenſet.

Prædicta aquæ doſis administrãdaq; ratio.

Uſus autem ejus hic eſto, ut infantibus ſcilicet, qui hoc morbo tentantur, in ipſa acceſſione, ad ſemicochleare exhibeatur, idque vi intrudatur, ſi aliter fieri nequit, adjectis aliquot olei ſuccini guttis, una aut altera nempe: quo fiet, ut ſtatim à paroxyſmo reſurgãt. A quo excitati, non quieſcent nec ceſſabunt ab uſu medicamenti ejuſdem, quod ad 15. vel 20. dies, aut plures etiam, matutinis horis erit continuandum. Quo utiq; remedio complures eorum à morbo, citra repetitionem, prorſus convaluerunt, ſimul injectis crebris clyſteriis, & eorum nutrice, optima vivendi norma, ad rectam temperiem revocata. Omnibus porrò cujuſvis ætatis & ſexus hominibus eadem aqua in præcautionem & curationem

affectus, commodè & fœliciter propinatur.

Mulier. hyſter. Si autem mulier ſit, quæ ab hyſterica affectione in hunc morbum incurrat, eidem aquę admiſcenda erit tinctura granorũ maturorum actes, ut vocat Parac. cujus deſcriptionem docuimus in noſtra Pharmacopœa reſtituta. Admiſcendum etiam (ſi velitis) oleum buxinum & caſtorinum, arte ſpagyrica prolectum, ſingulorum ad tres aut quatuor guttas, cujus medicamenti uſus ſit & diuturnus, & ſine intermiſſione adminiſtretur.

Si ex vitio ventriculi ortum habet affectus, ſive ſint viri, ſive mulieres, quæ laborant, diluendæ erunt in ea aqua duæ aut tres olei mẽthæ, cinnamomi, roriſmarini guttæ, nec non totidem olei ſeminis aniſi, pæoniæ, arte pariter Chymica extractorum, quæ ex ſimplici aqua, more educendi ex ſeminibus olei, extillata ſint, ut Chymicis omnibus notum eſt.

Si verò extillatio prioris & poſterioris aquarum iſtarum theriacalium, alicui videbitur non carere difficultate, & temporis diuturnitate, (cùm tamen res ſecus habeat) ut oſtendam, quàm copioſa abundent Hermetici remediorum ſuppellectile, & quàm variis modis ea effingant ac præparent (uſque adeò ex ſolertia & ſagacitate artis ingenioſi homines) earum in locum vobis ſubſtituam alia remedia, quæ in ſyruporum formam concinnabun-

buntur, quorum uſus jucundior, gratior & faciliot futurus ſit, quiq; citra exceptionẽ, vulgaribus aliis omnibus, & præſtent, & longè utiliores ſint. Quorum etiam in noſtra Dogmaticorum Pharmacopœa, his ornamentis & opibus ſpagyricis eam decoraturi, deſcriptionem tradidimus.

℞ *igitur rad. pæoniæ, viſci q. ana* ℥ ß. *cinnam. optimi* ʒ vj. *florum calendulæ, lilii con vall. tiliæ arboris, lavendulæ, ana p.* j. *roſ. rab. p.* ij. *Sicca autem & arida, non recentia, omnia iſta ſumantur; radix pæoniæ in fruſtula ſecetur: at reliqua, ut ſe habent, citra conquaſſationem, in matracium, ut vocant, juſtæ capacitatis injiciantur: quibus abundè ſatis, aquæ vitæ, ſalviæ, juniperi (ſi haberi poteſt, ut in Germania, & quarum etiam formulam in noſtra Pharmacopœa docuimus) ſuperfundantur. Quæ ſi deſiderentur, ſumatur aqua vitæ ex optimo vino prolecta, quæ quatuor digitos materiæ ſuperemineat. Vas verò optimè clauſum, ne quid expiret in B. M. collocetur, aut radiis ſolaribus ad tres quatuorvé dies exponatur, ubi aqua vitæ rubeum colorem contrahet, virtute ſimplicium imprægnata. Quæ quidem aqua per lenem inclinationem à fæcibus erit ſeparanda, ad cujus uncias decem, ſacchari candidi pulveriſati* ℥ iij. *vel* iiij. *adjicienda erunt, omniaq; argenteo cochleari agitanda, ut ſolvatur ſaccharum in patina argentea: deinde ignis, ex* *Syrupus antepilepticus.*

incenſa charta, aquæ vitæ imponendus, ut ardeat, verſando ſeu commovendo ſemper materiam ex cochleari argenteo, tamdiuq́ exuretur aqua, dum ſyrupus ſatis coctus, aut plus minusvé fortis videatur. Tum enim, quùm tempus erit, extinguendum erit aquæ vitæ incendium, quadra aut orbe ſtanneo vel argenteo ſuffocatum. Atq́ hic ſyrupus in modum Hermeticorum paratus, antepilepticus præſtantiſſimus futurus eſt: cujus, ſive in præcautionem, ſive curationẽ morbi. ſemicochlearis menſura exhibita ſatis futura eſt. Ad idem prodeſt maceratio florum calendulæ, lavendulæ, lilii convallii in hydromelite malvatico noſtro per menſem facta, cuius macerationis exhibentur ℥ j, vel ℥ ij pro doſi, manè.

Quùm autem in id genus affectibus ſoleant utplurimùm corruptiones & vitia, in viſceribus contenta, purgationibus educi, (ex quorum vaporibus malignis hoc malum creari ſolet) ut hoc præſtetur, purgantiũ medicamentorum loco ex vegetabilibus petitorum, hoc eſt, loco caſſiæ, catholici, diaphœnici, tripheræ perſ. elect. Indi major. & minor. confect. hamech, hieræ ſimpl. aut Paccii, & id genus aliorum, aut leniorum, aut violentiorum, quæ plus damni ſæpenumerò, quàm utilitatis adferunt, ſeligenda ſunt ea, quæ ad ſeminaria uſque morbi penetrant: inter quæ, ab antiquitate ſemper commendatum vidimus utrum-

Purgantia.

que

que helleborum: ſed inprimis nigrum laudamus, quia albus in montibus noſtris frigidis collectus, uſq; adeò crudus eſt, exitialis & convellens, ut illius uſum prorſus improbem, & rejiciendum ſuaſerim.

Quin & ex ipſo helleboro nigro, in noſtris montibus decerpto, quanta quamq; gravia oriantur ſymptomata, vulgari more parato, ſæpè vidimus. Idcircò aliquot ejus præparationes jam ſuprà cap. 17. ex ſpagyricis petitas, ut tutior illius fiat uſus, tradidimus. At quæ ſequuntur, ex eorum etiam ſchola ac diſciplina caſtigatæ, æquè utiles fuerint.

℞ igitur veri hellebori nigri purpureis floribus, quiq; recens collectus ſit, non aridi, ſi fieri poteſt, quantum ſit ſatis ad dimidiam alembici partem ex radicibus conquaſſatis & tuſis implendam: ex quibus per balneum maris vaporoſum (quod ad deſtillandum, citra aduſtionem, inſtitutũ eſt) tantum aquæ ſtillatitiæ educetur, quantum reddi poterit. Sicca autem, quæ reſtabit in fundo alembici materia conquaſſetur, & in matracio colli oblongi reponatur, cui affundatur propria aqua: ac nota, tantum aridarum fæcum conquaſſatarum eſſe ſumendũ, nõ plus, quantum aqua ſua ſtillatitia ſupernatante ad tres digitos latos ſubmergi poſſit. Ponantur omnia in digeſtione balnei ad ſex aut octo dies, dum aqua radicum colore tincta & imprægnata rubeſcat. *Quinta eſſentia hellebori nigri.*

Tum defundatur aqua per inclinationem: quæ iterũ ſola balneo maris ſatis calenti, in digeſtionem reddatur. Hac enim coctione ſecunda, quod crudius eſt, magis matureſcit & corrigitur, ac aliquid ſemper impurarũ fæcum ſecernitur, quod in forma hypoſtaſis aut ſedimenti in imo reſidet. Deinceps hæc aqua optimè digeſta, cocta & depurata, in parvo alembico reponatur, unde rurſum extilletur, dum in fundo vaſis reſtet materia, ſyrupi conſiſtentiâ, qui verus eſt hellebori balſamus & quinta eſſentia.

Atque hæc ſit una ex optimis & facillimis eſſentiæ quintæ, non tantùm ex helleboris, ſed etiam ex eſula, chelidonia, aliisq; id genus vegetabilibus extrahendæ methodus. Hujus uſum poſthac docebimus.

Si verò radices hellebori nigri recentes deſiderantur, ſed ſiccæ tantùm occurrũt (quùm non omnibus pervium ſit, utpote à montibus procul remotis, recentibus ſemper potiri) in hunc modum, qui ſequitur, parandus erit earum balſamus, eſſentia quinta aut extractio, quæ Epilepſiis conferat.

Aliud extract. helleb. nigri.

℞ igitur radices veri hellebori nigri, quas menſe Septembri collegeris, ſole in ſigno libræ exiſtente, vel arietis, menſe Martio, circa alterutrum æquinoctium. Tum enim pollent radices virtutibus, & nativo ſuo humore totæ madeſcunt. Hæ accuratè mundatæ, vino albo dilutæ ac exiccatæ,

tæ, contundantur in mortario marmoreo, ligneo pilo. Conquaſſatæ diſcindantur forcipulis, ſicq; in alembici vitrei capacitatē injiciantur, iis ſuperfundendo aquarum pæoniæ, florum lilii convall. & florum calend. ana quantum ſit ſatis, ad eas optimè imbuendas ac perfundendas, quæq; ſpiritu vitrioli addito acidulæ reddi poterant. Totaq; iſta materia ad 24. horas in lento igne in digeſtione hæreat: cujus liquor tandem ſtillatitius in recipiens, capitello alembici aptatum, extillet, non ad perfectionem aut ſiccitatem integram: ſed ut fæcibus adhuc humidis, ſtillata aqua reaffundatur, quæ denuò per alias 24. horas digeſtioni reddantur, ut poſtea prælo, ad id concinnato, totius liquoris ac ſubſt. fiat expreſſio, fæcibus ſeorſim ſeparatis ac repoſitis. Quæ quidem expreſſio tota alembico iterum reddatur: unde rurſum extillet aqua, dum in fundo remaneat ſyrupi conſiſtentia, aut mellis: atq; hæc denuò aqua fæcibus ſeparatis ac repoſitis ſeorſim in alembico, ut diximus, ſuperfundatur, ut digeſtio eorum repetatur per 24. horas, ac demum fortis prælo totius ſubſtantiæ fiat expreſſio, ſervando ſeorſim fæcem aridam, & ſuperiori conſiſtentiæ ſyrupi admiſcendo expreſſionem. Aqua verò ſtillatitia fæci reddatur, ut priùs, ad infuſionem, quæ poſtea expreſſa ſyrupo adjungatur: idq; toties præſtandū ac continuandum, dum nullum amplius radices aut illarum fæces ſaporem guſtanti reddant. Quod quidem

integræ expreſſionis & radicum eſſentiæ prorſus exhauſtæ ſignum eſt certiſſimum.

Tum verò ſervatos ſyrupos, ut ſuprà diximus, qui ex ℔. j. radicum ad uncias circiter quatuor balſami extrahuntur, in matracium vitreum oblongi colli infundes: quibus tertiam aut quartam partem ſtillatitiarum aquarũ ſervatarum adjicies (etenim majore copia aſſervantur aquæ, quàm ſyrupi) ac in digeſtionem vaſe in Bal. M. repoſito, dum aqua inficiatur colore rubro: tincta aqua per inclinationem transfundatur, & ab hypoſtaſi, quæ in fundo reſtabit, quàm optimè fieri poterit, ſeparetur, ac recens denuò aqua reaffundatur ac ſeparetur, idq́ tot cohobationibus repetendum, donec tota mellita illa ſubſtantia extracta in aquas illas tranſierit, in eſſentiæ puræ ac clariſſimæ ſpeciem. Quæ cohobatio perfecta fuerit, ſi nihil in fundo vaſis, præter fæcem quandam inutilem, & omni colore aut tinctura deſtitutam, (quæ ſummum eſt hellebori venenum) relinquatur.

Ubi iſta perfeceris, aut etiam inter operandum, fæcem in cinerem rediges igne reverberii juxta artem, idq́ ubi eam fortiter expreſſeris, ac ſeparatâ lento calore aquâ, quæ tincturas ſuperiores continet, dum remaneat ſyrupi conſiſtentia, aut potius hellebori balſamus pretioſiſſimus, cum extracta ea aqua totus cinerum ſal ex arte prolicietur. Quo aqua gravida & condita ſyrupo il-

Digitized by Google

po illi aut balſamo hellebori reaffundetur, agitãdo & miſcendo probè omnia: deinde rurſum extillabitur, dum ad conſiſtentiã ſyrupi ac balſami materia rurſum in fundo redigatur, cui ſuus ſal, in quo vis purgatrix præcipua hellebori poſita eſt, admixtus & conjunctus fuerit. Hujus helleborini balſami ſcrupulus, ſolutus in uno aut altero cochleari ſuæ aquæ, aut alterius cõgruentis liquoris, admirandum eſt purgativum, ac maſſæ ſanguineæ excellens mundificativum: quod nõ epilepſiis tantùm domandis par eſt, ſed omnibus aliis etiã deploratiſſimis ac aſtralibus morbis, quales ſunt maniarũ ac melancholiarũ ſpecies, ſubigendis efficaciſſimum, quibus vulgaria remedia ludibrio eſſe ſolent. Hìc nõ objicienda eſt operationis difficultas, cùm ſatis ſuperq; utilitate & præſtantia medicamenti ea compenſetur: imò quæ in ea vel tantillũ verſatis ſoleat facillima haberi. In qua ſi qui fiunt ſumptus, facilè à divitibus, quibus hæc videntur dicata, magno fœnore perſolvuntur ac reſtituuntur. Illis enim tam eximias præparationes dicavimus: at tenuioris fortunæ aliis, quibus fortè hæc cariora videbuntur & inexpertorũ Pharmacopœorum capacitati, præparationes noſtras balſamicas ut accommodemus, quæ ſequuntur, erunt aptanda. Oportebit enim aquarum pæoniæ, lilii conval. & calendulæ in locũ ſubſtituere extractionem

radi-

radicum hellebori, repetitis decoctionibus factam, cum ſero lactis aut lacte deſtillato, & ſæpè identidem expreſſam, ut in expreſſionem virtus radicum pertranſeat, ac in ea maneat. Quod toties iterandum eſt (nempe, reaffuſio, repetita ebullitio & expreſſio) ut ultima expreſſio nihil ſaporis habeat, quod omnem hellebori ſubſtantiam ac virtutem in aquas aut ſerum lactis aut liquorem expreſſum tranſiiſſe teſtabitur.

In libras autem ſingulas expreſſi liquoris addantur foliculorum ſennæ ℥ ij. caryophil. cinam. mac. ana ʒ j. ß. ſeminum aniſi & fœniculi dul. ana ℥ ij. florum roſ. rub. pug. ij. florum nenuph. p. j. quibus infuſis & expreſſis, ſecundum artẽ inſtillentur tot ſpiritus vitrioli guttulæ, ut tota mixtio acidula reddatur. Qui per ignorantiam, ſpiritus vitriolati uſum in medicina improbant & reſpuunt, cujus tamen virtus & præſtantia, ſive ad tincturam medicamentorum extrahendam, ſive ad fermentationẽ omnibus rebus, quibus immiſcetur, inducendam, ſive nimiam caliditatem purgandam, contemperandam, illorumq; venenoſitatem corrigendam, ſatis præjudicari non poteſt: loco ſpiritus prædicti injiciant pro ſingulis unciis ſucci citrii vel limonũ (qui naturam vitrioli æmulatur) quantum ſit ſatis ad aciditatem inducendam, *probeq; omnia macerentur, digerantur, ac fermen-*

tentur

tentur ad tres aut quatuor dies: quorum poſtea fiat expreſſio: cujus liquor ex Baln. Mar. vel calentibus cineribus deſtillatione educatur, dum, quod reſtat in fundo, mellis conſiſtentiam acquirat: cui adde myrrhæ & maſticis pulveriſat. q.ſ. rhabarbari, ſi voles, modicum, ut fiat pilularum maſſula. Ex qua, pilula una tantùm in doſim exhibeatur: cujus operatio fœlix futura eſt, & ad radices uſq; morbi ac ſeminaria penetratura, ut, quicquid eſt impuri & corrupti, radicitùs evellat ac exhauriat, quod vulgaria, ut diximus, medicamenta nequaquam præſtare valeant.

Cum prima hellebori eſſentia, quam, ut meliorem aliâ, uſurpavimus, cujusq; uſum legitimum promiſimus, conjungi poterit, (ſi ita videbitur) extractum aloës, ſennæ, agarici & rhabarb. vel extractum ſcammoneæ & colocynth. quorũ extract. formulæ in noſtra Pharmacopœa reſtituta reperientur: ex quibus forma opiatæ concinnetur, cujus doſis ſit ℈ j. aut admiſcendo myrrhæ & caſtorii & pulveris ſennæ, q.ſ. fiant pilulæ: quarum una tantummodò in doſim exhibita ſemiſcrupuli, aut integri pro robuſtioribus, vehementiſſimè per ſeceſſum operatur, idq; citra perturbationem ullam. Si Epilepſia fiat per conſcenſum uteri, his addere poteris fæculam bryoniæ & aſſæ fœtidæ eſſentiam ſeu oleum ad libitum.

Alios aliquot præparandæ & extrahendæ eſſen-

eſſentiæ hellebori modos, alibi jam ante viginti & quinque annos in libro noſtro de ſpagyricis præparationibus deſcripſimus, quò Pharmacopœos, parũ adhuc aut nihil in chymicis operationibus exercitatos relegamus, ubi ſint facillimum, atq; etiam vulgarem præparandi modum nacturi, ſicubi alibi, & minimæ impenſæ operationem.

Hæc igitur ſint, quæ explicata fuerunt, Hermeticorum, in hoc genere morborum purgantia remedia, ex vegetabilium familia petita: quæ ob inſignes ſuas virtutes nõ epilepſiis ſolùm accommodantur, ſed & vertigini & apoplexiæ maximè competunt. Metallica autem purgantia longè nobiliora & præſtantiora, ab illis ad occultas ſuperiorum morborum cauſas expurgandas habita, ſuum in locum differimus.

CAPUT XXV.

De revulſionibus & derivationibus, reliquisq; curationum ſcopis, item de corroborantibus ſpecificis Hermeticorum.

QUOD ad revulſiones & derivationes neceſſarias attinet, eas æquè cum Dogmaticis recipiunt & commendant Hermetici, ac inprimis frequentem clyſterum vel etiam irritantium uſum, citra tamen decoctiones illas cephalicas nimis incenden-

tes

tes & calefacientes: quarum loco, & hieræ Paccii aut Logadii, aliorumq́; id genus medicamentorum, nimiùm calefacientium & attrahentium, quæ vulgò ejuſmodi clyſteres ingrediuntur in horum morborum cura, quæq́; utplurimùm (quemadmodũ dictum eſt) materias quaſdam vaporoſas, calidasq́; exhalationes & ſiccas excitant, atq; idcircò longè magis noxia, quàm utilia ſunt. Horum, inquam, omnium vice, longè præſtantius medicamentum purgans in ſuis clyſteribus ſubſtituunt, quod citra omnem nimii caloris manifeſtum ſenſum, & qualitatem, attrahentem tamẽ abundè virtutem & facultatem poſſidet, qua eximiè operatur. Cujuſmodi eſt crocus metallicus vel metallorum, ut vocant, quæ præparationis antimonii quædam ſpecies eſt, cum nitro parati: à quo figitur, & arſenicali ſuo ſulphure ſpoliatur antimonium, ut ſic etiam excoctum intrinſecus & ore, citra vim ullam aut corporis perturbationem, ſumi poſſit: multoq́; minùs corpus exagitet, decoctioni clyſteris immixtum & infuſum. Sed de hujus medicamenti virtute ac præſtantia paulò pòſt fuſiùs, nec non utilitate ac admirandis ejus effectis diſſeremus.

Clyſteres Dogmaticorum improbantur.

Præter crebrum ejuſmodi clyſterum uſum, qui propriam quandam horum morborum naturæ congruentẽ vim habent ac energiam ſpe-

ſpecificam, quiq; operantur etiam, juxta decoctionum, quæ variari poſſunt, facultatem ac proprietatem, addito ſemper ſpecifico aliquo medicamento, nulla habita calefaciendi aut frigefaciendi ratione: quod tamen curioſè nimium obſervant vulgares Medici.

Laudant quoq; iidẽ Hermetici æquè cum Dogmaticis vomitus provocationẽ, hæmorrhoidum apertionem, ac menſtruorum, nec non ſaphenæ venæ aut alterius etiam, prout expedit, ſectionem cucurbitularũ appoſitionem, frictionum, fortium ligaturarum, ptarmicorum, errhinorum, maſticatoriorum, idq; in privatam cerebri expeditionem. Denique nullum non ejuſmodi remediorũ admittunt, ut qui etiam cauteria, ſive ea ſint actualia, ut vocant, ſive potentialia, recipiunt: quòd revulſionum & derivationum uſum præſtent.

Vomitoriũ. Veruntamen ſingulare hoc vomitivum ac ſternutatorium uſurpant, aliorum omnium loco, Hermetici: ſalem videlicet vitrioli ritè præparatum: quo fœliciſſimè utuntur, paucorum granorum exhibitione, in congruenti decocto, aut ſtillatitia aqua ſolutorum, quo lenis vomitus, ac utilis educitur. Idem ſal, ſi naribus inſuffletur, privatim cerebrum expedit, & mirè repurgat: Cujus uſus longè ſalubrior eſt & innocentior helleboro ipſo albo, qui vulgò in hunc finem uſurpari ſolet.

In

In corroborationes & confirmationes cerebri,aliarumq; oblæſarum partium, nec non intemperiei correctiones, & reliquiarum reſolutiones, in hunc finem Dogmatici uſurpant uniones, margaritas, corallos, granata, rubinos, ſapphiros, hyacynthum, jaſpidem, lapidem Lazuli, aurum & argentum in folia aut limaturam redactum, cornu cervinum, unicornu, caphurã, ſericum crudum aut chermes, & id genus alia: ex quibus confectiones alkermes, de hyacyntho, de granatis,diamargaritum, de rubinis, de lapide ſtellato ſeu lazuli, nec non antidotum Alexandrinam, diamargaritum calidum & frigidum, aut etiam antidotum è margaritis, & è corallis, à Nicolao Myrepſo deſcriptam, concinnant. Quæ quidem confectiones & aurum recipiunt, & omnes propemodum pretioſos lapides,aliaq; id genus roborantia, quæ pro fundamento & baſi variarum aliarum antidotorum quoque admittuntur, idq; ſine ulla ingredientiũ præparatione, quàm in pulveres redactorum, ut mox dicemus. In illorum, inquam, medicamentorum roborantium, craſsè præparatorum,locum, quæ ad ventriculum cum ſtomacho inaurandum & inducendum lapidibus potiùs conducunt,quàm ad cerebrum corroborandum,cùm ejuſmodi craſſa medicamenta à ventriculo coqui & vinci nequeant, nec

Corroborãtia Dogmaticorum.

De antido. ſect. 10. c. 35. & 36.

X idcir-

idcircò in venas ſic exhibita traduci, quibus ſubſtantia corporis noſtri frui poſſit: inter Hermeticos vel minimùm etiam exercitati, ſurrogare ſolent corporum craſſiuſculorum loco magiſteria corallorum, & unionum artificiosè extracta, cum aciditate vitriolata montana, vel ea, quæ ex junipero, guajacio, ligno quercino, (ejuſmodi aciditate ſupra alia omnia abundante, ut jam pridem lib. 5. magni noſtri mundi ſpeculi docuimus) extillat: nec non etiam, rubinorum, granatorum, ſmaragdorum, ſapphyrorum eſſentias, ejuſmodi aciditatis vitriolatæ beneficio extractas, quæ in ſale marino, aut nitri & petræ deliteſcit, quamque vel minimus ſpagyricorum artifex novit prolicere ac ſeparare ex ipſis ſalibus, qui ejuſmodi lapides pretioſos in eſſentias reſolvunt, propriis ſuis coloribus tinctas, ut rubinorum & granatorum ſetvato colore rubro, & ſolari: hyacynthi tinctura flava: ſmaragdi vitore & venereo colore: ſapphyri ſapphyrico & lunari. Quibus etiam notum eſt artificium extrahendæ tincturæ ex chetmes, longè aliud, ac ab illo diverſum, quo ab infectoribus ex grano tinctorio aut ſcarlata, ut vocant, color educitur. Sic eſſentias & olea caphuræ, croci, arte extrahi in Pharmacopœa noſtra docuimus: nec non aurum & argentum in calcem primum redacta, ut in liquorem potabilem ſint

Corrob. Hermeticorum.

Tinctura lapidum.

ſint traducenda, ſolis juniperi & ſalviæ oleis, aptè ut decet, præparatis, & in hanc rem accommodatis, perſpicuè ibidem demonſtravimus. Quæ quidem eſſentiæ, ſive ſalis conſiſtentiam, ſive olei formam obtineant, ſive eæ ſolæ ſint & ſeparatæ, ſive etiam inter ſe commixtæ, ex juſculo, aut aliquo alio congruente liquore exhibentur: quæ idcircò ſic in venas diſtribuuntur, balſamum ſuum, & ſpiritus in noſtros ſpiritus & naturalem balſamum traducentes ac commiſcentes: quibus noſtri corroborati, ac fortiores redditi, nullo negotio ſeminaria, vel radices etiam occultiſſimas hujuſmodi morborum evellere & prorſus eruncare poſſunt.

Præterea in eundem ſcopum Hermetici conſervarum roſmarini, pæoniæ, ſalviæ, & aliorum id genus loco ſubſtituunt olea & eſſentias ſuas: nec non theriacæ aut mithridatii loco, eſſentiam illarum aqua corniculi cervini extractam uſurpant: aut aquas etiam, quas vocant theriacales, antepilepticas, antapoplecticas, & antiparalyticas, & id genus alias ſpecificas aquas, morbis iſtis congruentes & aptas: de quibus jam ſuprà loquuti ſumus, quarumq; formulas in eadem noſtra Pharmacopœa, ex ſpagyrica aut Hermetica ſchola petitas, deſcripſimus, quibus Dogmaticorum præſidia augerentur, & illuſtrarentur: quæ

alioqui per ſe & ſeorſim omni ornamento ac decore deſtituta ſunt.

CAPUT XXVI.
De Spagyrica Cranii humani Epilepſiæ ſpecifici præparatione.

QUOD ad ſpecifica attinet, Dogmatici, ut ſuo loco diximus, multa ejuſmodi in uſum revocant: inter quæ aquas noſtras antepilepticas de hirundinibus, de picis & ſimilibus additionibus ſalium ex iis extractorum, & ex Hermeticis petitorum, decoratas auctasq; deſcripſimus. Inter quos Dogmaticos, ſed recentiores inprimis, nemo eſt, qui omnibus aliis medicamentis huic morbo idoneis & ſpecificis cranium humanum ſummis laudibus non præferat, fœminæ laboranti cranium muliebre; viro, maſculum adaptantes. Veruntamen inter illos nō ſatis conſtat de ejus præparatione: cùm alii, ut exhibeatur, in cinerem album redigi velint: alii citra calcinationem & omnem præparationem, ſed quale eſt per ſe: autumantes uſtione omnem primigenium humorem, vitaleq; omne principium abſorberi & exareſcere. In quo falluntur plurimùm: ſolamq; ſibi externam rerum anatomiam non internam notam eſſe hoc nomine teſtantur, citraq; corticem

Diſcrepantes Dogmat. opiniones de præpar. Cranii humani.

tan-

tantùm rerum, nõ circa nucleum aut medullam hactenus eſſe verſatos, ut paulò pòſt patefaciemus, cùm de admirandis ſalium virtutibus & effectis verba faciemus.

Huc igitur intrudemus, juxta Hermeticorum induſtriam, cranii præparationem: unde admiranda auxilia, adverſus epilepſiam privatim, eruemus, cujus ſumma & præſtantiſſima ac peroptima præparatio, magiſterium ejus eſt: *quod fit, ſi unum aut alterum cranium recens, exquiſitiſſimè omni carne denudatum, & in fruſtula aut ramenta conciſum in cornutam aut retortam, ut vocant, immittatur, cujus tubo adhæreat capax recipiens, ne ſtrictius ſpirituum vi & copia, ex retorta arenæ immerſa & inhumata prodeuntium, diſſiliat. In qua operatione igni nequaquam parcendum, qui infra ſupraq; ac circumcirca ita eſt ex arte admovendus, ac aſſiduè perflandus, ut retorta ex incendio incandeſcat ac exardeat: nec ab igne fovendo priùs deſiſtendum, quàm ex cornuta ſpiritus albidi in vas recipiens effluere deſierint: quod facilè cognoſcetur ex recipientis vaſis declaratione, cujus perſpicuitas nihil ſpirituum ampliùs exhalantium, aut rubri olei, unde antea turbabatur, reſtare ſatis arguet. Quo cognito ab ignis continuatione ceſſandum, ſinendumq; eſt, ut per ſe ſenſim extinguatur, & citra tactum vaſa refrigeſcant: à quibus agitandis ſuperſedendum ad* **Magiſterii cranii humani, ejuſq; præparatio.**

horas 24. ut per otiũ ſpiritus melius in recipiente firmentur, inſideant ac conquieſcant. Ex quo tandem effundendus erit ſeorſim liquor ſubalbidus, ac inſtar lactis turbidus, qui ex ſingulis craniis ad quatuor circiter aut quinq; uncias extillare ſolet, cui rubrum oleum ſanguinis inſtar, ſupernatabit ad ſex drachmas, vel ſemiunciam: at fæces in fundo retortæ reſiduæ, carbonis inſtar comminuti nigerrimæ, in cineres albos erunt igne reverberii redigendæ: ex quibus ſal aquâ pæoniæ aut aliâ antepilepticarum noſtrarum ſtillatitiâ, eruatur. Phlegma enim unius aut alterius cranii huic rei ſatis eſſe nequeat, niſi fortè copioſa ex multis craniis proliciatur. Ejuſmodi autem ſal ſolvatur, filtretur ac coaguletur cum eadem ipſa aqua: idq; multoties repetatur, dum perfectiſſimè emundatus ſit ac depuratus. Interea autem, dum hujus ſalis operationi incumbetis, ter aut quater repetetis ac iterabitis liquoris, cum tinctura ſua ſupernatante conjuncti, deſtillationem. Quùm autem omnia iſta gravem admodum ac fragrantem odorem ſpirent, ut is detrahatur, trajiciendus erit liquor per modicum colchotaris, ex vitriolo Cyprino aut Ungarico exiccati, qui verè aureus ac ſummè pretioſus inde evadet, mercurium cum tinctura ſua mixtum, oleo aut ſulphure continens, in quo liquore ſi ſalem ſuum diſſolveris, qui per ſe ſolusq; ſummũ eſt Epilepſiæ remedium, in perfectiſſimum evadet medicamen-

Sal cranii humani.

mentum: cujus ſi duas aut tres guttas ex ſemicochleari aquæ antepilepticæ, aut theriacalis, intra & extra epilepſiæ paroxyſmū exhibueris, idq; per menſem ſingulis diebus continuaveris, perfectam hujus mali curationem, favente Deo, conſequêris.

ADDITIO.

Huic magiſterio cranii humani, ut ſuprà parati, ſi eſſentiæ aut magiſterii perlarum & corallorum ana ʒ j. addideris, diamoſchi, diacaſtorei ana ʒ ß. ſpiritus vitrioli veri, hoc eſt, cum virore ſuo extracti, guttas 24. olei de ſeminibus pæoniæ, guttas 20. mellis anacardini ℥ j. mixtaq́, ſimul omnia circulentur in Pellicano in B. M. ad tres aut quatuor dies. Quibus exactis liquor exemptus accuratè aſſervetur, & cùm opus fuerit ℈ j. aut ſeorſim, aut ex aliquo alio liquore, quales ſunt ſuperiores, exhibueris, mirandos effectus inde naſci percipies.

PRÆPARATIONIS COMPENDIUM.

Qui tantum temporis & operæ in hujuſmodi præparationibus verentur inſumere, etſi utiliſſimis, compendioſiorem hanc, quæ ſequitur, viam ingredi poterunt: *ut ſcilicet ſumant unum aut alterum cranium, recens excarnatum, & nunquam ſepultum, quod in fruſta comminuant aut ramenta, ex quibus deſtil-*

latione per retortam, liquor cum ſpiritibus, ut ſuprà, extrahatur: quod uno die perficitur. Atque totus hic liquor bis per ſe rurſum deſtilletur, ad majorem puritatem inducendam. Quæ operatio integrum diem non exigit. Cujus liquoris unciis quatuor ſi caſtorei recentis ʒ j. diamoſchi dulcis, confectionis alkermes ana ʒ ß. mellis anacardini ℥ j. addideris, ſimulq; omnia probè miſcueris, & rurſum ex alembico igne cinerum ſublimaveris, corallorumq; & perlarum eſſentiæ cum ſpiritu vitrioli extractæ ana ʒ j. nec non olei ſuccini guttas xx. *oleorum cinnamomi & aniſi ana guttas* x. *addideris, ſcrupulumq; iſtius mixtionis exhibueris ex aliqua convenienti aqua mira percipies, ſi ab una ad alteram Lunam, ejus uſum non intermiſeris.*

ALIA CRANII OMNIUMQ; facillima præparatio.

Quùm non ſemper cranium recens occurrat, nec pervius ſit omnibus illius excarnandi modus, ut illis, qui de more in anatomiis verſantur: eorum loco uſurpari illa poterunt, quæ recens è ſepulchris effodiuntur, & ſi aliorum bonitatem non æquant, quòd minùs mercurialis eſſentiæ, aut nihil prorſus obtineant, quàm quæ recentia ſunt, & nunquam ſepulchro condita, abundè poſſident & retinent: nihil enim in his humo abſorptum eſt, ut in aliis,

aliis, quæ diutiùs cœmeteriorum terrâ nitroſâ obruta, atq; idcircò ab ea omni carne, medullâ & liquore ſpoliata, quem à propria natura mercurialem & ſulphureum obtinent, prorſus exaruerunt & depaſta ſunt. Quod eorum ſalibus non accidit, quos propter fixiorem illorum naturam in reſiduo oſſium reſtantem, terra non attingat, ne dum poſſit abſumere. Hac enim ratione ad infinita ſecula, oſſa & nitida & integra, citra ullum formæ aut fixioris ſuæ ſubſtantiæ detrimentum & jacturam perſtare, ubiq; perſpicere eſt. Eligantur autem ea crania, quæ minorem in ſepulchro moram paſſa fuerint, ex quibus ſal, ut ſequitur, proliciatur: quod præſentius & magis ſpecificum Epilepſiis futurum eſt remedium, quàm ſi pulvis ſolus aut imparatus, aut etiam ad albedinem calcinatus exhibeatur: ſiquidem ſal qui ex cranio arte extrahitur, in liquorem facilè reſolvitur, qui eò venis noſtris ac ſpiritibus communicabilior & penetrantior eſt ullo pulvere aut cineribus terrâ ſuâ & corporeâ mole adhuc obtuſis & oppreſſis. In quo utique ſale non tantùm craniorum, ſed aliarum etiam omniũ rerum abundè primigenius humor & vitale rerum principium inſita ſunt. Hinc fit ut inter ſimplicia, ea, quæ copioſiore ſale abundant, fortiùs vigeant, & ſtrenuè magis temporum injuriis reluctentur,

Sal cranii ipſo crudo præſtantius.

Quæ ſale abundant, diuturniori vita fruuntur.

tur,ut nullis nec rigoribus,nec ardoribus perimi aut vinci poſſint, quo minùs virorẽ ſuum & vegetationem conſervent,quod ſecus aliis, eo minùs præditis, accidit. Idem videre eſt in animalium genere,ut inter illa,quæ copioſiorem ſalem natura poſſidẽt,ea vivaciora & diuturnioris ſint vitæ. Quin & partes animalis eo abundantiores, quales ſunt oſſeæ, minùs corruptioni obnoxiæ ſint,& ſeriùs interitum minentur.In iiſdem ſalibus formæ rerum deliteſcunt, quod luculentis exemplis paulò pòſt illuſtrabimus, ut unicuiq; pateat, & oculis ſubjiciatur,ac veluti manibus palpetur, quicquid admirandarum proprietatum & effectuum, in vitali illo principio latitet & contineatur.

Ut igitur facilem, & citra temporis jacturam ac impenſarum magnitudinem extrahẽdi è cranio ſalis modum doceamus,quod libẽter in gratiam Pharmacopœorũ ac artificum minùs ſolertium, ut addiſcant, nec non ægrorum, qui magnis ſumptibus ſua inopia parcere coguntur,ut ex hac facilitate, quam proponimus illis, libenter ſuccurratur, nec ex difficultate operationis, de qua nemo conqueri poſſit, charitas erga proximum refrigeſcat, quam in Chriſtianis cordibus erga fratres ardere par eſt & æquiſſimum, prout ſequitur, præſtabimus.

Præparatio ℞. *tria, quatuor, aut etiam plura crania, quæ*

parum

parum diu in terra delituerint, ut diximus. Ea ſalis cranii humani. in fruſta contundantur (ſolùm calvariam intelligo citra maxillas aut mandibulas) quæ prius vino optimè deterſa & mundata, poſtea in vinum album infundãtur, in quo caryophylla, macis, flores roriſmarini, lilii convall. tiliæ, calend. ſalviæ macerata fuerint: quod bis aut ter ſubinde repetendum, ut hoc infuſionis vino optimè imbibantur. Atq; ſic parata craniorum fruſta in cupellam terream non vitreatam immittantur, quæ in furno reverberationis, Athanore dicto, poſita, flamma carbonum, non ligni, in calcem aut cinerem redigantur albiſſimum. Qui quidem cinis in matratium vitreum injiciatur, cui tantum aquæ roriſmarini ſuperfundatur, ut quatuor aut quinq; digitos ſupereminea t. Obducatur firmiſſimo luto vas, quod abiete & cera conſtet Hiſpanica, ne quid expiret, atq; in B.M. bulliente collocetur, in quo, ad quatuor aut quinq; dies in digeſtione & circulatione retineatur: quo tempore aqua, lixivii inſtar, cranii ſale tingetur ac impragnabitur. Refrigerato vaſe, aqua per inclinationẽ effundatur, & materiæ recentẽ aquã ſuperfunde denuò, ut nova fiat digeſtio & circulatio, ut ſuprà: idq; toties iteretur, donec totus ſal in aquas tranſierit. Iſtius aquæ ſale imprægnatæ, vel dimidium cochleare argenteum propinari poteſt in curationẽ vel præſentis vel futuræ epilepſiæ chronicæ. At ſi ab iſta aqua ſalem ſeparare volumus,

omnes

omnes iſtæ aquæ impræg[illegible]tæ in alembicum profundantur, ex qua [illegible]letur aqua à ſale, qui in fundo alembici [illegible]anebit: quem ſi animus eſt puriorẽ reddere & cryſtallinũ, ſolutionibus, filtrationibus, coagulationibus identidem crebrò repetitis, ad ſummam puritatem adducetur, qui & ſolus pretioſiſſimus eſt, ac magnæ virtutis, ſi eſſentiis corallorum, perlarum, & id genus aliarum rerum antepilepticarum, commixtus fuerit.

CAPUT XXVII.

De ſeminarii prædictorum affectuum plenaria reſolutione ac conſumtione, deq; uſu & præparatione Topicorum, juxta Hermeticos.

IN reſolutionem & conſumptionem prorſus integram reliquiarũ Epilepſiarum, vertiginum diuturnarum, & apoplexiarum in paralyſes degenerantium, poſt præparationes, evacuationes, averſiones, derivationes ac roborationes ſuperiores Dogmatici, ut jam monuimus, diætis utuntur, ut vocant, hoc eſt, hydroticis, ac ſudorificis decoctionibus, ex guajaco, china & ſalzaparilla, ac ſaſſafras, atque id genus aliis vulgaribus ſudatoriis concinnatis. Hermetici verò in eundem finem ac ſcopum, talia quidem remedia admittunt: at illis præterea ſales ſuos admiſcent, aut

Diata Dogmat.

aut liquores acidulos, qui minore doſi, & citra exuperantem calefactionem, longè magis in eoſdem affectus conducunt.

In hoc etiam Dogmaticis ſunt ſuperiores, quòd inter hydrotica vegetabilia norint & habeant ſingularia quædam ſpecifica ſingulis iſtis morbis proprietate quadam congruentia: ut adverſus epilepſiam hydroticum hoc ſpecificum habent, viſcum nempe quernum præparatum: ſemen pæoniæ, & raſuram ligni buxei, quæ inveteratis etiam vertiginibus opem ferre poteſt. Adverſus paralyſes hydroticum uſurpant ex ligno juniperino cum floribus calendulæ, lavẽdulæ, & roriſmarini magnâ copiâ, addentes ſingulis hydroticis ſuos ſales in majorem utilitatem, nec non aliquot liquorum acidorum guttas ex ſulphure aut vitrioli ſpiritu. Præter hæc omnia, alia poſſident hydrotica ex metallica ſubſtantia deſumpta, longè adhuc aliis & præſtantiora & meliora, de quibus ſuo loco poſtea dicemus, unde diſcatur illorum in remediis fœcunditas & divitiæ, nec non in præparandis & coquendis hydroticis ex vegetabilibus præſtantia & induſtria: unde quàm egregiæ obſervationes, vulgares illas omnes ſuperantes, eliciantur, perſpicere licebit, ſi omnis abſit invidia, & res ex æquo & bono judicetur: quod præter eas, quas jam ſuprà deſcripſimus, formulas, clarius

Hydrotica Hermeticorum ſpecifica.

riùs patebit ex iis, quæ in reſtituta noſtra Pharmacopœa abundè tradidimus.

In remedia topica eundem curationis ſcopum ſpectantia, nec non tam inveteratis epilepſiis, quàm apoplexiis conferentia, ac paralyſibus, loco oleorũ caſtorei, ſalviæ, betonicæ, rutacei, vulpini, nardini, laurini, piperini & ſimilium vulgarium: nec non unguentorum, *Topica.* Martiati, Agrippæ, de bdellio, communiũ, ex quibus præſcribuntur formulæ in unctionem membrorum affectorum, Hermetici uſurpant olea arte & citra vulgaris olei olivarum additionem extracta longè aliis ſubtiliora, penetrantiora, magis attenuantia & diſcutientia, nec non nervoſas partes corroborantia, ex omnibus gummi generibus, ex caſtoreo, ſtyrace, benjoino, floribus ſalviæ, roriſmarini, betonicæ, calendulæ, ſeminibus pæoniæ, ex baccis lauri, juniperi, piperis, & aliis id *Balſama.* genus aromaticis. Ex quibus etiam cum aqua vitæ præſtantiſſima balſama & odorifera ad eaſdem intentiones conficiunt. Quòd autem hodie multi Dogmatici, oleis therebinthinæ, petroleo, de cera & lateribus, ſive ſimplicibus, ſive cõpoſitis utantur, palàm eſt eos ejuſmodi remedia ex ſpagyricis eſſe mutuatos: ut olea etiam alia, quæ ex omnibus reſinis, pinguedinibus & axungiis, ex quibus etiam admiranda linimenta componuntur, deſtillari ſolent;

lent: quæ potiſſimùm contracturis & paralyſi conferunt. Horũ præparationes videre licet in noſtra Dogmaticorũ Pharmacopœa, artificiis ejuſmodi ſpagyricis aucta & exornata. Hîc tãtùm ſubjiciemus, duorum aut triũ topicorum ejuſmodi formulas, quæ præſertim omni paralyſeων & contracturarum, ſive recentium, ſive inveteratarum generi maximè conducunt:

Topicum ad paralyſ. & contract.

℞ *oleorum reſinæ & therebinthinæ arte ſpagyrica extractorum, ana* ℔ j. ß. *galb. bdel. ſerapini ana* ℥ iiij. *caſtor.* ℥ ij. *benjoini, ſtyracis calam. ana* ℥ j. ß. *pinguedinum taxi, cuniculi, anſeris, anguillæ, ana* ℥ iiij. *medullæ cruris bubuli* ℥ ij. *aquæ vitæ optimæ* ℔ ij. *baccarum juniperi, lauri, ſeminis pæon. conquaſſatorum ana* ℥ ij. *caryophyl. nucis muſc. contuſorum ana* ℥ j. *piperis longi* ℥ ß. *florum ſalviæ, roriſmarini, beton. lavend. calend. ana pug.* ij. *ſucci corticis ebuli & ſambuci, ana* ℥ iiij. *omnia in amplum matratium vitreum conjiciantur longi colli, & in digeſtionẽ in fimo equino calido, vel in Bal. M. ad quatuor aut quinque dies collocẽtur, ut pinguedines in eo liqueſiant, & olei therebinth. ac aquæ vitæ opera gummi ſolvantur, & aromatum ingredientiumq́, aliorum ſpiritus ac eſſentiæ ſeparentur ac eliciantur. Hinc calentibus adhuc omnibus ſiat colatura & fortis ex torculari expreſſio, expreſſumq́, ut ſubtilius & in tenuiorem ac magis ſpirituoſam quintam eſſentiam redigatur, in alembicũ aut cupreã*

cor-

cornutam, quæ deſtillandarum pinguedinum & gummi, vel ſeorſim etiam, inſtrumenta ſunt aptiſſima, immittantur, gradatim ignem circumcirca admovens, qualem ejuſmodi pinguedinum deſtillatio exigit. Hac ratione prolicietur balſamus aut oleum copioſum & magnæ virtutis, omnium ingredientium vires ſortitum. A quo ſi lubet, aquoſam ſtillatitii vini ſubſtantiam, aliorumq; ſuccorum ſeparabis ad lentiſſimũ ignem, aut non ſeparabis, ſi voles. Iſto oleo tota dorſi ſpina ab occipitio ad imam uſque vertebram, parteſque paralyticas aut reſolutas illines: quas unctas lanâ pingui ſuccidâ, granorum juniperi & aliorum cephalicorum pulvere conſperſâ, involves: unde mirandos effectus in omni paralyſis & contracturæ genere, nec non omnibus, in ſumma, nervorum affectibus ſis probaturus.

ALIUD.

℞ oleorum de cera, de lateribus compoſitorum, & ut in Pharmacopœa noſtra Dogmaticorum deſcripta occurrunt, ana ℔.j.ß. *benjoin, ſtyracis calamit. ana* ℥iij. *caſtorei, myrrhæ, ana* ℥ij. *euphorbii* ℥ß. *injiciantur omnia in vas vitreum optimè clauſum, & in cella vinaria, aut frigido aliquo loco repoſitum, ut brevi ſolvantur gummi, & in balſami naturam oleorum beneficio convertantur. Cui, etſi jam per ſe inſignis ac magnæ virtutis, ſi olei laurini, arte ſpagyrica extracti*

tracti ℥ iiij. *pinguedinis urſi, taxi, arte chymica etiam parata, ana* ℥ iij. *addideris & probè miſcueris, præſtantiſſimum & penetrantiſſimum balſamum conſequêris: nec non ad omnes nervorum affectus efficaciſſimum, ac ad robur partibus unctis maximè conciliandum. Siquidem in olea iſta de cera & lateribus compoſita, quæcunq; ſimplicia nervis amica ac familiaria ſunt, ingrediuntur, & ſuam virtutem depoſuerunt.* Docuimus etiam in eadem noſtra Pharmacopœa, ejuſmodi olea, nec non laurinum & de pinguedinibus, citra olei alieni additionem, elaborare. Quarum formularum exemplo, quivis Medicus, vel tantillùm chymicis extractionibus initiatus, ſexcenta alia ejuſmodi remedia ad illarum imitationem præclariſſima, nullo negotio excogitare ac parare poſſit, ut dilucidè cuivis videre & experiri licet. Si porrò iis de cera & lateribus oleis, flores ſulphuris adjeceris, non ineptè feceris. In illis enim perinde ac in oleo terebinthinæ diſſolvi poſſunt, modò id fiat in calido aliquo loco. Veruntamen balſamus ingratum hinc odorẽ ſibi compararet, quò fit, ut hîc flores non addamus: quorum tamen uſum ſi expetis, ad majorem exiccationem, balſamo ſulphureo Martini Rulandi, in centuriis ejus deſcripto, uti poſſis: quo tam rara & admiranda præſtitiſſe ſe ſcriptis affirmat.

Hic igitur tam internorum, quàm externorum præſidiorum chymicorum omnibus curationum indicationibus, quæ hujuſmodi morbis congruunt, tanquam ex picta tabella, oculis ſubjecta habetis ornamenta & gazas, quæ, tum ex vegetabilium familia, tum animalium deprompta ſunt, rejectis in alium ad calcem hujus ſcripti locum, metallicis: ut quæ & præſtantiora aliis omnibus καὶ ἐνεργώτερα, admirandiſq; effectis, magis prædita ſint: ubi etiam Dogmaticorum methodum ſequimur, qui ut plurimùm præmiſſis imbecillioribus remediis, fruſtraq; tentatis ex vegetabilibus & animalibus, ad metallica tandem confugiunt, dum ægros ſuos ad thermas aut minerales aquas, tanquam ad tutiora ſubſidia, relegant: quas tamen boni illi viri, ſui immemores, alibi damnant & reſpuunt: quiq; (ut nonnulli alii, qui veteri ſenectæ & craſſæ ſuæ ignorantiæ immori malunt, quàm turpiter, ut putant, à ſententia dimoveri ſe patiantur) parum norunt, quàm ſibi ſic contradicendo cæcitatis & ignorantiæ, nec non in erroribus ſuis pervicaciæ ac obſtinationis reos ſe faciāt, ignorantes arte naturam, ad cujus imitationem, ejus fundamento, ars ſuperextruit, poſſe etiam in his remediorum generibus ſuperari, & de præſtantia arti cedere. Quod & in aliis rebus omnibus videre licet, quæ aut medica-

Dogmaticis mineralia tantoperè ipſis inviſa, extremum ſunt refugium.

dicamenti, aut nutrimenti uſum præſtant, ubi natura, ſive rhab. ſive colocynthidem aut alia purgantia, ſive frumentum & racemos in alimentum producat, requirit tamen artem, quæ naturalia iſta in uſum hominis perficiat, & conſentanea ejus naturæ, ac magis vel ad medicandum, vel ad alendum congrua reddat & aptiora: quod vel cæcis ipſis perſpectiſſimum eſt ubique ex infuſionibus medicamentorum, ex panificio & vini elaboratione, quæ egregiæ utique & excellentiſſimæ ſunt artis præparationes, citra quas crudiores illi cibi, & medicamenta aſſumpta, vitæ humanæ longè eſſent nocentiora, quàm utiliora, & altiore radice ac occultis ſeminariis carentia, vulgaria quidem & communia remedia, quæ natura ſponte ſua fert, fortè uſui eſſe poſſint, citraque ullum exquiſitius artificium. Quæ ſi nihil proficiant, æquum eſt ad fortiora & validiora confugere; ut ſic ad debellandas grues Pygmæorum aut ſtilponum robur ſatis eſſe poſſit, ne dum ad mures aut formicas longè imbecilliores expurgandas: ad hydram verò, leonem, aut aprum Ætolicum ſubigendum, fortiùs longè robur opponendum ſit. Hujuſmodi ſunt hi morbi, Epilepſiæ, lepræ, apoplexiæ, lues Hiſpanica, & id genus alii, quos hîc tractamus: quorum immanis ac indomita ferocia non niſi Herculeâ

Ars Naturæ dona ad uſum hominum reddit idonea.

clavâ devinci ac opprimi poteſt. Idcircò aptè ſummus ille Dictator Hippocrates & ad rem dicebat, extremis morbis extrema eſſe adhibenda remedia. Inter autē extrema ejuſmodi remedia, hoc eſt, valentiſſima & fortiſſima, ſupremum occupant locum, quæ metallica eſſe diximus, de quibus nunc nobis reſtat dicendi opportunitas.

Medicamēta externa.

Caput XXVIII.

De ſalium quorundam ex Mineralium familia deſumtorum, affectibusq; prædictis ſpecificorum anatomia interna & vitali, virtute & præſtantia.

Talia eſſe metallica præſidia vel ipſi Dogmatici ſatis ſuperq; compertum habent, ac fateri coguntur: cùm (ut ſuprà monuimus) in quibuſvis deploratiſſimis morbis, ubi ſilent vulgaria remedia, ad thermas & minerales aquas, metallicis ſpiritibus gravidas, confugiunt, ex quibus varios ac admirandos effectus experiuntur, ut quotidianus reſtatur earum uſus, omni rationum pondere ac argumentorum cumulo ſuperior.

Inter autem metallicas ſubſtantias, (quæ trium ſunt generum) eæ quæ ad naturam ſalis referuntur, quæq; magis de ſimplicitate elemen-

Salium efficacia.

mentari participant, vi & efficacia agendi majore pollent. Fuſiorem autem de hujus principii vitalis natura, donis, proprietatibus, officiis ac præſtantia tractationem in librum noſtrum de recondita rerum natura, artisq; myſteriis, tanquam in ſuum locũ, differimus: rati ſatis eſſe, hìc in præſentia admonere, quàm graviter ex Dogmaticis nonnulli hallucinentur & peccent, qui ſalis cranii humani incinerationem ac extenuationem, in epilepſiæ curatione damnant, necnon aliorum ſalium ex variis rebus extractorum, ad emundandum, expurgandum, ac omnis generis impuritates corporis noſtri, quæ omnium morborũ, quibus oppugnamur, ſeminaria figunt, eluendum, uſum reſpuunt ac explodunt: ex quibus (ſi natura eas ſordes, bilis nitroſulphureæ beneficio, in jejuno inteſtino excretricem facultatem vellicantis, ac ad expulſionem irritantis, non deturbaverit) varia morborum genera oriuntur. Eſt autem fel ex ſalium naturalium genere detergẽtium, quemadmodum & urinæ alii excretionum generi inſervientes, ut alibi docuimus. *Salium propriet.*

In hoc porrò magis hallucinantur, quòd ſales ab incinerationibus & extractionibus, humido ſuo primigenio ac vitali principio prorſus ſpoliari autument. Quo ſatis indicant, quàm exiguam, aut nullam etiam prorſus anato- *Calcinatione ſalium humidum eorum primigenium non abſumi.*

natomiæ vitalis & internæ rerum naturalium cognitionem habeant, etſi ubique vitales rerum ſpiritus, & admirandas eorum virtutes ac effectus, citra tamen judicium, animadvertant: ſatis enim quotidiana, ad erudiendos illos, eſſet ex odoribus, ſaporibus & coloribus rerum petita experientia, ni prorſus aut ſtupore nativo, aut ſpontaneâ malignitate cæcutire vellent. In illis enim potentibus qualitatibus, quæ aliunde, quàm ex ſalibus, ac præcipuè metallicis, non emergunt, ſatis ſuperque interna eluceſcit ac viva anatomia. Quod exempli gratia, patet in ſale zuccharino, quod ex plumbo vi aciditatis vitrioli, vegetabilium omnium principis, aut etiam (quod ſatius eſt dicere) veri illius nectaris eſſentiâ cœleſti acidulâ, elicitur: ſiquidem viribus menſtruorum illorum totum propemodum plumbum in ſalem redigitur, qui vel communi etiam aqua, inſtar vulgarium ſalium, dilui ac ſolvi poteſt, tractarique filtris ac coagulationibus, aliorum inſtar. Ex quo ad ſiccitatem redacto, ſpiritus educi arte poſſunt, qui in aquam vitæ fragrantiſſimam, & ſummè admirandam reſolvuntur, quæ flammam non ſegnius, quàm vera & ſubtiliſſima vini eſſentia concipiat, ſulphure proprio ac tincturâ, ſanguinis inſtar rubicundiſſimâ, ei ſupernatante.

Vitales rerũ qualitates unde proficiſcantur.

Anatomia interna Saturni.

tante. Unde verus Philoſophus ex triade per unionem copulata unitatem colligit: quod verum eſt auri diſſolvens, ut jam alibi deſcripſimus.

Atque ex hac potiſſimùm ſcaturigine, veri Medici Hermetici univerſalia ſua ac ſuprema remedia in epilepſias, vertigines, apoplexias, quas hîc tractamus, nec non in elephantias, cancros, & id genus graviſſimos ac invictos morbos expiſcari debent, ut humano generi fœliciter conſulant. *Vniverſalia Hermeticorum remedia.*

Quod ad corallum attinet, qui arbuſculus eſt metallicus, ex ſaxis marinis exurgens, vitamque à ſpiritu ſalis vegetantis poſſidens, ut qui etiam totus naturam ſalinam præ ſe fert, cùm totum penè ejus corpus in ſalem redigi poſſit, mediantibus illis diſſolventibus, quæ ſuprà attigimus, quibus evaporatis, & exiccata coralli ſubſtantia ſalina, ex eo pariter aqua vitæ ardentiſſima educitur, quæ, inſtar quoque eſſentiæ vini, flammam concipit, cum rubra, ſanguinis inſtar, tinctura, quæ circulationis aut rectificationis beneficio aquæ innatat: quæ quidem aqua & tinctura, ſi probè inter ſe uniantur, jam tum antidotum præbebunt adverſus epilepſias & apoplexias præſtantiſſimam, ſi aliquot ejus guttæ ex aqua aut liquore congruo aſſumantur. Quod tamen *Anatom. Coralli.* *Antidotus antepilept. & antapoplectica.*

artificium, ſi eodẽ modo perſequamur, quem obſervavimus in menſtruo Saturni deſcribendo, aut Lunaria minore, aut opere vegetabili Raymundi Lullii, quas operationes in tractatu noſtro de priſcorum Philoſophorum medicinæ materia, &c. deſcripſimus: certiſſimum ac ſupremum diſſolvens educemus, quòd aurum in veram quintam eſſentiam (quod veris omnibus Philoſophis factu facillimum eſt) ſit redacturum.

Margarita. Similis aqua vitæ ex perlis & unionibus ex eodem, cum corallis, fonte productis, extrahi etiam poteſt. Reperiuntur enim perlæ in conchis marinis, variis coloribus inargentatis. Quos quidem varios colores à ſalis ſpiritibus proficiſci exemplo docuimus, in noſtro tractatu de priſcorum Philoſophorum medicinæ materia propoſito, cùm de ſale petræ loqueremur, cujus ſpirituum penetratione totum alembici corpus variegatur ac tingitur, colorem opalæ, hoc eſt, omnigenæ picturæ, referens.

Cordialia. Etſi autem vel ſolæ ipſæ aquæ vitæ aut eſſentiæ perlarum aut corallorum, per ſe ſatis & ex ſeſe inter præſtantiſſimas antidotos cor mirè recreantes ac refocillantes cenſeantur: ſi tamen ulterius procedatur, diſſolvens inde ſolare & lunare admirandæ & incomparabilis virtutis, adverſus epilepſias ac deſperatos

Vera Solis & Lunæ menſtrua.

ratos omnis generis affectus, extrahetur ac elaborabitur: ut nemo non ſani judicii tantam medicamenti vim & efficaciam ubique teſtetur, nec niſi obliqua ac perverſa raptus mente fateri erubeſcat.

Si quis autem de operationum longitudine ac diuturnitate, nec non caritate tam laborioſi medicamenti conqueratur: ſciat ille, magnis potentibus ac divitibus ſolis etiam eſſe dicatum, & à nobis in illorum uſum proponi, qui nullis parcunt ſumptibus, ut hujuſmodi arcanis vitæ ſuæ conſervandæ conſulant, & tam gravibus ac horrendis malis ſeſe expediant. Præterea in hunc finem etiam hęc à nobis exponuntur, ut pateat oculis, quàm admirandas vires, proprietates & effectus vitales concluſos in ſe, ſales vel metallici habeant, & quàm ſolerti ac ſagaci artificio in aquas vitæ, præter multorum etiam magnorum Medicorum & Philoſophorum, qui ſibi omnium rerum ſcientiam arrogant, opinionem ac fidem, tranſeant ac reſolvantur. *Occupatio.*

Ex rubinis, ſmaragdis & hyacynthis cum floribus kibric, ex arte ter calcinatis igne reverberii, ut artis eſt, tandem cum ſalis ſpiritu vitriolato eliciuntur eſſentiæ ſeu tincturæ, ad prædictos morbos profligandos, perutiles. Smaragdorum & rubinorum eſſentiæ cum aqua lilii convall. exhibentur ad epilepſiam & *Tinctura gemmarum affectibus prædictis ſpecifica.*

vertigines; at hyacynthorum tinctura cum aqua calendulæ exhibita, paralyſi & contracturæ ſummum eſt remedium, ſi poſt generales evacuationes, per quindecim dies continuos uſurpetur, harum tincturarum doſes ſunt iiij. v. aut vj. guttulæ, vel cum proprio menſtruo conjunctæ exhiberi poſſunt uſque ad unum cochlear cum vino, aut aliquo alio liquore convenienti.

Caput XXIX.

De Spagyrica ſalis marini analyſi, admirandaq; ejus, tum in vegetabilia ac metallica quædam Naturæ individua, tum in corpus humanum agendi poteſtate.

At opus eſt, ut ſalium noſtrorum tractationem perſequamur, ac miros etiam ſalis marini effectus expiſcemur, quo quotidie omnia cibariorum genera condiuntur, nec illo, ad vitam humanam tam neceſſario, quicquam carere poteſt.

Si à ſalis marini dulcibus cryſtallis exordiamur, qui ex materia tam acri ac ſalſa extrahuntur, non dubium eſt, quin ignaris hominibus, rem iſtam ſupra hominis induſtriam eſſe arguentibus, riſum moveamus, quod quidem ſi ad amuſſim legum & normarum Philoſo-

loſophiæ illorum rem iſtam revocemus, utiq; ridiculum planè futurum eſt: non autem ſi ad incudem veritatis, genuinis ac legitimis Philoſophis probè cognitam, & quibus ſolis hæc ſcribimus, referamus. Viſum eſt autem hoc tam ſuſpiciendum arcanum in gratiam illorum enucleare, ea lege tamen, ut ſolis artis filiis, terminorum ejus peritis, ac veræ Philoſophiæ fonte prolutis, non ignaris & ſtupidis hominibus, imò etiam maledictis ac convitiis tantam artem proſcindentibus ac indignè lacerantibus, in cognitionem veniat. Æquum eſt enim, detrectatores ejuſmodi in ſua inſcitia ac cæcitate permanere, ſuesq; ac porcos ab unionibus iſtis proculcandis arcere, ne dum admittere. *Quibus hæc ſcribantur.*

Solvatur igitur ſal marinus, filtretur, & coaguletur ex arte, cum proprio & naturali menſtruo, idq; toties, dum ſummam purificationem ac claritatē acquirat. Hujus ſic emundati & clarificati ſalis ℔. vj. *adjice diſſolventis vitriolati & melliflui ex vegetabili, & animali parati, quod ſufficit ad majorem fermentationem ac corroborationem, ut facta digeſtione conveniente, quam præiiſſe oportet, uſum vehiculi præbeat, ad commodius ſpiritus aqueos, ſulphureos ac vitriolatos, dulces, acidosq;, qui firmiſſimè ſali illi reconditi inhærent, extrahendos. Quod in pixide Walemburgica, vel quavis alia, quæ ignē ſuſtineat,* *Præparatio.*

quales

quales ſunt retortæ Bellovacenſes, ex quibus Lutetiæ aquæ fortes exprimuntur, præſtandum eſt.

In hoc verſatur rei cardo, ut gradatim ignis admoveatur: in quam rem ſedulò artifici & in hujuſmodi opere exercitato incumbendum eſt. Nec non & fornax reverberatoria Athanoris requiritur, in qua opus ex norma & menſura dirigatur. Oportet enim vas incandeſcat purpureo, non claro colore, ne videlicet ſal fluat: cujus fluxus ſpiritus retineat, ne copioſiùs & opportunè, ut decet, extillent. In eo autem adæquato igne cornutam aut retortam immorari neceſſe eſt ad octo dies, quo tempore ſemper recipienti invigilandũ erit, quod uſq; adeò, & ſpiſſum & capax firmiſſimoq; luto obvolutũ eſſe oportet, ne quid uſquam expiret: quod & turbidum & ſpiritibus vaporoſis ac albis oppletum animadvertetur, in quibus virtus & primum ens metallorum reſolutum eſt in aquam acidiſſimam. Poſt ſpiritus exhauſtos, tandem ad collum & ſummitatẽ recipientis, ſub finem deſtillationis ſublimabitur, aut attolletur terra, quæ foliata dicitur, inſtar nivis albiſſima, quæ ei collo adhærebit, qui mercurius aut ſulphur Philoſophorum nuncupatur, quam utramque appellationem meritò & jure ſuo obtinet.

Primum ens metallorum.

Terra foliata.

His itaq; peractis & refrigeratis omnibus vaſculis, ut probè omnia conquieſcant, loricis ſuis vaſa erunt exuenda, conjunctaq; per agitationem utraq; eſſentia ſalina ac ſpiritualis ſeu liquida,

quida, in alembicum effundentur vitreum, ex qua tria principia ſummè ſpiritualia, ſimpliciſſima ac efficaciſſima ſeu maximè penetrantia, quæ in ea continentur, ſeparanda erunt, ut ſeorſim ſingula ſeponantur, ut mox dicetur, quæq; deinceps in unum corpus uniantur, quod verè homogeneum eſt, ac nihil heterogenei retinens, ſimpliciſſimum ac penetrantiſſimum efficaciſſimumq; futurum eſt.

Alembicus autem & Recipiens firmiſſimè loricata in Balneo vaporoſo collocentur, ſuo quodq; loco ac lentiſſimo calore inſipidum phlegma, aquæ tantùm inutilis ſaporem referens, ſeparetur. Quo ſeparato ad juſtam ſatis quantitatem, idq; lentiſſimo igne, ut dictum, alembicus frigori exponatur, ubi pellucidiſſimi lapilli cryſtallini, guſtuiq; dulces formabuntur: quibus ſemotis ac ſeorſim ſepoſitis, redditoq; denuò Balneo dulci alembico, ut rurſum ad lentum calorẽ inſipidum phlegma ſejungatur, ſi rurſum alembicus frigori exponatur, concreſcent iterum glaciales globuli, iidemq; perdulces. Quæ quidem operatio toties repetenda eſt, dum nulli ampliùs lapilli emergant, & quicquid reſidui extillabit, non ampliùs phlegma inſipidum, ſed aciditatis vitriolatæ, quæ mordicationem ſummam linguæ inferat, inſtar acerrimi ſpiritus vitrioli, guſtum inducat. Tunc verò ab operatione deſiſtendum, & in fundo alembici quærendum verum ſalis oleum vitriolatum

Cryſtalli dulces ſalis.

latum acidumq́, à quo omne inſipidum phlegma & inutile extractum fuerit. Chryſtallini vero lapilli, etſi ſapore dulces deprehendantur, admirandæ tamen ſunt virtutis, ut qui ſoli ſeorſim vel cum oleo ſuo ad idoneam quantitatem permixti, ſint verum Solis terreſtris menſtruum ac diſſolvens, ejus proprietates ac virtutes vitales vegetanteſq́, locupletans ac exacuens, quemadmodum cœleſtis Sol in Arietis ſigno domicilium figens, ubi Marti ſedes gratiſſima eſt, exultat, & præpotentes vires, in rerum mundanarum renaſcentia exerit, ſpiritus rerum in penetralibus terræ veluti ſopitos calore ſuo virtuteq; excitans, ut ad ſuperficiem terræ attollantur, & individua ſua, ſenſim radicibus corporeis, corticibus & caudicibus, illius viribus aſſumptis, virore, floribus, verno tempore tandem ornata procreent. Quos quidem Solis cœleſtis effectus, balſamicus terræ liquor, qualem ex ſalibus erui diximus, quodammodò imitari poteſt. Siquidem nihil natura progenuit, quod idem ars imitatione non effingat, & quę poteſt Sol cœleſtis naturali proprietate præſtare, eadem & Sol artificialis, chymica induſtria paratus, & ex rebus terrenis aſſumptus, exerere quodammodò valeat. Quod enim eſt inferius, idem eſt ac quod ſuperius. *Liquor igitur iſte balſamicus, ex ſale eductus, hoc ipſum poteſt, ſi ad debitam quantitatem aquæ aut paſ-*

Menſtruum Solis.

Simile.

ſivi

ſivi liquoris, qui ubiq; copioſus occurrit, commiſceatur. Iſta enim ſic diluuntur ac contemperantur inter ſe idoneè mixta, ut hac mixtione, roſæ, violæ, aliíve flores, vel emarcidi ac ſicci, quiq; omni odore vitaliq; virtute, vel longo antè tempore exuti fuerint, perfuſi, ac imbuti, priſtinum virorem & vitales alias dotes recipiant, ac in colorem genuinum, ac magis etiam floridum, quo vel diſſolvens ipſum etiã tingetur, redintegrentur, ut nec Majus, ex naturali & verno Sole, tot tamq; elegantium florum ſit feracior, quàm hyems ex artificiali noſtro Sole, ad radices herbarum effuſo, fœcunda eniteat. *Roſæ, violæ, &c. emarcidarũ vivificatio artificialis.*

Hoc igitur modo, qui ſuprà dictus eſt, ſi dulcedo illa cryſtallina ſalis, cum oleo aut aciditate vitriolica propria, debita proportione conjungatur, Solq; in eo philoſophicè ſolutus, & in quintam ibi eſſentiam redactus, omni ſanguine rubicundiorem (quem colorem ex coctione aut digeſtione proprioq; calore ſibi comparat) adjiciatur; Hinc univerſalis medicina naſcetur admirandæ virtutis, quæ vel lepram ipſam tùm univerſalem, tùm particularem totius corporis, Epilepſias, & id genus indomitos affectus, unius aut alterius tantùm grani doſi, expugnare valeat.

Accepimus à docto quodã Medico, Franciſco Reutzio, Pomerano, elegantiarum iſtarum chymicarum perquàm ſtudioſo, arcanorumq;

Digitized by Google

rumq; naturæ indagatore ſolertiſſimo, dicente, quòd Joannes Montanus Strigius, antiquus & magni nominis Medicus, ac ſingularis raræque in utraque medicina eruditionis (quem in magno pretio habebat, cujusq; in Catalogo primorũ Hermeticorum alibi meminimus) cum ſalis dulcibus iſtis cryſtallis, ſtatim ubi variis ſolutionibus & coagulationibus concreviſſent, oleum ex illis rubicundiſſimum reſolveret, quod in proprio vaſe, Solem in liquorem reduceret, unde præſtantiſſima medicina oriretur, coctione omnium colorum diſcrimina experta; cujus ad granum unum aut alterum pro doſi admiranda auxilia adverſus ſuperiores morbos præberentur.

Multi vulgares Medici, qui externam tantùm rerum anatomiam rimantur, nec interiora illorum viſcera penitiùs introſpiciunt, quiq; bona ex parte, de rebus ex linguæ & palati guſtu judicant, atq; ex eo qualitates ſuas derivant, ſibi nequaquam perſuadeant, in ſale uſque adeò ſapore acri & ſalſo, hinc quidem tantam ineſſe dulcedinem, totq; & tàm ſuſpiciendis effectis præditam: illinc verò liquorem educi vitriolicum, eumq, acertimũ, qui tam variis etiam, & potentibus effectis, rerum videlicet omnium ſolutionibus & coagulationibus elaborandis congruat, prout abundè

abundè in tractatulo noſtro de ſignaturis rerum internis docuimus: quod hîc repetere ſupervacaneum eſt, niſi ut ſeriò mentibus noſtris inculcetur, in hoc vitali principio rerum, quarum mare locuples & fœcunda eſt minera, immenſum arcanorum & mirabilium virtutum pelagus deliteſcere.

Caput XXX.

De interna Vitrioli ſignatura, variisq́ ejus ad varia morborum genera proprietatibus.

A præſidiis illis, quæ Hermetici ex ſale cõmuni eruunt, progrediendum eſt nobis ad ea, quæ ex vitriolo privatim extrahuntur: quod quidem genus eſt ſalis, inter alia naturalia, non infimè corporeum, ut conſtare poteſt ex eo, quod nobis ſemper Martis & Veneris, hoc eſt, ferri & cupri ſpeciem videndam exhibeat, quæ vel omnium chymicorum minimus novit ex vitriolo extrahere, nec non per vitriolum ipſum intra paucas horas Martem in Venerem convertere. Unde Poëtæ Philoſophi anſam arripuerunt, de amoribus Martis & Veneris dicendi ac ſcribendi, quorum proles Cupido, Deus amorum (hoc eſt, magnus ille conſenſus & ſympathia, ſtudiumq́; res omnes inter ſe colligans, ac ſum-

Sympathia Martis & Veneris à Poëtis deſcripta.

mo effectu devinciens) eſſe fingitur, genuinusq; Veneris filius, quam fingunt ex ſpuma maris enatam, unde ab iiſdem Poëtis ἀφροδίτη ϗ ἀφρογένεια dicta ſit, eamq; omnium generationum, totiusq; naturæ parentem eleganter ac verè dixerunt, ſi internum illorum ſenſum capiamus. Sic enim figmentis arcana ſua myſtica involvunt & obtegunt, ut ſolis ſublimibus ingeniis, non idiotis pateant. Sed myſteriorum iſtorum, aliorumq; arcanorum accuratiorem inquiſitionẽ, in libro noſtro de recondita rerum natura perſequemur, contenti hoc tantùm in præſentia addere: vitriolum extrinſecus viride, interiorem tamen rubedinem continere; ac præ omnibus aliis ſalibus, acetum terreſtre poſſidere, quod omnium rerum terreſtrium fermentationem, cum aqua mixtum (quale fermentum farinæ aqua dilutæ exhibet) inducat. Ejuſmodi enim putrefactione & maceratione utriuſq; inter ſe juncti elementi, acetum iſtud naturæ intrinſecus ſpiritu ſuo fermentante, attollit & excitat paſtam illam naturæ, unde tranſmutationes, productiones conſuetæ & individua quæq; procreantur. Ac primo loco ex ejuſmodi fermẽtatione omnis mineralis ſubſtantia ortum habet, ex cujus ſpiritibus tinguntur poſtea vegetabilia, quotũ eſſentia animalia deinceps paſcuntur & foventur, ut alibi diximus, etſi obſcuriùs.

Signatura vitrioli.

Fermentatio naturæ.

Vegetabilium tincturarum origo.

ſcuriùs. Hujus enim rei lucem clariorem in librum illum noſtrum de Recondita rerum natura differimus, ex qua ſtudioſus lector magnum fructũ ac voluptatem ſit reportaturus.

De vitriolo autem quid ſentiat Galen. libro ſuo de ſimplicibus, & quid de ejus tranſmutatoria virtute ſcribat, licebit ex ipſo Galeno audire, quùm refert: ſe ex mineris Cypri, terreum quendam carbonem, Miſy vocatum, attuliſſe, quem in angulo quodam muſéi repoſitum, ſucceſſu temporis, in ſory converſum fuiſſe, deinceps in chalcitidem, hoc eſt, vitriolum, ac tandem in chalcanthum, quod idem eſt ac venus ſeu cuprum. *Gal. ſententia de vitriolo.*

Multa autem habentur vitriolorũ genera. Quod ex Anglia & inferiore Germania advehitur, cærulei coloris, non uſquequaq; laudabile eſt. Ungaricum verò inter præſtantiora ac meliora habetur. Ut autem bonitatis fiat periculum, admoveatur aut affricetur cultro: ſi ſuo tactu, cultrum rubro colore, hoc eſt, cupreo inficiat, laudatiſſimũ ac optimum habebitur. Conſtat enim in occultis ſuis viſceribus Venerẽ incluſam continere, cujus contactum Mars ſtatim amplectitur, uſq; adeò magna eſt inter utrumq; metallũ ſympathia ac conſenſus. Inter optima Romanum quoq; vitriolum cenſetur, ſi ſyncerũ, nec adulteratũ ad nos afferretur. Quod enim advehitur, vitriolica ſua *Vitrioli multæ ſpecies.* *Examen vitrioli.*

ochra, quæ ſemen auri in ſe concluſum habet, ſæpenumerò ſpoliatum eſt. Alioqui ſyncerum magno pretio venditur, ut quod non niſi coronato pondo proſtet. Sed omnium præſtantiſſimum eſt Cyprium ſaphyrini coloris, quæ lunaris eſt tinctura in internis Lunæ partibus. Quæ quidem Luna perfectionem Solis, ſeu auri, cominùs æmulatur, quo fit, ut ejuſmodi vitriolum majorem cum auro conſenſum ac ſocietatem habeat. Hinc fit, ut etiam veri Philoſophi ex Cyprio vitriolo, ſaphyrini coloris, menſtruum aut diſſolvens utriuſq; Luminaris majoris, hoc eſt, auri & argenti norint extrahere: quod ex aliis vitrioli generibus, citra additionem, fieri nequit. Cyprium enim vitriolum magnam Solis quantitatem in ſe continet, quod ejus, ſupra alia, pretium auget, ut non niſi tribus aut quatuor aureis nummis ſingulæ libræ divendantur.

Ex vitriolo remedia.

Ex vitriolo autem multa variaq;, eaq; egregia remedia proliciuntur. Cùm enim naturæ metallicæ prima materia, & tanquam Ens primum habeatur & ſit, non dubium eſt, quin ejus ſpiritus, nondum mole corporis ſolida craſſaq; metall. obruti, ſed corporei adhuc ſpiritus, aut corporis ſpiritualis naturam retinentes, viva activaq; efficacia ac qualitate, hoc eſt, immenſa ac inexplicabili virtute (ut qui à ſimplicitate & puritate elementari minera-

neraliq; minùs recedant) prædıti ac inſtructi ſint: utpote in quo vitriolo omnes omnium metallorum ſpiritus, vires ac proprietates potentiâ, tanquam in ſua origine, delitescant & contineantur: ac inprimis vitriolati ſeu venerei ſpiritus, ut & Martiales, Lunares, Solaresque: qui cum eo tanto conſenſu ac congruentia junguntur, ut in ipſum vel magna etiam copia, ſeſe transfundant, & ab eo eliciantur. Unde fit, ut non tantùm qui à vitriolo extrahuntur ſpiritus, ſolius cerebri affectibus tanquam Lunares conducant: ſed cordis etiam, renum, partiumq; generationi dicatarũ, martialibus quoq; ac venereis morbis, tanquam venerei ac martiales opitulentur, ac remediũ adferant. Sed hanc aſtronomicam ac chymicam ſympathiam, alibi, in noſtro de Recondita rerum natura libro, fuſiùs, juvante Deo, ſumus explicaturi: hic ſatis ſit, eam tantùm obiter delibaſſe: ut quantis virtutibus vitriolum polleat, & quàm variis uſibus ſit aptum ac idoneum, non minùs quàm aquæ metallicæ vitriolatæ, ad quas invicti morbi ac deplorati ablegantur, eluceſcat.

Vitriolum eſt ſedes & habitaculũ omnium ſpirituum metallicorum.

Bona & proprietates ſpirituum vitrioli.

Si autem quæritur ratio, cur ejuſmodi vitriolum, aut quæ ab eo educuntur remedia, quatenus Lunarem, Martialem ac vitriolicam naturam poſſident, propria ac ſpecifica ſint cerebri ac renum ægritudinibus? reſpondebimus,

Cauſa iſtarum ſpecificarum vitrioli virtutum.

bimus, perinde rem in illis ſe habere, ac in ſalvia, betonica, quæ cerebro congruunt: in floribus bugloſſi, borraginis, aliisq;, qui cordiales habentur: in eupatorio, quod jecori dicatum eſt à natura, & ſcolopendrio aut ceterach ſpleni ejusq; affectibus deſtinato, infinitisq; aliis ſimplicibus, quorum occultæ ſunt adhuc virtutes, ut quæ ex qualitatibus elementaribus, calidis aut frigidis non pendeant, ſed ſola experientia nitantur.

Sed cùm hoc ſilere ſit potiùs, quàm reſpõdere, dilucidiores rationes annectemus, quibus demonſtretur, quàm verum, proprium ac genuinum, ſpecificumq; epilepſiarum ac apoplexiarum remedium ſit, ſpiritus ex vitriolo abſtractus, ſingulari ſua proprietate id genus morbis facilè reluctans ac abigens.

Summa ſpiritus vitrioli ſubtilitas. Ac primo quidem loco, hoc ex ejus ſumma ſubtilitate, ac, ut ita loquar, ſpiritualitate proficiſci certum eſt, cujus prompta virtus uno momento fertur in cerebrum ac in cor, quæ in hoc morbo præcipuè laborant & premuntur. Ut enim videmus eum, qui deliquium animi patitur, & ſyncope proſternitur, facilè vini ſpiritu aut aqua vitæ ori infuſa, vel labiis ac naribus admota, nec non aceti odore vitriolicæ naturæ, quòd ſtatim cor feriant, longè magis recreari, ac promptiùs erigi, quàm ſi quavis gelatina, aut delicatiſſimo, ac maximæ nutri-

nutritionis reſtaurante, ac conſummato cibetur: quòd hæc ſpirituali virtute careant penetrante, & ſpiritibus noſtris, ſolis vitæ noſtræ authoribus, analoga ac communicabili: quæ vini & aceti ſpiritui uſq; adeò ſubtilis & penetrans inhæreret, ut vel ſolo odore ſuo vitriolico, conſopitos etiam ſpiritus noſtros ac ſenſus excitet & redintegret.

Hinc inferre licet, quanta ſit, ut ita loquar, ſpiritualitas ac ſubtilitas, virtusq; attenuans, penetrans, & inſtaurans, ſpiritus vitrioli, qui ita inſigniter, prompteq; cerebrum ferit, ut ſolo ejus odoratu ſternutatio confeſtim excitetur.

Præter ejuſmodi tenuitatem ac ſpiritualitatem eſſentiæ, qua ſeſe facilè cum malignis, melancholicis ac vitriolatis vaporibus miſcet, quibus jam antea præcipuas horum morborum cauſas arrogavimus, varios alios effectus exerit ſpiritus iſte vitriolicus, ut abundè ac apertè demonſtravimus alibi: utpote qui, cùm ſit magnum ac validum coagulans, facilè fumos, vapores & ſpirituoſos halitus, ac malignos, qui ex inferioribus partibus ad ſuperiores feruntur, coagulare poteſt, virtute iſta, qua præditus eſt, coagulandi: ut ſic eorum effectus, ac fructus, quos in ſumma ſua exaltatione producunt, interpellentur.

De ſign. rerum intern.

Facultas coagulativa ſpiritus vitrioli.

Satis ſuperq; alibi demonſtravimus, quod

ſit inter omnium rerum ſpiritus, cum materia ſua corporea ac terreſtri concretos coagulatósve, ac eos, qui hujuſmodi vinculis corporeis, vel naturæ beneficio, vel artis induſtria, ſoluti ſunt, diſcrimen, ut iſta hìc repetere non ſit opus.

Ejuſdem vis diſſolvendi. Verùntamen ſi cauſa efficiens horum morborum craſſa, materialis ac obſtruens fuerit, (ut propè omnes Dogmatici ſentiunt) hic idem ſpiritus contrarias partes ſuſtinet, ut ſcilicet craſſa illa diſſolvat, extenuet, ac liquefaciat, ut ſic quoq; naturam adjuvet, quo faciliùs ea extrudat ac diſſipet.

Addam tamen & aliam rationem, ea conditione ac lege, ne cenſores mei, quos apiricos prorſus habeo, non verè Dogmaticos aut Hippocratis aſſeclas (ex quorum numero me eſſe profiteor) effuſo gutture rideant, & hiante gutture cachinnos ſuos in me protervè exhalent & eructent: ea nempe eſt magnetica quædam virtus, in acido ſpiritu deliteſcens metallico, qui ad energiam aut activitatem ſimplicitatemq; elementatis naturæ propiùs accedens, ſua ea virtute magnetica, vim habet attrahendi, domandi, evincendique acidos illos melancholicos ac vitriolicos animalis ſpiritus, quos ſupra horum morborum diximus eſſe authores ac artifices. Nec abſurdum fuerit refricare, hanc eſſe rationem, qua

Vis quædam magnetica in vitriolo latet ad Epilepſiam.

magnas

magnus ille Dictator Hippocrates ſcripſerit loco jam citato: *Melancholici comitiales facilè fiunt, & comitiales melancholici*, eò quòd magna ſit cauſarũ analogia & conſenſus utriuſq; morbi, melancholici nempe & comitialis. Quin & in hunc finem ſatis dilucidè alibi demonſtravi, veræ melancholiæ atræ qualitates aſcriptas longè meliùs convenire, ſi vitriolici humoris appellatione inſigniantur, ut ſuis rationibus omnia comprobavimus. *De ſign. rer. inter.*

Magnetica autem illa virtus, quam appello, longiùs diffunditur, quàm quæ in Magnete vulgari & ferro attractio eſt. Hac attrahente virtute, Arſenicum ſummũ venenum, multis è corpore attrahendis venenis idonea aptaq; ſit medicina: aut præparatum ab eo oleum, ſi extrinſecus etiam inducatur, ſummo uſui ac præſentiſſimo remedio eſt, curandis nempe cancroſis, & arſenicalibus ulceribus omnibus. Hujuſce dicti etiam noſtri apertè veritatẽ indicant, ſerpentum axungia adverſus ſuos morſus, oleũ Scorpionis adverſus ſuos ictus, & mel cõtra apum infixos aculeos, ac ſexcenta alia id genus exempla arguunt ac confirmant. Sed fuſiorem harum rerum tractationem, in librum noſtrum de Recondita rerum natura rejicimus, ubi non vulgaria & trivialia quæque centies repetita, ab irriſoribus & cenſoribus audientur: qualia ſolent in ſuis *Talis magnetica vis in aliis quibuſdam natura individuis quoq; cernitur.*

ſcriptis ejuſmodi homines rapſodica conſarcinare: ſed ſeria & gravia quæq;, quæ modeſtis & candidis ingeniis, pacatisq; animis, admirationi, pro rei argumento futura ſunt.

At ſingulares dotes, quas quidã ex Medicinæ ſpagyricæ coriphœis vitriolo arrogat, audiamus: nec non varias ejus præparationes ac exquiſita remedia, quæ ex illo eruit, & eruenda docet, videamus: quæ ad varias curationũ indicationes, nec non ad profligationem non tantùm morborum iſtorum quatuor, de quibus agimus, at aliorum etiam graviſſimorum deploratorumque, quibus humanum corpus proſternitur, reſtitutionem reſpiciunt: ita ut in uno hoc metallico individuo appoſitè ac exquiſitè apparato, & in internas vitalesque partes omnes dextrè diſſecto, integram Pharmacopœi officinam comperire liceat.

Omnis generis remedia ex vitriolo educuntur.

Sive enim præparandi ſint omnibus modis humores, ſive quæ craſſa & tartarea ſunt, attenuanda ſint, tenuia incraſſanda, impura expurganda, ſupervacanea per urinas, ſudores, alvi excretioné, vomitum, vacuanda, ſive obſtructa, penetranda ac reſeranda ſint, ſive fuerit omnibus modis naturalis calor inſtaurandus; in hoc eodem vitriolo auxilia rimari liceat: quin & idem ipſum verum omnis generis doloribus ſedandis opportunum anodynum deprehenditur, omniumq; venenorũ ac exi-

exitialium humorum alexipharmacum, nec non omnium inflammationum, ardorumq́; febrilium extinctor ac moderator fit. De eo ipſo hæc ſunt verba Paracelſi, tom. 2. pag. 72. *Vitriolum (inquit) in ſe continet laxativum ſummum, quod omnes corporis partes penetrat, eaſq́; mundificat: Secundò continet conſtrictivum: Tertiò ſi ipſius frondes præparentur, tunc in caduco eſt arcanum: Quartò ſi flores ipſius ſeparentur, tùm ſummum eſt penetrativum: Deniq; ſi fructus decerpantur, ſummum caloris nativi inſtaurativum fuerit. Vitriolum enim habet vim renovandi & inſtaurandi, tom. 6. pag. 308.*

Et eodem tomo pag. 77. *Vitriolum, inquit, eſt purgativum ſpecificum, ad omnes humores præter naturales.* Præparatio illius remedii ibidem deſcribitur.

Alibi: *Aër vitrioli, inquit, aut ex ſicca exhalatione, aut decoctione paratus, ſubtiliſſimam vitrioli eſſentiam in ſe continet, & in cerebro, pulmonibus & ventriculo eaſdem, quas ſal, virtutes perficit: præterea alia arcana in ſe habet, videlicet ad icterum, abundantiam bilis, dejectam appetentiam, nimiam obeſitatem, ad calculum. Item purgat pulmones, curat pleureſin, caducum, arthritidem, ſpaſmum, &c.*

Et alibi: *Vitrioli virtutes, inquit, intra corpus & extra illud apparentes ſunt præſtantiſſimæ. Intra corpus curat icterum, calculum, febres, vermes,*

mes, caducum, obſtructiones alvi. Extra corpus curat ſcabiem fixam, lepram, &c. Sed hæc omnia non niſi præparatum præſtat, crudum enim nihil prodeſt.

Si quis varia remedia, quæ ex eo Paracelſus in omnes febres intermittentes, quartanas, tertianas & quotidianas elicit, videre cupiet, necnon, ut ea cum ſale abſynthii cõmiſcet, conſulat tomo 3. pag. 329. ejusque in omnis generis peſtes, igneas, aëreas, aqueas & terreſtres, uſum videat eodem tomo, pag. 82. 84. 85.

Atque quàm aptè phthiſi ac verminationi congruat, legat ejuſdem tomi pag. 360. & pag. 387.

Quantum adverſus omnis generis manias conferat idem vitriolum, legat tom. 4. pag. 91. 100. 104. 109. 110. Quod ipſum, ut ſit omnium tartarearum ægritudinum, calculi nempe, arthritidis, & id genus aliarum auxilium, junctum etiam cum ſale aut ſpiritu tartari (unde fit vitrioli magiſterium) conſulat tomi 5. pag. 226.

Magiſter. vitrioli.

Ecquid deniq; non amplius præſtat vitriolum? En & ex eo ipſo præſtans elicitur remedium, adverſus oculorum dolores & affectus, ſuffuſiones, ungues, maculas, & id genus alia: quorum remediorum formulas ac compoſi-

poſitiones elegantiſſimas qui noſſe cupiet, diſcat ex tomi 6. pag. 236. 237. 238.

Quæ quidem remedia quàm ſint ab antiquorum formulis ac præparationibus aliena, quibus nec vis, nec anatomia ipſius vitrioli intrinſeca, externis tantùm coloribus & materiæ elementari affixis, cognita fuit, ex ſuperioribus locis à nobis citatis, ſatis ſuperque liquebit: nec nõ ex ipſorum veterum uſu. Non aliter enim Actuar. lib. 2. method. med. cap. 5. calchanto utebatur, quàm aduſto & poſtea loto in oculorum affectibus. Celſus quoque lib. 5. de re medica cap. 10. non aliter vitriolo utebatur ad ſanguinem ſupprimendũ, quàm craſſa ejus in formam topicam materia adminiſtrata. *Vſus vitrioli ſecundum veteres.*

Galenus 9. ſimpl. poſtquam calchantum fortè fortuna in calchitim tranſire conſpexiſſet, ipſumque medicamentum ex Cypro magna copia aſportari ſcripſiſſet, hæc addidit: ***Cæterùm mirari ſubit de hoc medicamento, quo pacto vehementiſſimæ adſtrictioni admixta eſt caliditas non ignava. Conſtat ergo*** (addit) ***quòd omnium maximè condire ſervareq; carnes humidas poteſt, nimirum caliditate humiditatem abſumens, atq; aſtrictione ſubſtantiam contrahens ac conſtipans.***

Eadem ſcripſerunt, cum Galeno, Paulus Ægineta lib. 6. de re medica, & Oribaſ. med. collect.

colle&c.lib.15. ut hinc videre liceat, quàm gravi Coryphæus ille Dogmaticorum admiratione fuerit raptus, dum in vitriolo tantam aſtrictionem, cum tanta caliditate, animadverteret.

Sed quid mirum, cùm ille, cum multis aliis ſuis ſectatoribus, externis tantùm elementis attentus, vivæq; rerum anatomiæ ignarus, & interiores medullas parum ſcrutatus, quantæ fuerint vitrioli virtutes, planè ignoraverit, ejusque adminiſtrationem, non magis quàm antimonii (de quo mox dicturi ſumus) calluerit?

Vix enim veteres vitrioli uſum agnôrunt, quàm in topicum & externum medicamentum applicatione: unde emplaſtrum concinnarunt, quod ex ejus nomine diacalchantum nuncuparunt, ineptè à Pharmacopœis diacalchiteos nomen inſignitum, quibus ignotum eſt, quod ſtatuit Gal. diſcrimen inter calchitidem & vitriolum aut calchantum: quod tanquam baſis eſt ipſius emplaſtri.

Dioſcorides ipſum etiam crudum, ac citra ullam aliam præparationem præſcribit, non tantùm externis morbis inducendum, at intrinſecus etiam ad drachmæ pondus ex melle dilutum, ut eo aſcarides enecentur, nec non etiam ad vomitum iis concitandum, qui fungis paſti ſunt venenatis.

Doctus

Doctus ac ſedulus ejus Interpres Matthiolus oleum etiam ipſum vitrioli potu exhibitum probat ac commendat, tanquam ſingulare calculi & aſthmatis remedium, ſi congruis aquis mixtum exhibeatur.

At Paracelſus verorũ Medicorum chymicorum opinionẽ ſecutus, isq;, præ aliis omnibus coævis ac æqualibus, in interna rerũ metallicarum anatomia verſatus, longiùs progreditur, ac infinitos hujuſdem vitrioli apparatus ac remedia docet; idq; trium principiorum ſeparatione, mercurii nempe, aut ſpiritus, à ſuo oleo vel ſulphure & ſale: quæ vel ſeparatim vel in triade conjunctim unitatem cõſtituente adminiſtrantur: quorum trium principiorum varios effectus ac diverſos uſus indicat, ſingula ſingulis morbis ex natura ſua & proprietate adaptans, ſalem videlicet & oleum craſſiora, ad mundificandum, expurgandum, vacuandum ac expediendum ventriculum, aliaque nutritioni inſervientia viſcera, ægritudinibus tartareis à craſſiori materia genitis: Spiritum verò morbis aſtralibus, ut apoplexiis, epilepſiis, de quibus nunc agimus, accommodans ac adminiſtrans. Sic enim ille tom. 4. pag. 362. 363. *Summum arcanũ*, inquit, *pro caduco eſt in vitriolo, non in oleo, ſed volatilitate, id eſt, ſpiritu vitrioli: ideò volatilitas non eſt rejicienda, ſed cum oleo tertiò aut quartò igne fortiſ-*

Tria vitrioli principia.

fortiſſimo deſtillanda, pellicananda aut retortanda. Tum enim oleum acquirit naturam volatilem. Sola namq; volatilia aſtris imperant.

Nec non alibi dicit: *Quicquid caducum debet curare, oportet ut ſit penetrativum, & totum corpus permeet, centrumq; morbi inquirat. Verùm cùm oleum ex colchotare deſtillatum naturam habeat terreſtrem, & ultra eam regionem, cui exhibetur, non egrediatur. Hinc eò minùs cura caduci ab eo perficitur.*

In eo igitur ſpiritu ſolo vitrioli, ad epilepſias curandas, eliciendo, magna cautione & induſtria opus eſt, cui appendices congruæ, ac domando tanto malo ſpecificæ adjiciantur.

Idem Paracelſus antiquorum methodo, in ſolo vitrioli phlegmate deſtillatione ad ſiccitatem uſque proliciendo, poſita non contentus, ulteriùs progrediebatur, colchotare nempe rubeo reddendo ſuum phlegma, idque toties cohobando, hoc eſt, novies aut decies reaffundendo ac deſtillãdo, dum ſpiritus omnes humidi & ſicci ſegregarentur ab ipſo colchotare, unde longè potentius ac efficacius reddebatur remedium.

Is igitur, ut ſubtiliùs vitriolum attenuaret Cyprium, ex Ungaria aſportatum, vel Romanum (quo potiùs, quàm alio, ſemper utebatur) in opus præſtantiſſimum, primùm phlegma deſtillatione educebat, ipſumque toties capiti

capiti mortuo reddebat, dum eo colchotar penè prorſus imbueretur: quibus peractis, optimum vini ſpiritum accipiebat, quem cum colchotare, phlegmate ſuo ac ſpiritu imbuto, commiſcebat: commixtis & ad digeſtionem ac concoctionem unum aut alterum diem, vaſiq; vitreo lutato, ut dicunt, & firmiſſimè loricato, repoſitis, deſtillabat omnia in recipiens, nudo & ſimplici igne gradatim adaucto, dum ſpiritus omnes & humidi & ſicci deſtillatione expirarent, & in liquorem reſolverentur. Deinde hunc liquorem in B. M. putrefaciebat ac dirigebat, ut à ſpiritibus fæx ſeu ſedimentum quoddam ſegregaretur. Poſtea theriacalis aquæ camphoratæ quartâ parte adjunctâ, denuò omnia bis aut ter extillabat: unde antepilepticum remedium admirandæ poteſtatis & effectus creabatur, ſi durante paroxyſmo, ad ægrum excitandum, exhiberetur, & in morbi præcautionem continuè, ac per idoneum temporis intervallum ſcrupuli ſemis doſi cum liquore aliquo congruo adminiſtraretur.

Aliquando eidem vitrioli ſpiritui auri folia adjiciebat (quæ in eo ſolvi ſolent, ſi optimè paratus ſit) ex quibus ſpiritum ſuum vitriolatum correctum & aurificatum concinnabat, qui utique eidem morbo congruentiſſimus eſt, ut ipſe teſtatur tom. 4. pag. 162.

Digitized by Google

Quinetiam interdum huic ſpiritui addebat viſci querni eſſentiam & extractum pæoniæ, ſalis cranii humani & ſimilium, omnibus cum vini ſpiritu, & ſecalitii panis biſcocto mixtis, deſtillatis, riteq; cohobatis: cujus remedii commodè & magno fructu ſcrupulus exhibetur ex aqua idonea, lilii convallii, florum tiliæ, & id genus aliorum.

Idem præterea Paracelſus tom. 3. pag. 374. elegantem aliam compoſitionem epileptico morbo aptiſſimam, cujus baſis vitriolum eſt, deſcribit in hunc modum:

Antepilepticū Paracelſi. ℞ *vitrioli Romani vel Ungarici* ℔. xv. *liquoris pæoniæ, camphoræ, raſuræ eboris, ſpodii ana* ℥ ß. *deſtilla per retortam in colchotar.* ℞ *hujus liquoris* ℔. iij. *alcool vini correcti, aquarum meliſſæ, valerianæ, ana* ℔. ß. *colchotaris* ℔ j. *reduc denuò per retortam.* ℞ *hujus liquoris* ℔. j. *colchotaris recentis* ℔. ij. *deſtilla demum per cornutam totam diem & noctem, & exibit phlegma, liquor & oleum: poſtea in Bal. M ſeparabitur phlegma, & per cineres liquor, ſeu mercurialis ſpiritus: per arenam verò, fortiori igne, oleum extrahetur. Phlegmatis doſis infantibus eſt* ʒ j. *ante paroxyſmum. Liquoris in adultis eſt* ℈ j. *iis qui quadrageſimum annum ſuperant, dantur olei gr. aut guttæ* iij. *cum aqua chelidoniæ, vel majoranæ.*

Multas alias easq; excellentiſſimas hujuſmodi,

modi, in eundem finem & à nobis concinnatas, uſuq; comprobatas præparationes ac cõpoſitiones adjungemus: nec non alias, quæ multis etiam aliis celebribus Medicis, mihi amicis, experientia notiſſimæ fuerunt, quasque illis acceptas fero, epilepſiis & tribus aliis affectibus opportuniſſimas.

Neq; enim hìc agitur, nec fert tempus, ut de infinitis aliis remediis loquamur, quæ ex vitriolo extrahi & parari poſſunt, quæq; multis aliis morbis, tùm internis, tùm externis congruentiſſima, ut ea, quæ maniis & melancholiis omnis generis, aſthmati, phthiſi, imbecillitati & doloribus ſtomachi, icteris, ſcirrhis lienis & hepatis, calculis comminuendis, & id genus aliis maximè ſalutaria ſunt: quorum deſcriptionem in Antidotariũ noſtrum ſpagyricum rejicimus: quod Reipub. medicæ propediem daturi ſumus, favente Deo.

In eo varias et ã tincturas docebimus, quæ per vitriolum, ex floribus, ſeminibus & radicibus vegetabilium omnium extrahuntur ad præparationes, immutationes, quas alterationes vocant, & correctiones intemperierum omnis generis, conferentes: ex quibus ad multos alios varioſq; morbos etiam ſpecifica remedia ob vitriolum promanant.

Ibidem quoque varia purgantium genera per alvum, vomitum, urinas & ſudores ape-

riemus. Quin & partibus nobilibus recreandis, ac corroborandis conferentia remedia, veraq; dolorum omnium anodyna, quæ ex ejus ſulphure vitriolato educuntur, indicabimus: ex eo denique individuo metallico tot tamq; varia medicamenta, non ſecus nec parciùs, quàm in Antimonio, de quo poſthac agemus, demonſtraturi ſumus: quæ officinæ Pharmacopœi plenè inſtruendæ & complendæ, ut diximus, ſatis eſſe poſſint, unde longè præſtantiora, potentiora ac perfectiora remedia vulgaribus depromantur.

Objectio. At ſi quis ex Cenſoribus noſtris, planè ſecretorum hujuſmodi ignaris, excipiat, in hujuſmodi mineralibus venena deliteſcere, quæ à Galeno aliiſq; lethalia ac exitialia indicantur: *Reſp.* reſpondebimus; ſi Galeni ſcripta legantur, quæ nono de ſimplicibus medicamentis metallicis libro habentur, ac inprimis quæ de hydrargyro ab illo dicuntur: videri illum parum in re minerali aut metallica verſatum, de qua tamen, ne quid ignoraſſe videretur, (etſi in hydrargyro ignorantiam ſuam profiteatur) ſcripſit: nec non addemus iſtiuſmodi cenſoribus in reſponſionem, quæ doctus ille in Dioſcoridem Commentator ca. 59. de Antimonio lib. 5. in aliquos ſuæ ætatis Medicos, ejuſdem cum noſtris Ariſtarchis farinæ homines ſcripſit. Ubi enim is admirandas aliquot

quot curationes ac effectus vitri antimonii, cujus tunc temporis ſolius cognitionem habebat, deſcripſiſſet, virtutumq́, hiſtorias aliquas recenſuiſſet, tandem poſt admirandam medicamenti celebrationem addit hæc verba: *Idcirco ſatis mirari non poſſum quorundam Medicorum ſententiam, qui antimonium lethale venenum eſſe autumant. Cùm enim medicinam profiteantur, nonné ſatis norunt, nullum dari electione purgans medicamentum, quo & antiqui & neoterici utuntur in purgationibus, quod ſuo careat veneno? En utrumque helleborum, omnes tithymali ſpecies, pityuſam, elateriũ, colocynthidem, euphorbium, thapſiam, ſcammonium, thymelæam, & inter mineralia lapidem Lazuli, lapidem Armenium, æris ſcoriam (quam in uſum quotidianũ uſurpabant veteres adverſus hydropiſim) ſuis venenatis qualitatibus copulata iſthæc omnia, quis negare audeat? Quid de ſandaracha* (addit) *exitialiſſimo veneno dixerint, quod tamen in pilulas ex melle Aſthmãticis præſcribit Dioſcorides, ut & Avicennas uſurpat Arſenicum? Sed de ejuſmodi pertinacibus Medicis ſatis dictum ſit* (inquit) *qui antimonium criminando, longè perniciosiora indies medicamenta uſurpant. Antimonii enim uſus ritè ac legitimè adminiſtratus, curationum miracula potiùs quàm ſecus oſtentat.* Tandem infert illos *& judicio & ratiocinatione ſana plurimùm*

valere, qui chronicis morbis ac deſperatis, ſive pituitoſis, ſive melancholicis, antimonium præſcribunt, Manum Dei ipſum vocans.

Eadem cum docto Matthiolo & ſentimus & inferimus adverſus pervicaciſſimos noſtros & ignariſſimos Cenſores: quibus tamen mox videre licebit, niſi bardis & aſinis fuerint ſtupidiores, nec citra admirationem, non vomitiva illa & laxantia medicamenta, ex ſolo antimonii vitro protitata: at varia purgantium genera, quæ vel perniciosiſſimis, corruptiſſimis, ac venenoſiſſimis humoribus cum electione etiam, citra omnem moleſtiam, ſed quàm leniſſimè vacuandis aptiſſima ac tutiſſima ſunt, ut quæ etiam lenitate ac facilitate vulgaria ac quotidiana laxativa ſuperent.

Quin & ex eodem diverſa mundificantia ſanguinis, ſudorifica, corroborantia ac inſtaurantia, in pulveres, liquores, olea, extractiones, eſſentias, tincturas parari conſpecturi ſunt. Deniq; tanquam alterum Protheum, varias formas & naturas identidem induentem admiraturi ſunt: qui pro varietate figurarum, quas in præparatione aſſumit, varietatem etiam curationum diverſorum morborum graviſſimorum ac deploratorum exhibet.

Quis igitur ejuſmodi ac tam inſigne medica-

dicamentum potius non beet ac celebret, quàm deterat: eorumq; memoriam colat, qui primam ejus inventionem ac uſum in Remp. medicam invexerunt: niſi ſtupidiſſimi noſtri Cenſores, atq; etiam maligni fuerint, qui ſecus faciant?

Sed revertamur, unde digreſſi ſumus, ac remedia noſtri vitrioli, quæ ab iſtiuſmodi ignaris improbantur, pergamus excutere.

Vitrioli uſum reſpuunt, quòd ipſius ſpiritus ſit acidiſſimus, oleum valdè acre, atque idcircò adurens & cauſticum, ut volunt. Subſiſtant illi pauliſper, dum Antidotarium noſtrum ſpagyricum intueantur: ubi expoſituri ſumus rationem ac modum, quem & nunc per tranſennam attingimus, ſpirituum oleorumq; vitrioli nempe edulcorandorũ, ac non minùs ſuaviter, citra mixtionem, ſorbendorũ, quàm ſyrupi limonum, aut de aciditate citri quotidie propinantur. Ibi enim docebimus vel ſola digeſtione (omnia dulcorante & contemperante) vel cum proprii phlegmatis, vel ſpiritus vini additione & circulatione, vel olei tartari admixtione facta (licet acre ſit ipsũ tartari oleum, & cum acri oleo vitrioli jungatur) hoc ipſum tamen oleum illis admiſtionibus atque digeſtionibus opportunis, dulciſſimum & potabile reddi. Quod etſi Cenſoribus noſtris incredibile eſt, certâ tamen *Dulcoratio ſpiritus vitrioli.*

experientiâ fidem, quotieſcunq; libuerit, facere poſſimus, ut inde vel ſapere vel tacere diſcant.

Atque ut magna illa præcipuaq́; remedia, quæ ex vitriolo eliciuntur, patefaciamus, ab ipſo ſpiritu vitrioli viridi exordiemur, quem præ aliis omnibus remediis ſpecificum eſſe epilepſiis opportunũ omnes Hermetici cenſent. Fit autem hoc modo:

Spiritus vitrioli cum ſuo virore extractio.

Accipe vitrioli optimi, ſive Hungarici, ſive Romani, quantum voles, ex eo phlegma educito, dum ſpiritus deſtillatione egredi incipiant: tùm mutetur recipiens, & aliud recens ſubſtituatur, in quod ſpiritus omnes traducantur. Quo peracto, novum accipe vitriolum, ex quo phlegma rurſum ſpiritusq́; ſeorſim prolicito, qui ſeponantur ſeparatim, tantamq́; vitrioli quantitatem extillato, quæ phlegmatis & ſpirituũ copiæ, quam deſideras, ſatis eſſe poſſit, hoc eſt, ex utriſq; ℔.ij. aut etiam amplius.

In phlegmate macerentur, in B. M. ad quatuor aut quinq; dies, ſemina hyperici & pæoniæ, viſcus quernus, flores lilii convall. tiliæ, calendulæ, roſmar. hyperici, & raſuræ eboris, cornu cervi & cranii humani pro lubitu: quorum poſtea fiat expreſſio, quæ deſtilletur. Hac deſtillatione tres aut quatuor recentis vitrioli Ungarici libras imbuito, quas quater aut quinquies fæcibus reaffundito, ſingulis vicibus liquorem in B. M. fer-

fervente extillando, ut ſic vitrioli corpus meliùs reſeretur: cui tandem ſpiritum ipſum aſſervatum adjicies, componendo omnia in matracio ſatis capace, tubis vitreis longis inſtructo, quorum ultimi extremitas in latum diffundatur, in formam infundibili, cui alembicus adaptetur firmiſſimè junctus, vaſe in B. M. fervente locato: ſic, ſi benè opereris, ſolus ſpiritus cum virore elicietur, uſq; adeò ſubtilis ac penetrans, ut vini ſpiritum potentiâ æquet. Cujus etiam ſolius ſi guttulæ xv. vel xx. exhibeantur, tutiſſimum comperiatur eſſe epilepſiarum remedium, ſive inſultus ipſe epilepſiæ fuerit expugnandus, ſive venturus arcendus, eo modo, quo utendum eſſe docebitur.

Si phlegmate antepilepticis remediis, ut ſuprà, imprægnato (vitrioli Ungarici loco) vitriolum Veneris imbuatur, ut fit in extrema operatione, tunc præſtantius multò ad omnes epilepſias curandas remediũ habebitur: quo utendum fuerit per menſem à paroxyſmo, aut ad morbi ipſius interitum uſq;. Hujus doſis erit duodecim aut quindecim guttarum, cum aliqua theriacali aqua iſti morbo congrua ac ſpecifica, aut alia ejuſmodi idonea.

Atque hîc notandum, ſi ſpiritus centrum ipſum aut mineram morbi pertingat, futurũ paroxyſmum, ſi quis adhuc expectetur, longè mitiorem, ac indies faciliorem acceſſurum

eſſe: tuncq; temporis, cùm vis morbi incipiet minui ac deſinere, ad ſanitatem integram pergentis, æger aliquas tantùm vertigines, ſed citra convulſiones lapſumq; experietur, citra etiam ſpumæ rejectionem, ac judicii & mentis privationem: quæ quidem vertigo tandem ſuavi quodam ſomno ſtipata prorſus evaneſcet. Nec tamen intermittenda curatio eſt, donec perfecta conſequuta ſit ſanitas. At primis curationis initiis utetur æger ſpecificis purgationibus, ac ea victus ratione, quæ congrua ac opportuna ſit, ut à nobis paulò pòſt dicetur.

Si Epilepſiæ hyſtericæ occurrant, ſuffocationibus matricis ſtipatæ, ſpiritui vitrioli addenda erit tinctura ex granis actes aut ſambuci maturiſſimis chymicè extracta: in quibus hyſtericis affectibus, ut omnia feliciùs ſuccedant, ſi res præſertim cum mulieribus ditioribus ac potentioribus nobis ſit (vitrioli Veneris loco) uſurpandum præcipuè fuerit Jovis vitriolum: cujus vel ſoli flores, vel ſal promptiſſimum, tutiſſimum ac ſpecificum ſuffocationum ac hyſtericarum epilepſiarum auxilium per ſe eſt.

Sequitur aliud potens ex vitriolo remedium, quod tincturam vocamus, noſtræq; eſt *Tinctura vitrioli.* deſcriptionis. ℞ *ſi fieri poteſt, vitrioli cyprii, vel ſi deſit, Ungarici ſaltem viridiſſimi, non cœrulei (quale*

(quale Germanicum eſt) quantũ voles. Si enim aliud uſurpetur vitriolum, vix operatio ſuccedat, quam expectamus. Ex eo in igne cinerum, per alembicum, quicquid phlegmatis & ſpiritus extrahi poterit, educatur, ac eorũ magna quantitas colligatur. Superſubſidens autem colchotar in pulverem attritum, affunde iſtius phlegmatis tantum, quantum quatuor digitorum altitudine ſuperemineat. Aeri frigido ut reſideant, exponantur ad aliquot dies, ſemel aut bis quotidie commovendo, dum tinctura vitrioli viridi colore impraegnetur, quae elegantiſſimum ſmaragdi colorem aemulatur. Quod certiſſimè accidet, ſi optimum vitriolum ſumatur. Hunc virorem ſenſim, ne quid turbetur, per inclinationem ſegregabimus, ac denuò faecibus recens phlegma affundemus, quod recentem etiã tincturam ac colorem proliciat. Si phlegma ante plenã ac perfectã tincturae ex colchotare extractionem deficiat, à tincturis prioribus jam extractis, deſtillatione illud erit ſeparandũ ad conſiſtentiã mellitam: quo facto in fundo ſubſident cryſtalli uſq; adeò elegantes & pellucidi, ut ſmaragdos elegantiâ aequent, qui ſeorſim aſſervandi ſunt. Phlegma autem illud extillatum faecibus reaffundetur, ut ſmaragdino illo virore denuò impraegnetur: idq; toties & in hunc modũ iterandũ dum nulla amplius extrahi poſſit viriditas. Ab ejuſmodi ſmaragdino virore phlegma (quod ſemper aſſervãdũ eſt) per deſtillationẽ ſepa-

ſeparetur ad mellitam conſiſtentiam, quæ in frigido expoſita cryſtallos exhibebit ſmaragdinos, qui cum prioribus jungendi erunt & miſcendi.

Atq; ut eorum ſufficiens quantitas habeatur, xij. *aut* xv. *libræ vitrioli erunt initio operis deſtillandæ ex diverſis alembicis.*

Collectis hujuſmodi cryſtallorum, eorumq; acidiſſimorum, quatuor aut quinq; libris, præſtantiſſimus vini ſpiritus erit adjungendus, omniaq; in Pellicano Hermeticè clauſo circulanda, ne quid expiret: deinde ex alembico vitreo, arenæ immerſo, igne per gradus adminiſtrato extillabit cum ſpiritu vini, vitrioli ſpiritus. At colchotar ſuo adhuc oleo rubro ac gravi imbutum, in fundo ſubſidebit. Huic colchotari attrito, & jam cornutæ aut retortæ optimè loricatæ impoſito, ſpiritus vitrioli unà cum ſpiritu vini conjunctus affundatur, ignisq; per gradus admoveatur ad quatuor dies, qui tandem eò uſq; intendatur, ut unà cum prædictis ſpiritibus totum rubicundum oleum ac exquiſitiſſimum extrudatur: à quo vini ſpiritum per Bal. M. primò, tùm proprium ſuum ſpiritum per cineres ſeparabis, ut oleum in fundo reſtet acido dulce ac ſuaviſſimum, ſanguinis inſtar rubicundiſſimum, admirandarum virium adverſus omnes ægritudines, in craſſiore materia ſedem habentes.

Quod oleum (ut in magiſterium reducatur, magnumq; ex eo comparetur epilepticum remedium)

dium) cum ſuo proprio vitriolato ſpiritu, qui antea extractus eſt, conjungendum eſt, ſimulq́; circulanda in Pellicano omnia ad pluſculos dies, unde remedium dulce ac ſuaviſſimum, nec ſatis unquam laudandum, adverſus epilepſias, aſtraleſq́; omnes affectus alios, reſultet: idq́; præcipuè, ſi calcinatum philoſophicè aurum, & perfecta ſolutione philoſophica reſolutum, adjectum fuerit. Doſis una aut altera ſaltem gutta erit, nec plures, cum aqua idonea. Hæc utiq; medicina tantæ eſt virtutis & energiæ, ut non epilepſiis tantùm, at apoplexiis etiam, paralyſi, vertigini, maniæ, exſtaſi, ſyncopæ aut deliquiis animi, ventriculi imbecillitati, cachexiæ, hydropiſi, calculo & omnibus hyſtericis affectibus ſuccurrat. Ut autem ex hujuſmodi tinctura fiat elixir & lapis, aut univerſalis medicina ad ſanitatem & mundificationem omnium corporum, ſequenda eſt methodus & operandi ratio, quæ jam à me in tractatu meo de priſcorum Philoſoph. medic. materia, &c. deſcripta eſt, necnon in reſponſione noſtra ad Anonymum cenſorem: qui quæ minùs callebat, eò audaciùs impugnare & reprehendere auſus eſt.

Ut igitur ex tinctura prædicta vitrioli elixir, lapidem aut medicinam univerſalem conficiamus, ſequenti methodo utendum erit: Caput illud mortuum, in fundo relictum poſt ſeparatio- Elixir vitrioli.

nem ſpiritus & olei, calcinetur in igne reverberii athanoris, ex quo cum proprio phlegmate ſal extrahatur: qui variis ac iteratis ſolutionibus, filtrationibus ac coagulationibus ad perfectionem depurandus eſt: huic ſali (debita proportione & menſura philoſophica obſervata) adde ſpiritum vitrioli reſervatum, ut ſupernatet duobus digitis, digere ac deſtilla, novum ſpiritum affundendo, ac totum hoc opus reiterando, donec pars volatilis ſuperet partem fixi, poſſitque prædictus ſal, per viam ſublimationis, in aquilam cœleſtem exaltari, omni talco & unione pellucidiorem. Tunc ſalem hunc armoniacum ſeu mercurium Philoſophorum, juſta & philoſophica menſura ſeu pondere, cum proprio glutine ſulphureo imbibe & incera reiteratè: hancque tandem triadem matrimonio junctam in toro furni ſecreti, veris Philoſophis noto, ad tempus idoneũ ac præfixum coque, donec unitatis documenta conſpiciantur, omnesque tranſcurrant colores, ſupremusque ac deſideratus, purpureus nempe tandem emicet: ſic fiet elixir, lapis ſeu medicina univerſalis, fluens, ſummè penetrans ac permanens: veraq; Salamandra fixa, nullis gradibus ignis ſuperabilis, cujus vel granum unum ad curationem deploratiſſimorum corporis humani morborum ſit ſatis.

Qui per ejuſmodi fulmen ac æthereum ignem, ſolem fulminare, incinerare, philoſophicè

phicè vereq; calcinare, ac in primã ſuam ſubſtantiam, radicem & elementa (etſi corpus ſit fixiſſimum ac compactiſſimum) revocare & reducere norunt (quæ reductio non minore labore & induſtria, ut volunt Philoſophi, quàm ejus generatio perficitur) hac fulminatione & fermentatione admiranda miracula conſpecturi ſunt, ut qui hac ratione aurum, tanquam mortuum & inane, vitalibus virtutibus, ac efficaciſſima vegetatione donaturi ſint: indeq; majora, quàm fas ſit dicere vel ſcribere, præſtare poſſint.

Hujuſmodi reductio (ut ſcribit alicubi Paracelſus) fit per putrefactionem, quæ omnia, quæ per radices generantur & procreantur, ad ipſas reducit: ita ut quod terra eſt, tempore certo in terrã redeat: aqueum in aquam vertatur, & ſic de aliis elementis. *Putrefactio.*

Putrefactio ejuſmodi non fit niſi per humiditatem, in qua conſiſtit & operatur, & per calorem ac corroſivum, quod ſibi habet proprium, vel alienum. Sic corroſio frangit ſemen in agro, & ad perfectam putrefactionem deducit, ipſius corpus per omnia penetrans, & occupans ac ſolvens. Quod ut fiat, deducendum erit corroſivum dictum de potentia in actum, idque non niſi per calorem ſibi innatum. Sic fimus, qui non eſt niſi ſal excrementorum in ſtabulis reſolutus, terram

terram reddit ſalſam & calidam, qua ſalſedine, quo calore, ſemina ſolvuntur, franguntur, ac ad putrefactionem deducuntur, quam ſequitur regeneratio, ac multiplicatio ſpeciei.

Regeneratio.

Hujuſmodi naturæ ſal apertè (ut ex calcinatione conſtat) in omnibus rebus conſpicuus eſt, cujuſcunq; generis: imò in ipſis aquis etiam inſipidis, licet occultè, immorans. At præcipuè in vitriolo, tanquam in primo ſuo ente, eluceſcit, quod vel ex omnibus metallis elici poteſt, & in quod metalla omnia reduci poſſunt, ut alibi diximus: atq; iſtiuſmodi reductionis modum, metallorum nempe omnium in vitriolum in Antidot. noſtro ſpagyrico docebimus. Hinc fit, ut ex eo (vitriolo inquam) tot tamq; præſentia remedia eruantur ad varios effectus conferentia. Alia enim coagulationi ſpirituum, alia corporum ſolutioni inſerviunt, alia aliis operationibus congrua. Vitriolum enim Leo ille viridis Riplæi eſt, cujus admirandæ poteſtates ſatis enumerari non poſſunt, nec celebrari. Sed Cenſores noſtri iſta capere non poſſunt, ut qui & auribus & oculis planè privi ſunt: nimiſq; ſtupido & bruto ingenio, ut myſteria noſtra, quæ de vitriolo docemus, capere nõ poſſint: nec illis idcircò has margaritas offero, ſed politioribus ingeniis, quæ majores ex noſtris ſcriptis

fructus

fructus editura ſint. Mirentur illi tantùm cum ſuo Galeno, quî fieri poſſit, ut tantus calor, cum tanta adſtrictione, conjungatur in vitriolo, cùm regulas iſtorum Doctorum hoc myſterium ſuperet. Acuite ingenia igitur, arguti Cenſores, & alibi, quàm in Galeno (qui eas omiſit) tantarum ac tam variarũ virtutum cauſas inquirere, ac tam admirandis præparationibus remediisq́;, quæ ex uno vitriolo produximus, ex viva ejus anatomia, invigilate, ſi ſapere vultis, & nugas iſtas de virtute ejus in condiendis ac conſervandis carnibus, idiotis proprias, relinquite.

Caput XXXI.
De Antimonio.

INvidia, pervicacia, rabies quorundam Cenſorum, aut craſſa potius & hebes illorum ignorantia, qui de incognitis abſurdè garrire geſtiunt, quiq; in ſua illa ignorantia volutari & ei indormire libenter patiuntur, haud facilè aſininã ſuam pellem aut ſenectam deponẽtes, ut novi aliquid melioris induant, uſq; adeò ſuperbi, ut nihil à ſe ignorari credant, nec quicquam veterum ſcriptis adjici, aut de illis detrahi poſſe contendant: quaſi faſtigiũ perfectionis attigerit medicina: illorum, inquam, hominum audacia ac pervicacia, tractatum hunc mihi protraxit de vitrioli in partes va-

rias diſſectione: ut quantæ hoc minerale individuum veteribus ignotum, ſit utilitatis, ac quàm neceſſarium, oſtenderem.

Quod etiam à me longiorem adhuc poſthac fortaſſis orationem extorquebit, de mercurio, aliiſq; metallis: atq; hic de antimonio, cui ad raucedinẽ uſq; allatrant, tanquam exitialiſſimum omnium venenum carpentes ac repudiantes: quorum mendacia ut diluantur, rationeſq; eorum excutiantur, nunc nobis onus incumbit: oſtendemuſq;, quàm à veritate alieni deflectant, ſi extracta ab ipſo remedia, & ut par eſt apparata, varia ac admiranda, in curatione variorum ac deploratiſſimorum affectuum, infinita alia vulgaria ſubſidia multis ſtadiis poſt ſe relinquere, apertum fecerimus. In eo enim ſunt ſexcentæ proprietates, variæ ac præſtantes, ut præparantes, expurgantes, vomitiones concitantes, & id genus alia, ut nunquam ſatis laudari queat hoc medicamentum. In cujus defenſionem non abs re Matthiolus, ut jam diximus, in hujuſmodi ignaros ac pertinaces Medicos invectus eſt: cui tantæ eſt æſtimationis, ut manum Dei ipſum vocitet, tanquam cœlitùs emiſſum, adverſus graviſſimos hominum languores univerſale ſubſidium.

Inprimis autem videamus, quid antiqui de metallico hoc individuo ſcripſerint, & quo jure

jure novi iſti Cenſores in venenorum ordinem referant, perpendamusq;, quibus facultatibus præditũ ipſum veteres dixerint, quas præparationes illius, uſum & adaptationem admiſerint, ut æqui ac judicioſi lectores omnes oculis ipſis notent, quàm externa hujus medicamenti anatomia, ex ſolo ſuo cortice antiquis cognita, præ interiore à veris Medicis nobis tradita, mutila ſit, & prorſus inanis ac nulla.

Dioſcorides lib. 5. c. 59. ubi loquutus eſſet de electione ac bonitate antimonii, hæc ſubjicit: *Quod ad facultates ejus & proprietates attinet, vim habet aſtringendi, & meatus corporis obſtruendi, refrigerandi, excreſcentias carnis abſumendi, cicatrices obducendi, mundificandi oculorum ulcera & ſordes.* Sub finem præparationem remedii attingit, quam Oribaſius inter veteres Græcos ex ipſo Dioſcoride mutuatus in ſuum opus medicum tranſcripſit, collect. lib. 14. *Crematur ſtibium*, inquit, *cruſta ex farina circumlitum, & carbonibus obrutum, donec cruſta in carbones abeat. Ab igne ſemotum, lacte mulieris, quæ marem peperit, aut vetere vino reſtringitur. Uritur etiam ſuccenſis carbonibus perflatum, donec igne deflagret. Si enim pluſculum uratur, in plumbum tranſit. Lavatur ut cadmia atq; æs. Sunt qui ut plumbi recrementum lavent.* *Veterum opinio de antimonio.*

Atque hæc eſt elegans eorum præparatio, quæ non mihi ſoli, ſed multis aliis riſum præbeat, ni reſponſione mea Antiquitas excuſetur, quæ, quod novit, nobis candidè impertita eſt, ultrà progredi minimè habilis.

Qui autem Antímonium fuſione in plumbum mutari autumant, ſatis teſtantur, ſe parum in rebus metallicis verſatos. Potuerunt illi quidem violentiore calcinatione & ignitione portionem quandam antimonii in regulum tranſeuntem obſervaſſe, quod metallum quidem referat, at plumbum non ſit, ut quod fragile ſit & in pulverem reductile, diverſæq; admodum naturæ ac proprietatis. At in hoc quoque, ut in reliquis, excuſationem merentur.

Galenus de ſimplicium medicamentorum facultatibus 9. poſt Dioſcoridem de Antimonio ſcribens, quædam verba de facultatibus ejus facit: *Stimmi*, inquit, *ad facultatem deſiccantem adjunctam habet aſtrictionem: quamobrem & ocularibus medicinis commiſcetur, & illis ſcilicet, quæ conformantur in collyria, quæ vocant, & ſiccis, quæ utiq; collyria ſicca cognominant.*

Paulus Ægineta lib. 7. de re medic. Oribaſ. medicinarũ collect. lib. 15. Aëtius tetra. 1. ſer. 2. c. 72. unius Galeni ſententiam & verba propemodũ ipſa de antimonii facultate ſequuntur.

Actua-

Digitized by Google

Actuarius lib. 6. meth. med. de eo ſcribit, quæ ſequuntur: *Stibium verò, quod nuncupatur, ſi non eſt lotum, validam præ ſe fert aſtringentem vim: verùm ubi eluitur, retunditur adeò, ut ferè ſit morſus expers.*

Hactenus de Antimonii facultatibus veteres ſcripſerunt, unde venenatũ medicamentum, aut inter exitialia collocatum, inferri nõ poteſt, ut ſiniſtrè & citra rationem de eo ominantur Cenſores noſtri: quùm adſtringentis potiùs, quàm rodentis facultatis à veteribus judicetur.

Etſi autem Dioſcor. inter venena boracem & lapidem Lazuli recenſeat, illorum tamen uſus in medicina uſurpatur, Lazuli quidem lapidis ad expurgandum humorem melancholicum: unde pilulæ ex ejus nomine vocatæ: boracis verò ad ciendos & vacuandos mulierum menſes, partumq; adjuvandũ, ac ſecundinas extrudendas, nec non ad varios alios affectus, vel intrò etiam aſſumptus.

Si ejuſmodi remedia, quæ longè antimonio acriora agnoſcuntur, in uſum Medicum admittuntur, an æquum fuerit, antimonium excludere? Si verò quis excipiat, ab eo graves & laborioſos vomitus concitari, in vitrum etiam tranſlato: in promptu reſponſio eſt: ab illo Cenſore magnam veteribus injuriam fieri, qui ignorantiæ illos arguat, ac inſcitiam de- *Objectio.*

tegat, quòd cum ignota iis fuerit vis ejus vomitrix ac purgatrix, pronunciaverint omnes, contraria, hoc eſt, aſtringente facultate pollere, vel etiam ante præparationem aut ablutionem, qua, ut vult Actuarius loco jam citato, iſta retunditur, ut ferè ſit morſus expers.

Nec tamen idcircò facilè conceſſerim, uſque adeò exitiale eſſe medicamentum & venenum, quòd vomitum cieat. Quid enim helleboros, ac præſertim album, gravium ſymptomatum pernicie ſuperat? Attamen vel ipſe helleborus albus ab antiquis (ut ſuprà docuimus) in uſum medicum aſſumptus eſt, ac in ſpecificum epilepſiarum auxilium adminiſtratus.

Idem de thapſia, elaterio, pane porcino aut cyclamine, tithymallis, & id genus aliis medicamentis, vomitum cum magna etiam perturbatione concitantibus, nec tamen à multis compoſitis purgantibus electuariis excluſis, quæ variis morbis ſuccurrunt, dici poteſt.

Quicquid ſit, à venenatis medicaminibus antimonium excepit Dioſcorides ac Antiqui, nec in ordinem virulentorum illi retulerunt, ut thapſiam, helleborum, & id genus alia, quæ recenſuimus: quibus ſi in medicina uſi ſunt, longè potiore ratione antimonium,

quod

quod mox diſſecturi ſumus, uſurpare liceat.

Ejus anatomiæ partes longè alias docebimus, quàm hactenus factum eſt, ejusq; ſuaviſſimam medullam, relicto cortice, internaq; viſcera enucleabimus. Quod præparationibus chymicis facturi ſumus, uni illi vitro, gravi & vomitibus moleſto, nequaquam immorantes, licet à tyronibus quibuſdam empiricis celebretur: ſed ſexcentis elegantibus præparationibus ac præſtantiſſimis remediis inhærentes, quæ ad varias curationum indicationes referuntur, imò in univerſum omnibus morbis aptiſſimè ſuccurrant, & ingruentibus aut futuris, utpote vitæ conſervantia, proſpiciant ac præcaveant, ita ut ex eo veram ſimus ab omnimoda medelæ efficacia panacæam deſcripturi ac tradituri, item Antidotum panchreſton, ad multos affectus conferens auxiliumq; maximum. Item Antidotum pantagogon, omnium humorum deturbationi & expurgationi idoneam: Antidotum Theodoretam, ſeu divinum munus conferentem. Item Antidotum ζωήφιλον, propter mirum ejus in conſervanda vita ſtudium & efficaciam. *Varia ex antimonio remedia.*

Item Antidotum Soterion, ſeu ſalutare ſubſidium.

Item Antidotum Lyſipyreton, ſedantem & extinguentem omnes febriles ardores.

Item Antid. Theodoton, à Deo datum remedium.

Item Antidotum Theopempton, quòd à Deo ſit immiſſum.

Item Antidotum Panæreton, ſeu omni virtute ac viribus præditam.

Item Polychreſton ad multa accommodatum remedium.

Item Iſochryſon, quòd auro æquiparandum ſit remedium.

Item lyſiponon, ſeu anodynum diaphoreticum dolorem ſolvens: Multasq; alias ejuſmodi & varias antidotos ac exquiſita remedia, quæ ex variis ingredientibus non componantur, ſed ex uno ſolo antimonio petantur: quæ tamen, etſi ex uno, longè majoribus viribus polleant, quàm quæ à Nicolao Myrepſo ex antiquorum floribus collectæ, & in ordinem redactæ ac deſcriptæ ſunt lib. ejus de Antidotis, ſectione prima: quas Antiqui ut magnis laudibus efferrent, hujuſmodi titulis ac nominibus ſuperbis ac ampulloſis inſignire geſtierunt.

At qui accuratiùs & ſaniore judicio perlegent & excutient, ex quibus rebus componantur, & quàm confuſa omnia, ac promiſcuè & citra rationem inſerta ſint: nec non quàm parum judicioſè opium, mandragoram, papavera, hyoſcyamum, helleboros, colocynthidem,

thidem, euphorbium, ſulphur, & id genus alia, nulla præparatione condîta, veteres intruſerint, æquiùs iſta omnia rideant, ni planè ſint bruti aut cæcutiant, quàm compoſitionem uſumvé earum laudent ac probent.

Sic veritas temporis filia tandem nobis nata eſt, & hominum ingenia illuſtravit: ut omnes ejuſmodi compoſitiones, quæ jam ex novis Diſpenſatoriis excluduntur, nunc flocci faciant, & prorſus reſpuant, ſuisq; apothecis abdicent.

Eæ tamen erant veterum margaritæ, uniones & remediorum flores odoratiſſimi & acceptiſſimi: qui ne arſenico quidem pepercerunt, nec plumbi uſti, imò ne antimonii quidem ipſius crudi & incondîti (quod tantoperè à noſtris Cenſoribus reprehenditur & culpatur) obliti ſunt.

At tempus eſt, ut indicemus, quàm maturiore judicio, Hermetici, ac inprimis magnus ille chymicus Theoph. Paracelſus, naturam, eſſentiam & qualitates omnes antimonii expedierint, ac in partes omnes artificiosè diſſecuerint: in ſalem nempe ſuum, in ſulphur & mercurium, utq; longè alias ejus præparationes docuerint, quàm uſtiones & lotiones vulgares, quibus ipſum redderent collyriis, antiquorum more, opportunum.

Quin & indicandum eſt, ut Hermetici in

eo alias exquiſitiores virtutes, & ſingulares proprietates obſervaverint ac detexerint: utque aſtrictionum umbratilium loco, contra omnis generis vomitiones lenes, moderatas, & longè illis tutiores, quæ ex helleboris aut ære uſto cientur, minoreq; moleſtia vacuantes patefecerint, ac ex eo eruerint: licet illis Antiqui uterentur, & infantibus etiam, ut ſuprà diximus, exhiberent. Quin & oſtendemus, varia in eo, eaq; ſuſpicienda, attamen lenia, benigna, & citra nauſeam laxantia præſidia reperta, ut hac ratione catholico, diaphœnico, hieris, tripheris, electuariis, Indis majoribus & minoribus, confectioni hamech, & ſimilibus antecellant. Ex noſtris enim deſcriptionibus & experientia conſtabit, ſi antimonium purgationi alvi adaptemus, omnibus corruptis ac venenoſis humoribus electivè repurgandis eſſe idoneum: ſiquidem ejus virtute ac facultate tota ſanguinis maſſa declaratur ac repurgatur, citra vehementiorem caliditatem, quam nullam infert, quùm vel ipſi linguæ ſit inſipidum, aut gratum potiùs palato ac ſuave, quàm ſecùs, leniterq;, contra aliorum medicamentorum moleſtiſſimè agentium morem, vires ſuas exerat.

Docebimus præterea varias illius præparationes, ac præſtantes virtutes diaphoreticas, quæ

quæ mirabiliores, quàm hydrotica alia omnia Guajacina, aut cætera id genus, effectus producant: imò etiam in diverſas alias figuras cõmutabimus: in corroborantia nempe medicamenta & alexipharmaca, longè utiq; aptiora & utiliora ad nectar vitæ noſtræ tuendum, & vires corporis corroborandas, ac venena omnia ab eo excludenda, morboſq; peſtiferos, omnibus aliis confectionibus Alchermes, de hyacyntho, mithridatiis & theriacis. In hoc deniq; metallico individuo videndam exhibebimus (etſi, tanquam præſentaneum venenum, à quibuſdam ignaris Cenſoribus reſpuatur, damnetur, & diris devoveatur) univerſalem medicinam, medicinarum medicinam, & admirandorum aut miraculorum ipſum miraculum, ſeu mirabile mirabilium.

Sed ad rem ipſam jam deſcendamus, & veritatem verborum noſtrorum confirmemus propriis experientiis, tum alienis, quas ex doctiſſimis quibuſvis Medicis & Philoſophis Hermeticis, eorumque ſcriptis ac colloquiis mutuati ſumus, & adhuc mutuabimur, ſuper varias ac admirandas præparationes, remediaq;, quæ ex antimonio proliciuntur.

Riplæus, Northon, Iſaac Holandus, Rupeciſſa, Baſilius Valentinus ordinis S. Benedicti, & inter alios omnes Paracelſus, ſuper alia omnia metallica, Antimonium collaudarunt

Digitized by Google

runt ac celebrarunt: hic adæquans ipſum in ſuis Archidoxis, & libris de vita longa, quamplurimiſq; aliis locis, primo enti auri: quod mirum in modum in omnibus ejus partibus, & ubiq; ſedulò examinavit, nihil unquam ſibi habens ipſo commendatius, at præſertim mercurio ejus & ſulphure. Docet enim ipſum Antimonium ex puriſſimis perfectiſſimiſq; mercurio & ſulphure prognatum, ſub vitrioli genere in metallicam formam atque ſplendorem.

Quin & lib. 3. de vita longa, cap. 6. de infinitis aliis ac admirandis virtutibus teſtatur, quæ in eo deliteſcunt.

Antimonium, inquit tom. 4. pag. 105. *reſtaurator eſt, & renovator omnium virium corporis.* Et lib. 6. Archidoxorum de magiſter. fol. 36. *Antimonium,* ait, *curat leproſos, morphæam, ſcabiem, leoninam elephantiam, tyriam, &c.*

Ibidem addit: *Cùm materia antimonii ſit ſpoliativa & mundificativa, hinc ſit, ut corporis impuritatem non ſecus abſumat, quàm aurum & argentum ab ipſo depurari videmus. Inprimis autem, præter opinionem, curat id ipſum lepram.*

Et alibi, tomo nempe 6. cap. 308. *Antimonium omnes morbos tollit, & vires amiſſas reſtaurat & renovat.* Et eodem tomo, pag. 107. *Quinta*

Quinta eſſentia, magiſterium & primum ens antimonii corpus mundificat à lepra, renovatione & inſtauratione perfecta. Et ibidem, pag. 109. *Primum ens Antimonii tantas habet virtutes, ut omne id, quod contingit, tranſmutet: omnia, quæ ab humore radicali enaſcuntur, ſeparet, & ex fundamento corpus renovet.*

Et tomo 4. pag. 70. *Magiſterium Antimonii eſt confortativum in caduco.* In eodemmet tomo, pag. 356. *Tanta eſt vis antimonii, ut graviſſimum caduci paroxyſmum curet.* Et pag. 84. 85. & 88. *Quinta eſſentia Antimonii curat veſaniam. Eadem eſt confortativum in contracturis.* In eodemmet tomo pag. 104. & pag. 91. *Oleum antimonii præſervat ab omnibus ſpeciebus amentiæ, ut flores benè præparati præſervant à lepra*, tomo 5. pag. 273.

Si omnia, quæ de eo ejusq́, facultatibus ac virtutibus prædicantur, huc vellem tranſcribere, nullus unquam fuerit finis.

Reſtat ut præparationum diverſarum, ac variorum remediorum documenta & artificia aggrediamur, quæ ab ipſo Paracelſo, aliisq́ue compluribus, ante & poſt ejus ætatem, doctis viris edocentur, noſtrumq́ue ipſi ſymbolum ac talentulum conferamus, prout aliquando ipſi manibus paravimus, compoſuimus, & in uſum fœliciſſimè retulimus.

ANTI-

ANTIMONII PANACÆA.

Regulus Martis ſtellatus cum ſale ſolari, primùm ter cum ſale martiali exaltato, ſublimetur bis terve, habebis flores rubros, qui edulcentur optimè, & ad lentum ignem exſiccati, à colchotare tertio denuò eleventur. Hoc facto, jam habes tuos flores ſpiritu Martis & vitrioli imprægnatos, blandè purgantes, & ad febres omnes intermittentes extinguendas, varioſq; morbos curandos, conferentes ac ſummè utiles, quos ſerva.

Fixatio ſalis armon. *Inſuper Armoniacũ ſalem, cum æquali calcis vivæ quãtitate, fortiſſimo igne tribus iteratis vicibus calcina, ſingulis vicibus aqua calida ipſum ſalem ſeparans, idq; per diſſolutionẽ, filtrationẽ & coagulationẽ, reaffundendo ſemper recentẽ calcẽ ad unamquamq; operationem, dum armoniacus ſal figatur, & liquabilis reddatur inſtar metalli.*

Hic fuſus ſal in humido ponatur, qui brevi in pellucidiſſimũ liquorẽ convertetur, quem mundificabis, in tribuſq; ejus partibus paulatim ſolves partem unam mercurii metheorizati, ac ea ratione eſſenſificati, ut in cryſtallum adducatur, qui Venetianũ vitrũ æmuletur. Hac diſſolutione charta griſea non conglutinata tota imbibatur: charta ſic perfuſa matratio vitreo includatur, cum ſuo alembico & recipiente: ex qua liquorem mercurialem igne arenæ elicito, quem rectificabis, ut dilucidiſſimus odoriſq; fragrantiſſimi ac gratiſſimi moſchum redolentis, eniteat.

Is

Is tum etiam jam per ſe ſudoribus ciendis, de quibus in conſilio noſtro de Lue Venerea egimus, aptiſſimus eſt.

In eadem aqua aut liquore, unam aut alteram unciam prædictorum florum diſſolve per cohobationes varias: reaffundendo toties recentem aquam, aut novum liquorem, donec totum ſit ſolutum: atq; hanc ſolutionem à ſuo menſtruo non ſegregatam ſervabis.

In eodem menſtruo ſeorſim perlarum orientalium ℥ j. diſſolvito, cum ℥ ß. pulcherrimi ac rubicundiſſimi coralli, quæ facilè in eo liquore ſolvētur, utramque hanc ſolutionem demum cum diſſolutione tuorum florum conjungito, ac cohobationibus identidem per quatuor aut quinq; dies repetitis, ſingulis vicibus deſtillando ac reaffundendo liquorem, idq; quater, quarta deſtillatione ad ſiccitatem uſq; facta: donec perlæ & corallia unà cum floribus prædictis optimè juncta, inſerta & incorporata in ſubtiliſſimum ac ſpirituoſiſſimum pulverem omnia redigantur.

Huic mixtioni adde tincturæ ſolis factæ, ut paulò pòſt dicemus, ad drachmas duas: ac iis omnibus tandem ſuperfunde vini ſpiritum alcoliſatum, qui cohobationibus per biduum aut triduum iteratis, tandem ſeparetur, ut panacæa noſtra antimonii in fundo relinquatur, admirandis virtutibus ac proprietatibus prædita.

In uſu & adminiſtratione infantibus & par-

parvulis exhibetur trium granorum quantitate, adoleſcentibus & ad ætatem virilē provectis granorum ſeptem: robuſtioribus ad 8. 9. aut etiam 10. adminiſtrari poteſt ex vino albo, aut congruo alio liquore, in quo uno momento pulvis ſolvitur.

Hæc medicina utplurimùm inſenſilem operationem exercet, interdū per ſudores tantùm, interdum leniter alvum laxando, urinas provocando, omnia citra moleſtiam aut perturbationem præſtans. Sed ſæpiùs ſola humorum correctione, inſtauratione ac corroboratione balſami radicalis agit, quàm ulla alia aperta vacuatione aut alteratione ſenſili. Atq; ut paucis dicam, univerſaliſſima eſt medicina, omnibus ægritudinibus vel deploratiſſimis etiam, ut epilepſiis, apoplexiis, paralyſibus, omni hydropiſis generi, cachexiis, hyſtericis affectibus, atq; id genus aliis.

Juxta morbi gravitatem & magnitudinem per 12. vel 15. dies exhiberi debet: quod vel etiam vitam producere in multos annos poteſt (volente Deo) ſanitatem tuendo, & corpus à variis morbis conſervando, ſi vel ſemel tantùm in menſe de ea medicina ſumatur.

ANTID. PANCHRESTOS
Antimonii.

℞ flores reguli Martis rubros, hos reverbera vaſi

vaſi vitreo infernum dicto, ac firmiſſimo luto loricato impoſitos, ex quo nihil prorſus expirare poſſit. Maneat vas in Athanoris reverberio ad tres aut quatuor dies. Quo facto, tinctura cum aceto radicato extrahatur, recens ſemper materiæ reaffundendo & extillando, dum nullum amplius tincturæ colorem imbibat. Separetur menſtruum à tinctura, quæ poſtea vini ſpiritu alkaliſato perfuſa juxta artem extrahatur, citra ſeparationem ſpiritus vini. Hujus exhiberi poſſunt aliquot guttæ in juſculo aut liquore congruo dilutæ. Totã enim ſanguinis maſſam emundat, morphæam, lepram, ſcrophulas, luem perſanat, inſtaurat & auget nativum calorem, viſciditates ventriculi abſumit, ac corpus omnibus recrementis expedit. Colicis aptiſſima eſt medicina, nec non præfocationibus matricis, ſi reguli Martii loco regulus Jovis ſubſtituatur ad hujuſmodi flores parandos. Poterit etiam à tinctura vini ſpiritus ſegregari, ſi ita videbitur, ad ſiccitatem uſq;, eaq́; variis aquæ deſtillationibus identidem repetitis exerceri & dulcorari, & tandem ſiccari, pulveris doſis fuerit trium aut quatuor granorum.

ANTIDOTUS PANTAgogos.

℞ reguli Martis aut Veneris calcem optimè paratam & calcinatam, ut artis eſt; hanc quàm

poteris optimè diſſolves cum ſalis gemmæ fuſibilis mercuriali ſpiritu, omnia ad aliquot dies poſtea putrefacta & digeſta per ſingulos ignis gradus, ac tandem per violentiſſimum, deſtillentur: quæ craſſum reddent oleum, quod rectificatione attenuandum & ſubtiliandum erit, ac iterum deſtillandum, craſſiores fæces ſegregando à puriore liquore. His addes optimũ vini ſpiritũ, circulando omnia, poſtea deſtillando, ita ut ſemper craſſiores fæces amandentur, ac ter aut quater ſic deſtillationes iterentur. Atq; ſervetur hic liquor accuratiſſimè, tanquam utiliſſimũ omnibus morbis remedium, cujus gutta ad alterandum, vacuandum, aliosq; curationũ ſcopos complendos potentior eſt centum lagenis herbarũ decoctionibus refertis, nec non ipſis de rhabarbaro potionibus: ſiquidẽ hæc ſanguinem repurgat, appetitũ ſopitũ excitat, ventriculum aliaq; nutritionis viſcera corroborat: funditùs evellit cachexiarum radicem ac procul amandat, nec nõ melancholias hypochondriacas: adverſus icterum & omnis generis arquatos morbos ac hydropes ſpecificum eſt medicamentum, leniter purgando, ac urinas provocando: nec majore duarum guttarum doſi ſingulis vicibus opus eſt, ex aliquo cõvenienti liquore: modò ad aliquod tempus ſingulis diebus, aut alternis eadem doſis propinetur, habita morbi magnitudinis & virium ægrotantis

tantis ratione. Poteſt etiam hoc remedium in præcipitatum & calcem albam, rubram, imò etiam flavam redigi, cujus tria aut quatuor grana in doſin ſint ſatis.

ANTIDOTUS ζωόφιλος.

Accipe de antimonii minera, quæ ex Ungaria aſportatur, quantũ voles: hanc in calcem, ac ſi in vitrũ eſſes liquaturus, adurito. Poſtea ut magis attenuetur, & diſſolutioni aptior fiat, cum alba fuligine mercuriali ſublimetur, deinde edulcoretur: ei ſuperfundes, ut creſcat ejus virtus, & faciliùs ſolvatur, acetum philoſophicum ex acido liquore roris ſeu mannæ cœleſtis cũm eademmet minera per digeſtiones & fermentationes philoſophicas factum & præparatum. Omnia deinceps ponantur in Bal. M. ad ſatis diuturnum tempus, ac donec philoſophicum acetũ rubicundiſſimo colore tinctum conſpiciatur, quod ſimul etiam ſenſim, ex interiore ſuperioris mineræ aut magneſiæ Saturninæ ſaccharo, edulceſcet. Huic materiæ tam crebris ac iteratis vicibus acetum recens ſuperfundito philoſophicum, dum nullus reſtet tincturæ color in materia: fiat per deſtillationem ſeparatio ad ſiccitatem uſq;. Pulveri jam crebris deſtillationibus ex aqua nubis edulcorato, adde præſtantiſſimæ aquæ vitæ ex corallis prolectæ q. ſ. ex qua tincta colorẽ rurſum extrahe pellucidum ac diaphanum, rubini coloris æmulum.

Poſt varias ejus cohobationes ac circulationes proprias, & ad attenuationem majoremq́; ſubtilitatem neceſſarias, omnia igne fortiſſimo ac vehementiſſimo urgeto, idq́; etiam initio, & non obſervatis mitiorum ignium gradibus: tum cum aqua vitæ coralliorum, oleum ipſum antimonii rubrum, ſuave & exquiſitiſſimum extrudetur, verum vitæ balſamum nunquam ſatis laudandum vel commendandum. Cum ipſa vitæ aqua & in ea relinqui poteſt, citra ſeparationem, ſi lubet: aut ex eo aliquot guttas immiſcere pro doſi, vino aut liquori ei morbo, cui velis ſuccurrere, congruo: quales ſunt liquores lilii convallii, lavendulæ & calendulæ pro epilepſiis, apoplexiis & paralyſi: qualis & aqua theriacalis adverſus peſtiferos & contagioſos morbos: nec non ad leprã, morphæam, luem, ſcrophulas, & id genus alios affectus curandos, aquæ fumiterræ & veronicæ: Vera enim eſt univerſalis medicina, quæ ſopitos ſpiritus excitat, roboratq; animales, vitales & naturales, mundando totam ſanguinis maſſam, inſtaurando radicalem balſamum, & corpus humanum ita renovando, ut & in juvenilem ſtatum hominem transformet. Tanta deniq; tamq; præſtans medicina eſt, ut laudes ejus ac admirandæ virtutes ſatis prædicari non poſſint. Verus enim eſt vitæ balſamus, vero vitæ mercurio æquipollens: de quo verba facit Para-

Paracelſus tomo 6. pag. 45. in hunc modum: *Mercurius vitæ corruptiones corporis humani ita tollit, ſicuti ligna putrida ligno amputantur. Hic ſenectutem reſtaurat, & eam in juventutem mutat: non quòd novam eſſentiam in homine generet, ſed quòd quintam eſſentiam adhuc reſiduam, incorruptam conſervet: unde poſtea novæ virtutes emergunt. Impurum igitur à ſpiritu vitæ removet, ungues pedum & manuum, item canitiem tollit, juventutem confirmat, ita ut ſenectus non amplius canos poſſit producere.*

Rupeciſſa lib. de quinta eſſentia, cap. 41. de tam exquiſita ac pretioſa loquens Antimonii dulcedine & tinctura, *talem tantumq; theſaurum eſſe* ait, *ut nuſquam in toto orbe par occurrat.*

At qui ex ejus aliorumq; ſimilium deſcriptione tentabit hanc antimonii tincturam ex crudo, & in pulverem tantùm redacto Antimonio, cum aceto ex vino deſtillato, extrahere, utcunque ſit vinum generoſum & potens, & quantumcunq; temporis in digeſtione illius teratur, oleũ prorſus & operam perdat. Genuinorum igitur ac verorum eſt Philoſophorum, noſſe diſtinctiones & compoſitiones ejuſmodi menſtruorum aut acetorum. Infinita enim eorum genera ex ſexcentis rebus variis varia fieri & componi aut extrahi poſſunt, quæ variantur ex ingredientium va- *Menſtruorũ ſpagyricorũ varietas.*

Digitized by Google

rietate, proprietatibus ac virtutibus. Aceta enim ex cereviſiis Anglicanis, Belgicis, Germanicis, vi hordei aut frumenti enata: aut ex pomaciis & piraceis Normanicis expreſſa, virtutes fructuum, ex quibus prognata ſunt, retinentia, longè lateque inter ſe differunt: multoq; magis diſtant ab aceto, quod ex vino omnium vegetabiliũ principe, & maximè omnium vitriolato conficitur. Quin & inter vini aceta magnum ſtatuitur diſcrimen: ſiquidem acetum ex vino albo extractum multùm à rubelli vini diſcrepat. Et vinorum Creticorum aceta, debiliorum vinorum acetis (qualia ſunt Tigurina) longè multumque virtute antecellunt: ſic oligophorum vinum magno diſcrimine à vinoſo & generoſo vino diſtinguitur: ut inde liceat inferre, aceta cereviſiarum, pomaciorum aut piraciorum, immaturorum ac debiliorum vinorũ, nunquam fore rerum metallicarum ſolutionibus apta, nec eò uſq; potentia, ut aceta hydromelitum vinoſorum, quæ cum manna cœleſti, naturam animalẽ percurrerunt, & præter vegetalẽ induerunt, atq; ſic ſummoperè rectificata ſpirituales vires & aëreas planè ſibi compararunt: ita ut omnia quævis alia, ſolvendi ac diffuendi potẽtia ſuperent. Quod obiter dictum ſit, ut multi diſcant, etſi experientiis veris ac certis polleant, ſe tamen non abs re ſpe ſua cadere, & à

ſcopo,

ſcopo, quē ſibi propoſuerunt, aberrare, quòd aceta Philoſophorum non norint, eorumque dicta ex litera, non ſenſu metiantur.

Addo præterea magnum ineſſe diſcrimen inter acetum ſimpliciter deſtillatum, acetum forte deſtillatum, acetum forte dephlegmatum, acetum forte benè rectificatum & alkaliſatum, acetum radicatum, & acetum philoſophicum, quod ſummo virtutis gradu eminet: quodq; nos componimus ac conficimus ex mixtione & convenienti proportione, fermentatione ac unione aëreæ aciditatis animalis, & mercurialis acoris aquei, cum vegetabili terreſtri, ut ea tinctura, de qua ſuprà loquuti ſumus, extrahatur, ad noſtram ζωόφιλον antimonii Antidotum concinnandam.

De omnibus aliis acetorum ſeu menſtruorum, ſeu diſſolventium ſuperiorum, nec non innumerorum aliorum, & naturæ ignium differentiis agemus, quæ claves vocantur artis: eorumque varias addiſcemus præparationes, compoſitiones & uſus in Antidotario noſtro ſpagyrico, tanquam in proprio & dicato huic tractationi loco. Quæ quidem omnia ſcitu maximè neceſſaria, magnæq; ſunt utilitatis, operæ pretium rati, hæc pauca de illis attigiſſe, & notaſſe locum, ubi abundè hæc docebuntur, ut Medicus & verus Philoſophus chymicus, qui ſententiam verborum

Cc 4 noſtro-

noſtrorum concipiet, in operatione antimonii, aliorumq́ue mineralium, ac metallorum, quæ in illo noſtro opere deſcribimus, tanquam adverſus omnes morbos eosq; deploratiſſimos præſtantiſſima remedia, labi nequeat.

ANTIDOTUS SOTERIOS
Antimonii.

Accipe regulum Jovis, ex quo in pulverem trito, hepar aut crocum metallorum cum ſale ſulphureo conficies. Hujus hepatis pulvis ruber, citra ſeparationem ſalis, in lixivio ex cineribus clavellatis, & calce viva parato bulliat, donec lixivium ſummum ruborem contrahat, quod in vas per inclinationẽ effundes, idq; lentè, ne quicquam de fæcibus admiſceatur. Evacuato lixivio, pulverem vulgari more cum potentiſſimo aceto præcipitabis. Abluantur & dulcorentur omnia: deinde cum vitriolica hydromelitis vinoſi aciditate, alkaliſata proprio ſale, tincturam aut colorem extrahes: à qua tinctura menſtruũ ſeparabis, dein illam circulabis ad aliquot dies cum flagrante juniperi ſpiritu. Deinceps per retortam crebris cohobationibus vi ignis ipſam extrudes, à qua demum ſpiritum flagrantem ſeparabis, ſi ita videbitur, ut reſtet in fundo deſtillatorii liquor ſuaviſſimus, omnium affectuum pulmonum æquè ſalutaris medicina, ac balſamus, lac

aut

aut butyrum dulce ſulphuris: cujus tres aut quatuor, imò ad ſex uſq; guttas ex juſculo vel vino, aut congruis aquis, phthiſicis, dyſpnoicis, aſthmaticis, pleuriticis, peripneumonicis, propinabis. In ſumma ſaluberrimum eſt & potentiſſimum medicamentum quàmplurimis, iiſq; graviſſimis morbis mirum in modum profligandis & extinguendis aptiſſimũ.

ANTIDOTUS LYSIPYRETOS Antimonii.

℞ florum rubrorum antimonii ℥ iiij. *florum ſulphuris ſublimatorum ad perfectam albedinem* ℥ ij. *miſceantur cum duplo colchotaris vitrioli Ungarici aut Cyprii, ac ter ſublimentur, habebis flores rubicundiſſimos, ſi benè operatus fueris. Hi cum aciditate vitrioli Veneris primò, deinde cum vero Saturni æthereo ſpiritu eſſenſificentur.* Hujus philoſophicæ eſſenſificationis ſi callueris artem, medicinam ſuſpiciendam concinnabis, veram Antidotum Lyſipyreton, omnis generis febres, peſtiferas etiam, ſedantem ac extinguentem, ſi ad iiij. aut v. guttas de ea ex idoneo liquore propinaveris.

ANTIDOTUS THEODOTOS Antimonii.

Junge juſto & debito pondere, menſura, proportione ac ordine ſex inferiores Planetas terreſtres, cum ſublimiori ſphæra ſtellata Saturnina,

tanquam cum cæterorum prima radice, ut unà benè amalgamentur, & philoſophicè calcinentur. Ex hac calce depurata cum ſulphuris montani aqueo ſpiritu, per cohobationes in calido, & macerationes ex arte in frigido factas, tincturam rubeam pellucidam aut diaphanam inſtar granati elicies: à qua nubium aquarum auxilio primum menſtruum ſeparabis, tincturamq́; ipſam per varias cohobationes, circulationes & rectificationes neceſſarias, puro hydromelitis vinoſi ſpiritu excipies, qui ejus colorem eruet, quo tingetur rubini coloris inſtar, magno cum ſplendore & perſpicuitate: Atque ſic in ſe ſeptem metallorum veram tincturam ſimul continebit, remedium verè theodoton admirandarum virium & proprietatum, & quod Deus nobis largitur in curationem omnium generaliter morborum, vel deſperatiſſimorum, trium, quatuor, quinq; vel ſex etiam guttarum doſi.

ANTIDOTUS THEOPEMPTOS Antimonii.

Aurum ter per Antimonium examinatorem ſuum trajectũ amalgametur cum mercurii antimonii debita quantitate & proportione, ex quibus electrum minus fiet. Ex hac amalgamatione abluta, & nigrioribus fuliginibus repurgata, exquiſitiſſimam tincturam extrahe, cum ſpiritu ſulphureo juniperi, eo modo operans, qui in duabus ſuperioribus præparationibus traditus eſt.

Hanc

Hanc tincturã diaphanam ac pellucidiſſimam, inſtar rubini, variis cohobationibus in circulato minore Parac. exercebis, quod poſtea, ſi voles, ſeparabis, ut tinctura reſtet ſola: Quam ſedulò cõſervabis, tanquam pretioſiſſimum donum à Deo hominibus miſſum, adverſus peſtem, lepram, omnis generis morphæam, lues, & alios id genus graviſſimos affectus præſentiſſimum remedium, trium, quatuor, aut quinq; guttarum doſi ex aqua theriacali.

ANTIDOTUS PANÆRETOS
Antimonii.

℞ *mineræ antimonii Ungarici ad albedinem calcinatæ, juxta artem* ℔. ß. *ſacchari candi in formam ſyrupi cum circulato minore tranſmutati* ℔. j. *cui paulatim calcem illam antimonii admiſceto. Digerantur omnia per* 4. *aut* 5. *dies in B. vaporoſo, deinde per gradus ignis deſtillentur. Ex hac deſtillatione triplex liquoris genus educitur poſt ſeparationem circulati, quod primum omnium egreditur.* Primus, qui albus eſt, crancroſis ulceribus & externis morbis opitulatur. Secundus, qui flavus eſt, vacuationi per alvum, & per vomitum idoneus eſt. Tertius rubicundiſſimus, inſtar ſanguinis, dulcisque balſamus, qui ſeponendus eſt ab aliis: ſi cõhobationibus ternis aut quaternis rectificetur, & abluatur cum aqua roſarum, aut bugloſſi, aut cichorii, quam ſeparabis tincturam

& ru-

& rubicundam & dulcem, quæ admirandas curationes præſtabit, in lepra, morphæa, malo mortuo, ſex guttarum quantitate exhibita in aqua fumiterræ. Adverſus apoplexiam & epilepſiam doſi duarum aut trium guttarum quantitate ex aqua centaurii minoris. Adverſus peſtem exhibebitur ad ſeptem guttas, ex aliqua theriacali aqua, unde ſudor copioſus emerget.

Laudanum Paracelſi. Cum eodem oleo rubro aut tinctura Paracelſus laudanum ſuum diaphoreticum & ſolutivum concinnabat, quod præ aliis omnibus remediis commendatiſſimum, & in ſummo pretio habebat adverſus peſtes, intermittentes febres, adjiciens eſſentias aloës, myrrhæ, croci, ambræ flavæ, & id genus aliorum, unde pilulas compingebat, dimidii ſcrupuli, aut integri, doſi deglutiendas.

ANTIDOTUS POLYCHRESTOS
Antimonii.

Accipe reguli Martis ſtellati ℔. j. *mercurii in meteoron redacti & eſſenſificati* ℔. j. ß. *pulveriſentur & commiſceantur, retortoq; vaſi imponantur cum recipiente, ſubjiciendo gradatim ignem & genus quoddam gummi cryſtallini, gravis, ſeſe in frigido coagulantis, & calido ſolventis, extillando: quod una aut altera deſtillatione, fæces ſemper ſeparando, rectificabis. Super hunc liquorem toties ſpiritum hydromelitis vinoſi affunde*

funde & cohoba, ut tandem crebris iſtis cohobationibus liquor dulceſcat, ſpirituq́; ſeparato, reſtet in fundo oleum antimonii exquiſitiſſimum ac pretioſiſſimum, multis curandis ægritudinibus, iiſq; graviſſimis aptiſſimum. Quin & domitor eſt tertianarum febrium, quotidianarum, ac inprimis quartanarum, ſi tres, quatuor, quinque aut ſex etiam guttæ, habita virium ægri ratione, exhibeantur. Blandè enim vomitum multis concitat, aliis alvi ſolutionem citra vomitum, eamq́, vim habet, ut radices & ſeminaria mali prorſus eruncet ac evellat.

Spiritus hydromelitis vinoſi ſeparatus, ut ſuprà diximus, accuratè ſervatus, & tandem vitriolica aciditate imprægnatus, ſummum eſt diaphoreticum, & longè ab aliis vulgaribus aliud, ſi doſi dimidii cochlearis aut integri ad ſummum, vel ſeorſim, vel vino aut alio liquore dilutum adminiſtretur.

ANTIDOTUS ISOCHRYSOS Antimonii.

Regulus Martis cum aquila cœleſti in meteora reducatur, & ab acredine optimè abluatur exicceturq́;: tum cum aqua ſtygia Philoſophorum, ex duobus ſalibus ſpiritualibus, ſulphureo & mercuriali, debita proportione & ex arte compoſita, ſolvatur, digeratur, ac tandem per iteratas cohobationes præcipitetur. Ex hoc præcipitato ſpiri-

ſpiritus aquæ philoſophicæ auferantur, in reverberio Athanoris, perpetuò præcipitatum ſpatula ferrea commovendo, donec acquirat flavum aut floris calendulæ colorem: quem ablue cum aqua pluviæ deſtillata. Huic exiccato pulveri affunde acetum Philoſophorum, de quo jam mentionem fecimus, & tamdiu digere, donec menſtruum rubino colore tingatur, relictis quibuſdam fæcibus albis in fundo. Menſtruo per cineres ſeparato, remanebit in fundo pulvis leviſſimus, rubri coloris, denuò per duas tréſve horas ſub craticula reverberandus: cui tum demum, ſi aquam vitæ juniperi affundas, atq; ex arte digeras, ferè totus pulvis in tincturam convertetur rubicundiſſimam & admirandarum virtutum, vel ipſi auro potabili, aut ejus tincturæ æquiparandam. Apoſtemata interna omnia ſine noxa aperit atque curat, ſanguinem concretum diſſolvit, corruptumq; purificat: ad lepram, ſcrophulas, luem veneream, peſtem, infinitosq; alios morbos præſentaneum remedium: imò ipſum hominem renovat, & ſanum diutiſſimè conſervat, doſis guttulæ vj. vij. viij. x. cum vino vel alio liquore bis in die, juxta morbi neceſſitatem.

ANTIDOTUS LYSIPONOS,
ſeu Anodynum diaphoreticum Antimonii.

Accipe reguli ℔. ß. *ſalis nitri cum ſulphure*

aut

aut floribus ſulphureis, ut artis eſt, purificati & vitrificati ℔. j. *reducantur in pulverem, & optimè miſceantur, & crucibulo indita ponantur in igne circulari, ignem augendo per gradus, eumq́ crucibulo ſenſim admovendo, donec omnis materia fluxerit, inſtar metalli fuſi. Tunc vel ferrum candens, vel carbonem ardentem injice, ut ſal comburatur: Remanentiam exime, dulcifica exicca, & cum æquali ſalis prædicti parte ſecundò uratur, dulcificetur & exiccetur, idem opus tertiò repetendo: Relictum pulverem vaſi vitreo fixatorio benè occluſo inditum, per quatuor quinquéve dies in igne fixationis fove, dando ignem per gradus, donec vas tandem igniatur, & pulvis anteà albus acquirat calendulæ colorem: quem tandem cum aqua vitæ juniperi correctiſſima, in vaſe benè occluſo, circulabis per aliquot dies: poſt exime materiam, & affuſa ter quaterq́ nova aqua vitæ juniperina, ſemperq́ accenſa, à prædicta materia exuratur, ac poſtremò benè exiccetur.* Doſis à ℈ ß. ad ℈ j. cum vino optimo vel aqua convenienti.

Eſt hæc antidotus verè λυσίπονος, omnes dolores ventriculi, inteſtinorum, uteri, à quavis cauſa ſubortos ſolvens & ſedans, ſi cum vino vel aqua chamæmeli exhibeatur. Ulceribus renum, veſicæ & uteri: item depravatæ menſium excretioni, fluxuiq; muliebri admirandum remedium: quod cum vino, juſculo

aut

aut alio convenienti liquore miſceri poteſt; vel cum mucilagine gummi tragacanthæ, bis tervé in die exhiberi. Eodem modo exhibitum peſtilentibus omnibus affectibus, itemque febribus intermittentibus ſummoperè conducit. Sanguinem enim per ſudores, & per inſenſilem plerunq; tranſpirationem, purificat & repurgat, vitæq; noſtræ balſamum balſamica ſua vi inſtaurat, totumq; hominem renovat.

Eadem planè methodo, cum regulis ex omnibus metallis, ſive conjunctim, ſive ſeparatim factis & præparatis, itemq; cum antimonio crudo, vel ex arte calcinato, vel cum ejuſdemmet floribus, tùm albis, tùm rubris procedendum eſt, ad antidotum illam lyſiponum, vel diaphoreticum Antimonii anodynum, remedium illud admirabile concinnandum ac præparandum: quod à chymico perito tentari ac probari, ad multorum ægrorum ſalutem facillimum fuerit: ſed ab imperito difficillimum, atque id potiùs pernitioſum, quàm ſalutare.

His floribus Antidotorum ſuaviſſimarum Antimonii, ex Antidotarii noſtri ſpagyrici horto decerptis, contenti erimus, ut in hanc arcam inſereremus, ac quatuor his graviſſimis morbis, de quibus agimus, adaptaremus: qui quidem ubiq; merentur implantari, ob præ-

præſtantiſſimas ſuas virtutes, & adverſus omnes affectus in univerſum efficaciſſimas ac potétiſſimas, (ut jam ſatis ſuperq; docuimus.) At hæc remedia ab omnibus utiq; avidè expetenda eſſent, ut quæ optimè concepta, parata, & adminiſtrata evellere omnia omniũ morborum ſeminaria, utcunque graviſſimi & deſperatiſſimi ſint affectus, & radicitùs extirpare poſſint.

Sed hæc ſatis ſint, quæ huc cõtulimus: quadraginta præparationes & compoſitiones ejuſdem antimonii, easq; elegantiſſimas ac potentiſſimas, Antidotario noſtro aſſervamus, quales ſunt tincturæ, quæ ex toto ejus corpore extrahuntur citra ullam divulſionẽ, ex ſententia Paracelſi: Arcana, magiſteria, eſſentiæ, olea, balſama, & aquę vitę omnis generis: quæ varia ac diſtincta ſunt remedia ipſius antimonii, variis etiam & diſtinctis morbis congrua, cùm internis, tùm externis: ut fusè in Antidotario noſtro docebimus: ubi etiã methodum mercuriorum ejus educendorum & regulorum deſcribemus. Quin & varia illius ſulphura, ſalia diverſa, flores varii generis, unde infinita parantur remedia purgantia, vomitum concitantia, ſudores moventia, urinas provocantia, corrigentia, revellentia, mundantia, corroborantia, omnibus deniq; curationum ſcopis inſervientia, nequaquam prætermittemus.

mus. Quod diſertè hoc loco decantamus ac prædicamus, ut oculis ſubjiciamus, quæ quãtæq; ac quàm admirandæ virtutes in hoc antimonio deliteſcant, Antiquitati incognitæ.

Si utiq; ex Græcis, Arabibus & Latinis Galenus, Rhaſis, Celſus & alii magni ac celebres viri, qui alium ſibi ſcopum, quàm publicæ utilitatis & artis ſuæ ornandæ ac locupletandæ, nullum propoſuerunt (in quo magnam promerentur laudem) nunc eſſent ſuperſtites, & tot oculis elegantes remediorum flores cernerent, naribus odorarentur, & manibus palparent: quantâ, Deus bone, lætitiâ raperentur, quantaq; induſtria in hortis ſuis ejuſmodi ſemina & flores foverent, excolerent, & augerent, ut ex eis fructus amœniſſimos ac utiliſſimos humanæ Reip. decerperent ac conferrent: bonorum agricolarum ac œconomorum fidem ac diligentiam imitantes, ut omnia referrent ad utilitatem communem & hominum ſanitatem bona fide, nulla privati commodi habita ratione, quemadmodum malæ mentis homines: quales ſunt quidam hodierni Cenſores, qui probos agricolas ſe confingunt ac ſimulant, quùm ne leviſſimũ quidem ſtipitem aut radiculam peritè eruncare poſſint: ut qui lolium tritico, & roſis carduos anteponant: quiq; hoc unum in votis habent, ut potiùs metant, quàm ſerant: alacres ad rapiendum,

dum, ad erogandum quàm ſegniſſimi & illiberales, privatis commodis addicti, utilitatis publicæ contemptores: quiq; ex aliorum vituperio gloriam aucupari perpetuò ſtudent. Quibus non alius utiq; finis expectandus eſt, quàm qui fuit Icari, qui inſolenti audacia ac ſuperbia ferox, majora viribus aggreſſus, & altiùs in aërem, quàm ferebat ejus induſtria ac facultas, delatus, tandem in gurgites & barathra præceps deturbatus eſt. Sed ejuſmodi homines quæſtui tantùm inhiantes, ſuis erroribus permittamus: inclament & inſultent, quãtum volent, in remedia chymica, ſplendorem tam pręſtantis medicinæ latratibus ſuis cõvellere obnixè contendant: quid quàm fruſtra omnia tentent, & dedecus ſibi potius conflent, quàm vel tantilla nota aut nævo illam aſpergãt. Sed pergamus, quæ noſtri ſunt officii partes explere, & utilitatem publicam indefeſſo ſtudio, quantum in nobis fuerit, promoveamus. Proponamus igitur & deſcribamus chymica alia remedia, quæ his quoque morbis, quorum curam perſequimur, nativa ac ſpecifica proprietate præſentiſſimè ſuccurrunt. Ea ex mercurio Solis & Lunæ mutuabimur, quæ inter metalla eorumque medicas facultates, principatũ nullo negotio obtinent. Quæ autem ex illis remedia huc adferemus, ea ex Antidotario noſtro ſpagyrico, ut pleraque alia,

Dd 2 rur-

rurſum educemus, quæ tamen brevi, favente Deo, ei ipſi opportunè vel cum fœnore etiam reſtituemus.

Caput XXXII.

De Sole & Luna.

Veterum ſententia.

GAlenus cæteriq; Græci authores parùm in auri & argenti cognitione verſati fuerunt, ut ex iis aliqua eruere remedia norint. Licet enim Galeno Antidotus de margaritis, & lætificans Galeni, ut vocant, quæ aurum & argentum excipiunt, arrogetur, iniquè tamen id fit: ſiquidem multa in illis ſimplicia ingredientia deprehendere liceat, quæ ætati Galeni incognita fuerint, ut ſagaciſſimè notat Fuchſius in Antid. è margaritis, quam Nic. Myrepſus ei adſcribit lib. de Antid. c. 38. & Adolph. Occo celebris Medicus Augſpurgenſis in Auguſtano ſuo medicamentario in compoſitione lætificantis, ſub nomine Galeni, obſervavit: quam adulterinam eſſe, & falsò à Nic. Myrepſo illi adſcriptam, judicavit. Quin & ipſe Galenus li. 9. de medicamentorum facultatibus, cap. de medicamentis metallicis, nullam auri aut argenti mentionem addit. Unus Ægineta de re med. lib. 5. cap. 8. de ſcorpii plaga, Argentum ſcribit plagæ aut ictui ejus appoſitum prodeſſe præter opinionem. Et Aëtius miratur tantum, quî deglutitum aurum medicari

dicari & opitulari poſſit! Itaq; duo illa metalla in medicos uſus aſſumpta, & in antidotos relata ex officina Arabica prodierunt, qui primi eorum medicamentis aptandorum inventores fuerunt. Quod ex ipſo Nic. Myrepſo videre licet, variarum Antidotorum hinc inde conſarcinatore & rapſodo, qui præcipuas & præſtantiſſimas, utpote corroborationi viriũ idoneas, & graviſſimis quibuſvis morbis curandis efficaciſſimas in ſuum commentarium tranſcripſit: à quibus aurum & argentum in foliola aut ramenta, citra ullam aliam præparationem redacta excipiuntur, ut legi poteſt in aurea Alexandrina, in Diacammero, aut (ut in Auguſtano medicamentario ſcribitur,) in Antidoto de lapide Radiato aut Lazuli juxta Meſuem, qui ejus ſibi inventionem arrogat, quam & alibi etiam, ut nos, confectionem alkermes vocat, nec à noſtra differt, quàm reſtitutione quadam in meliorem ſtatum compoſitionis à noſtris præſtitâ. In Antid. Argyrophora dicta, Antid. è ſapphyro, Antid. ad cardiacos, ad melancholicos omnesq; cordis affectus, quemadmodum & in utrumque electuariũ de gemmis calidum & frigidum duo illa metalla admittuntur à Meſue: nec non aurum in confectionem cardiacam Alexandri Bened.

Hinc conſtat metallorum aliquem fuiſſe u-

ſum apud Antiquos, ipſaq; in multis, iisq; præclariſſimis Antidotis & compoſitionibus, uſurpata: quarum aliæ adhuc nunc vigent & in uſu ſunt quotidiano, ad corroborationem virium: quarum tamen, ut diximus, Græci caruerunt cognitione: nec aliis earum concinnandarum methodus, ut neq; condiendorum melle aut ſaccharo ad ſaporis ſuavitatem medicamentorum ratio, quàm ſolis accepta ferenda eſt Arabibus. Primi enim omnium poſterioris ſeculi Medicorum de virtutibus pretioſorum lapidum, auri atq; argenti, tractarunt, quas ex ſplendore & puritate eorum agnorunt nō eſſe potentiſſimorum affectuum ſteriles: ut ex Raſe, Serap. aliiſq; Arabibus cognoſci poteſt.

Avicennas ipſe, quem inter celeberrimos recenſemus, hæc de auro ſic ſcribit lib. 2. tr. 2. *Aurum*, inquit, *natura eſt æquale & ſubtile*: cumque de virtutibus ejus & operationibus verba facit, addit: *Limatura ejus ingreditur in medicinas melancholiæ, & melius cauterium ac velociùs ſanabile eſt, quod fit cum cauterio auri. Retentio ipſius in ore removet fœtorem oris, & ingreditur limatura ejus medicinas alopeciæ & tyriæ liniendas, & iis immiſcetur quæ bibuntur, confortat oculum in alkool poſitum. Confert doloribus cordis, & tremori ipſius, & malitiæ animi, & ei, qui ſolus loquitur.* Et in libello de medicinis

dicinis cordialibus tr. 7. hæc quæ ſequuntur, ipſemet ſcribit Avicennas de auro & argento: *Aurum judicatur*, inquit, *inter judicium argenti & hyacynthi, & eſt quidem infra hyacynthum, & ſupra argentum, cujus quidem complexio temperata eſt, aliquantulum vicina colori, & eſt ejus operatio à proprietate.* De argento autem ſic loquitur: *Argentum aliquantulum eſt frigidum & ſiccum, & ejus quidem effectus ſimilis eſt effectui hyacynthi, hoc excepto, quòd multò eſt debilius illo.* Quam verò proprietatem Avicennas hyacyntho tribuat, ut intelligamus, ſubjicit quæ ſequuntur eodẽ lib. paulò pòſt: *Hyacynthus temperatus eſſe videtur. Ineſt autem ei proprietas lætificandi & confortandi cor, & fortiter obviandi veneno: & hæc quidem proprietas eſt virtus, non ſuis attribuenda componentibus: ſed manat ab ipſa eo modo, quo ex magnete emanat virtus, per quam magnes attrahit ferrum è longinquo. De his autem, quæ in cõſideratione hyacynthi perſuadere oportet, eſt ut inconveniens eſſe dicatur, calorẽ naturalem agere in hyacyntho, cùm ſumitur intra corpus, transmutationem & diſſolutionẽ atq; commixtionem ejus ſubſtantiæ, cum evaporabili ſubſtantia ſpirituali, quemadmodũ agit in croco & ſimilibus. Et in ſumma incongruũ quidem eſt, quòd dicatur, quòd hyacynthus in forma ſua ſubſtãtiali patiatur à naturali calore, & exinde poſtmodum ejus*

opus manifeſtari. Etenim ejus ſubſtantia quemadmodum patet ſenſui, valdè eſt ab hujus paſſione remota. Videtur ergò, quòd naturalis calor nec imprimat in ſubſtantia, nec in accidentibus formæ ſuæ inſeparabilibus: ſed ſolùm in ubi ejus, & loco & qualitatibus ejus accidentalibus. In ubi quidem, & loco, quia facit ipſum cum ſanguine penetrare, uſq; ad partes cordis. Quapropter cùm afficitur propinquiùs paſſo, fortiùs imprimit ſuum effectum. In qualitatibus quidem, quia calefacit ipſam hyacynthum: De natura verò calefactionis eſt, ut manifeſtet proprietatem, & excitet virtutem. Secus apparet in carabe: ipſum enim quando debilitat, paleam trahere videtur: fricatur quidem donec caleſcat, poſt hoc apponitur palea, & attrahit ipſam velociter. Et videtur ergo, quòd ultima impreſſio naturæ noſtræ, vel caloris naturalis noſtri in hyacyntho ſit iſta: & quòd actio ſit additio manationis ex eo ad illud, ad quod ſit manatio naturaliter, & additio appropinquationis, &c. Hæc Avicennas.

Hinc cõcipi poteſt ab exemplo de hyacyntho, quid Avicennas aliiq; Arabes judicaverint de natura & proprietatibus auri & argenti, dum vult tandem cõcludere, calori naturali nullam ineſſe agendi poteſtatem in hyacynthum introſumptam, nec tranſmutandi & diſſolvendi ejus ſubſtantiam. At ea permanet, ut eſt in ſubſtantia vaporoſa & ſpirituali, quemadmo-

admodum ſupradictus calor agit in crocum, aut aliud quid ſimile. Quod quidẽ illi, aliiſq; omnibus concedimus, qui aurum, argentum, ſapphyrum, hyacynthum, & reliquos pretioſos lapides in tenuiſſimum pulverem redactos propinant, quos vel utcunq; ſubtiliſſimè tritos, atq; ſic intus aſſumptos, ne ſic quidem calor naturalis noſter domare ac diſſolvere queat: attamen & metalla & pretioſos lapides, ſi in calcem philoſophicam, eſſentias, magiſteria, olea, liquores aut tincturas adducantur, (in quem ſcopum tendunt Hermetici, ut corpori humano cedant in medicamenta) facilè naturalis calor noſter atterat, concoquat & edomet.

At nunc tempus eſt, ut Hermeticorum ſententiam aperiamus, atque ut elegantes ac varias præparationes & operationes, diverſaq; remedia, quæ illi tum ex auro, tum ex argento extraxerunt, in medium proponamus.

Videamus igitur quid de iſtis ſcribat Paracelſus, quæ peritus Doctor ac æquus lector conferat cum antiquorum ſcriptis, eaque ſimul ad incudem revocet, ac de iis judicium ferat, pronuncietque maturo judicio, penes quam utriuſq; partis inclinet victoria, & quæ ſcopum propiùs attigerit.

Primo igitur loco hæc ſunt, quæ in genere de metallis craſſa ſua materia indutis ſcribe-

lib. de compoſ. metall. in principio. bat Paracelſus: *Metallorum uſus citra noxam in medicina nõ eſt, niſi prius comminuantur, alterentur, & naturâ metallicâ depoſitâ, in aliam eſſentiam tranſmutentur. Parum etiam ex iis effectum ſperes, ſi non præparatio, quam alchymia docet, applicationem præceſſerit, id eſt, ſi ante in ſua arcana, olea, balſama, quintas eſſentias, tincturas, calces, ſales, crocos, & his ſimilia, redegerit & ægroto adminiſtraverit.*

Genuinus metallorum uſus. Hinc conſtat, omnes illas Antidotos & electuaria corroborantia, quæ aurum, argentum, pretioſoſque lapides in pulverem crudum tantùm redactos admittunt, ab Hermeticis repudiari: ſiquidem iſta ſic parata ventriculis auro & argento tantùm incruſtandis ac obducendis proſunt: cùm Hermeticæ præparationes in eſſentias, magiſteria & tincturas adductæ longè nobiliores effectus edant.

Sed cùm hîc de auro & argento privatim agamus, videamus, quid Hermetici, ac inprimis Paracelſus, de iis tradant, quid de illorum virtutibus & præparationibus ſcribant: poſtea quid ex noſtris hortis effloreſcat, ut laboribus etiam noſtris fruantur omnes, quos univerſo populo conſecravi, docebimus.

Singula creata naturâ tẽdunt ad perfectionẽ. Ea omnia, quæ naſcuntur ac intereunt, ut volunt Hermetici, ſuam habent progreſſionem ad ſummũ perfectionis gradum, in quo ſcilicet nulla eſt amplius elementorum contrarie-

trarietas, vel deſtructionis cauſa. Iſta elementorum adæquatio, vel naturarum uniformitas, omnium eſt nobiliſſima & perfectiſſima, adeoq; omnium creaturarū nobilitas & perfectio. Talis uniformitas, quæ ſubſtantia eſt omnibus elementis æqualis in uno auro præſertim ineſt, in quo propter hanc elementorum adæquationem, nulla poteſt contingere diminutio ſeu deſtructio, ita ut jure etiā poſſit omnium gemmarum & corporum clarificatorum dici materia: & propterea aurum etiam adeò perfectū eſt, ut illo nihil perfectius aut nobilius reperiatur: *uni enim nil deperit auro, &c.* ut ſcribit Augurellus. Hæc autem auri perfecta natura accuratè cōſideranda eſt. Ea enim eſt omnibus elementis æqualis & uniformis, ut dictum: duplicis tamen naturæ, ſpiritualis ſcilicet, ſeu aſtralis, formalis, volatilis, & corporalis, materialis & fixæ. Utraq; ſummo ſtudio inveſtiganda eſt, ne in tam amplo labyrintho erremus: ſed ut veram magnæ veræq; medicinæ, & veri ſeu uberrimi elixiris materiam, quæ præſertim in ſola natura & ſubſtantia ſolari conſiſtit, eruere queamus.

Summa perfectio in auro.

Cùm autem hoc præſertim nobiliſſimum corpus, compactiſſimæ & firmiſſimæ ſit ſubſtantiæ: abſq; apertione & fractione aut ſolutione illius nihil boni præſtare poterimus. Nam cùm natura in hoc corpore perfectionem

nem

Digitized by Google

nem attigerit, atque idcircò ab ejus ulteriore operatione quieta ceſſet, arti commiſit induſtriã ſuam, quâ aliquid adhuc perfectius huic corpori tribuat. Idcircò incipit ars, ubi deſinit natura, quæ nullum ſibi alium proponit ſcopum, quàm & perfectionem illam auri auctiorem reddere, & eam ex materiali corpore eruere, ut ſpiritualem, aſtralem, & aëream reddat, medicinæ univerſali ad omnes corporis humani affectus profligandos idoneam. Quæ quidem ſic arte reddita medicina, infinitis tùm demum virtutibus cumulatur, quæ alioqui in craſſa ſubſtantia ſopitæ languebant, ſimilisque redditur grano, quod numero, poteſtate & viribus (agricolæ induſtriâ) augetur ac multiplicatur: qui non tantùm terram ſuam aratro proſcindit ac præparat, at eam fimis imprægnat, ignem nitroſo ac calore ſulphureo gravidis & potentibus, quẽ natura in fimos contulit, ex cœleſtibus derivatum. Sic ars in auro operatur, eandem aut ſimilem induſtriam conferens, quam ſementi ſuæ agricola. Ea autem variis naturæ ignibus internis utitur in ſua operatione, quorum virtutes in digerendo & vivificando poſitæ ſunt, quas novit artifex externo igne excitare, eoque omnes coctiones imitari ac perficere, quas natura in ſuis operationibus adhibet, ut maturitatem & perfectionem rebus

Vivificatio auri.

rebus omnibus, quas producit, conciliet.

Sic mundus & elementa ejus, ignis interventu tranſitura ſunt atque etiam renovanda, & à priſtina forma in cryſtallinam longè perfectiorem, puriorem & nobiliorem, ac in æternum durabilem commutanda ſunt. *Renovatio mundi.*

Ars quoq; cùm in ſuis operibus variis ignibus utatur, quatuor organa aut inſtrumenta ad artificium ſuum complendum adhibet, ſolutionem nempe, aut putrefactionem, qua aurum in primam ſuam naturam ac materiam reducit (alioqui perpetuò aurũ tantùm manſurum inutile) qualis tum primùm erat, quùm exorſa eſt auri cõfectionem natura, eam ſemper ad perfectionem uſque ſummam promovendo. *Quatuor artis inſtrumenta.* I. Alterum inſtrumentum ſublimatio eſt, cujus ope ars, ex ipſo corpore ſoluto & aperto, ſpiritum, animam & tincturam, vires & virtutes, quæ in ipſo auro deliteſcebant, extrahit ac ſegregat. II. Tertium calcinatio eſt & Phyſica digeſtio, qua ſpiritus & anima cum corpore in unionem revocantur, ita ut ex trinitate partium fiat rurſum totius unitas, nec non conjugium arctiſſimum, ac indiſſolubilis conjunctio. III.

Quartum organum artis fixatio eſt, qua tres illæ diſtinctæ partes ſic unitæ, uſq; adeò in ſeſe vinciuntur ac conſtringuntur, ut nulla partium amplius fieri queat divulſio. Sic utique IV.

aurum

aurum ſpecie mortuum, in vitale, vegetale ac prolificum aurum immenſæ virtutis convertitur: ex cujus ſemine ſi vel granum exhibeatur, miras affectuum curationes in ſanitatis corporis humani conſervationem, ac vitæ productionem oſtendet.

Atque hæ ſunt generales Hermeticorum in naturam proprietates ac facultates auri ſpeculationes; quæ quidem longiùs progrediuntur, & majoris momenti ſunt, quàm Dogmaticorum ratiocinationes, ut pleriq; omnes ſanæ mentis homines judicare ac concipere facilè poſſint.

Sed ad particulares eorundem Hermeticorum contemplationes, quas ſcriptis mandarunt, docuerunt ac experti ſunt de proprietatibus, virtutibus, nec non variis ac magnis operationibus, præparationibus, & infinitis remediis, quæ ex auro eliciuntur, deſcendamus: & prætermiſsâ longâ illâ ac innumerâ Hermeticorum, virorum alioqui celebrium, ſerie, qui hoc argumentum tractarunt, & in ipſum quàm fœliciſſimè operati ſunt, unius Paracelſi ſcripta intueamur, quibus facilè omnibus, vel maximè invidis hominibus ſatisfiat, nec non pertinaciſſimis ac pervicaciſſimis quibuſdam Cenſoribus mirabilia videnda ac ſtupenda exhibeantur.

Aurum, inquit ille, lib. 12. de tranſmutatione

tione rerum naturalium, pag. 308. & lib. de renovatione & reſtauratione, pag. 107. *corpus hominis ad ſummam ſanitatem reducit, omnes morbos curat & tollit, omnes colores reſtituit, inſtaurat, renovat.* Et lib. de vita longa, tom. 6. pag. 126. *Aurum præſervat à lepra,* 7. tomo. *Aurum ex univerſis elixiriis ſummum ac potentiſſimum eſt, corpus ſervat, & liberum reddit ab omni ægritudine, neque id corrumpi ſinit: corrigit enim ac emendat quicquid non eſt ſincerum.* Eodemmet tomo lib. 3. de vita longa, pag. 173. 134. de auro loquens, eiq; tot tantasq; virtutes ac proprietates tribuens, non quidem illi foliato, aut in limaturam comminuto, prout craſsè veteres illo uſi ſunt, ſed philoſophico, hoc eſt, craſſa ſua materia, vario artificio ſpoliato, & ad ſummam ſpiritualitatem adducto, ut fiat medicamentum multis ac variis, iisq; graviſſimis morbis idoneum, eademmet verba profert.

Porrò ex auro varias docet elici præparationes: atq; ex illo (ut & idem de Luna reliquisq; metallis) tria propria eruit:

Vitriolum nempe ſolis, quod ſal ejus eſt,
Sulphur ſolis,
Et Mercurium ſolis.

Dein ex illis tribus principiis, vel conjunctim, vel ſeparatim varia remedia parat, ut:

Arcanum auri ſimplex,

Arca-

Arcanum auri vitriolatum,
Crocum ſolis,
Magiſterium ſolis,
Liquorem ſolis,
Quintam ſolis eſſentiam;
Elixirium ſolis,
Balſamum ſolis,
Aurum potabile,
Tincturam ſolis.

Vitr. ſolis. Proceſſus ac verus extrahendi vitriolum auri modus docetur tomo 6. lib. de morte rerum naturalium, pag. 291. Ibidemq; methodũ ex-*Sulph. Solis.*plicat educendi ſolaris ſulphuris: virtutesque utriuſq; docet, eſſe diaphoreticas, diureticas, mundificantes, ex quibus multa eliciuntur remedia, variis morbis opportuna.

Mercurius Solis. Ut autẽ Solis mercurius ſeparetur ex auro, & in primũ ens ſuum reducatur, primamq; radicem, proceſſus ac methodus docetur eodẽ tom. p. 291. 437. Ex quo mercurio ſolari varia præcipitata parantur, aliaq; remedia præſtantiſſima purgantia & ſudorifica, veri ſcrophularum, luis venereæ, morphæarũ, & id genus aliarum ægritudinũ, ex maſſa ſanguinis inquinata ac corrupta proficiſcentium, domitores.

Ejuſmodi remedia parva admodum quantitate exhibentur intrò ſumenda, eaque in pulverem vino aut alio liquore dilutum, aut in pilulas ex conſerva aliquą formatas.

Arca-

Arcanum auri ſimplex deſcribitur ab eodem tom. 4. pag. 362. quod caduci morbi ſpecificum ac peculiare remedium eſſe docet: nec non omnibus maniarum ac melancholiarum generibus opportuniſſimum, doſi dimidii ℈. aut circiter. *Arcanũ Solis ſimplex.*

Arcanum auri vitriolatum, iiſdem morbis, ſed præcipuè epilepſiæ aptiſſimum, deſcribitur tomo 6. pag. 160. cujus doſis eſt quatuor aut quinq; granorum tantùm. *Arcanum Solis vitriolatum.*

At croci ſolaris conficiendi ratio habetur eodem tom. 6. pag. 440. Quæ quidem remedia omnia per ſudores operantur, nec, etſi magnos alvi fluores concitent, idcircò centra morborum petere & pervadere deſinunt, ex quibus balſamum vitale recreando ac corroborando radices & primas mali origines extirpant, ac fontes exhauriunt, modo naturæ tantùm, non nobis cognito. *Crocus Solis.*

Quomodo verò magiſterium Solis paretur, docetur tomo 6. lib. 6. de magiſt. & lib. 3. archidox. de Elementorum ſeparationibus: atq; hæc vera panacæa eſt, & adverſus omnes morbos vel deploratiſſimos, quales ſunt lepra, ſcrophulæ, malum mortuum, morphæa, exanthemata, variolæ, lues, epilepſiæ, apoplexiæ, paralyſes, contracturæ, & id genus alia, præſentiſſimum auxilium. *Magiſt. Solis.*

Formula ac compoſitio liquoris auri deſcribi- *Liquor Solis.*

ſcribitur tom.3.lib.2.de viribus membrorum. In contracturæ cura nihil altius, nihil laudabilius eſt liquore auri, & liquore mumiæ, ut ſcribit idem Paracel. lib. 2. de tartaro, tract. 1. pag. 278. Eodem quoque libro & tract. pag. 287. idem author hiſtoriam refert cujuſdam hominis, cujus nomẽ exprimit, qui per quinquennium integrum contracturâ ac paralyſi membrorum perculſus,intra novem dies priſtinæ ſanitati prorſus hoc auri liquore reſtitutus eſt. Multis aliis locis deſcribitur idem liquor, quos brevitatis cauſa omitto.

Quint.eſſen. Solis. Quinta eſſentia auri dicitur, quando à corpore Solis quædam ſpiritualis & rubina eſſentia ſeparatur, in qua omnis virtus ineſt, tomo 4.pag.106. Exhibetur in curationem variorũ morborũ ſemel aut bis in die ex vino aut decoctione congrua, doſi 5.6.aut 7.granorum.

Elixir Solis. Modus elixiris ſolaris conficiendi, ejusq; virtutes ac proprietates in morbos etiam deſperatiſſimos traditur tomo 6. lib. 3. de vita longa.

Balſam. Solis. Balſamũ Solis, ejus proceſſus ac ratio proliciendi, cum virtutibus ac facultatibus, explicatur in magna Chirurgia pag. 147. lupis præſertim ac ulceribus phagædenicis & cancroſis medicandis efficax, ſi intrò aſſumatur, & extrinſecùs inducatur, mixtis illius aliquot guttis cum alio balſamo leviore.

Aurum

Aurum potabile & oleum Solis ſine corroſivo, ut habetur tom. 7. li. de Gradibus & Compoſ. pa. 361. *extrahitur cum eſſentia ſalis ex calcinato deſtillata, qui poſtea rurſus ſeparabitur & præparabitur. Tum enim optimum aurum potabile efficitur,* tom. 7. lib. de ſale, pag. 148. & tom. 6. lib. de reſuſcitatione rerum naturalium, pag. 398. Hæc ſunt, quæ ab illo dicuntur: *In auro potabili parando, primus gradus eſt, ut aurum fiat volatile, & non amplius poſſit reduci: Huic volatili auro addatur ſpiritus vini, & uterque fiat volatilis.* In eodem met tomo, lib. Theſaurus Alkymiſtarum inſcripto, pag. 398. veri auri potabilis præparatio & adminiſtratio docetur. Itemque tomo 4. lib. de membris contractis, ubi hoc remedium tradit contracturis præſentiſſimum, tanquam verum illarum ſpecificum. Infinitis denique locis hujuſmodi aurum potabile, ejusq; præparationes & uſus ab illo deſcribuntur: vires verò & proprietates eodem tomo, libro de membris contractis enarrantur. *Tanta vis,* inquit, *ineſt auro potabili, ut non ſatis poſſit prædicari. Major enim vis confortandi non reperitur: ita ut per hoc remedium omnes morbi curentur, inprimis ii, qui ſunt in ſummo gradu, cujuſmodi eſt contractura, &c.* Qui plures proceſſus & varios auri potabilis conficiendi modos diſcere volet, conſulat quæ à docto

Aurum potabile.

Digitized by Google

Libavio de eo ſcripta ſunt, lib. Alchym, tract. 1. pag. 93. & 94.

Tinctura Solis. Tincturæ ſolaris præparatio, cum ejus facultatibus ac proprietatibus, ab eodem Parac. exprimitur lib. 2. Chirurgiæ magnæ pag. 146. & 147. his verbis: *Tincturam auri voco ipſius corporis colorem: quem ſi à corpore ſeparaverimus, ut corpus album remaneat, perfectum opus erit. Sunt enim color & corpus res ab invicem differentes, atq; ob id ſeparari ſe patiuntur: hoc eſt, purum (quod color eſt) ab impuro, id eſt, corpore, ſejungi: quod niſi primùm fiat, omnis labor inutilis evadit. Separatione igitur facta, ſtatim ad coloris clarificationem; ac ad ſummam graduum exaltationem properandum erit. Gradus autem, ad quem tinctura exaltari poteſt, quinquies duplus eſt, id eſt, quinquies in bis 24. Nam ſublimior non evadit. Tinctura hæc ſummum in expurgando, renovando, reſtituendo, tum membro affecto, tum univerſi corporis ſanguine myſterium continet.*

Praxis autem iſtius tincturæ proliciendæ, necnon menſtruorum, ſalium nempe & ſpirituum vini præparationes, quæ præcipua ſunt ad hoc artificium inſtrumenta, ſubjiciuntur paulò pòſt, eodem loco expreſſa: cujus tincturæ adminiſtrationes etiam docet eodemmet lib. pag. 154. his verbis: *Adminiſtratio*

tinctu-

tinctura auri, ad tollendam omnium ulcerum radicem, hujuſmodi ferè eſt, ʒ ejus cum ℥ j. theriacæ optimæ commiſcetur: hujusq; mixturæ ℈ j. jejuno exhibetur, & in lecto compoſito ægro ſudor imperatur.

In ſcrophulas, luem, variolas pari modo cum theriaca miſceri poteſt, aut cum aqua theriacali antepileptica xx. aut xxv. guttarum numero ad ℥ iij. aquæ ſuperioris, ſi quis morbus eſt epilepticus expugnandus: aut ad alterius aquæ antepilepticæ quantitatem, ſi paralyſis profliganda: doſin cochlearis unius ad aliquot dies continuos quotidie iterando. Deniq; hæc tinctura variis, iisq; deploratiſſimis morbis curandis opportunè adaptatur, ſi ex rebus ſingulis morbis privatim congruis adminiſtretur.

Jam pridem & ante annos triginta aut circiter, deſcripſimus in libro noſtro de medicamen. ſpagyrica præparatione, cap. de auro, hunc ipſum tincturæ extrahendæ proceſſum, at breviter & obſcurè ſatis apud tyrones & rudes diſcipulos: perſpicuè tamen ſatis illis ſcripſimus, qui in arte chymica verſati ſunt & exercitati. Hæc tinctura, quæ in rubrum colorem ſublimatur ad formam ſtellæ radiantis, ſi philoſophica proportione cum proprio mercurio, ſeorſim etiam extracto, miſceatur, digeratur, & philoſophicè coquatur: evadit

tincturarum omnium nobiliſſima ac præſtantiſſima, ut ſit tinctura etiam tincturarum, & jure medicina medicinarum vocari debeat: cujus vel unicum granum vino dilutum, aut alio aliquo liquore congruo exceptum morborum omnis generis curationi inſervit.

Non dubium eſt mihi, quin naſuti quidam Cenſores hanc auri tincturam rideant, fabulaſque & nugas eſſe clamitent, quinetiam etſi apertè vires operationis illorum & effectus viderint, coganturque ab experientia veritatem illorum confiteri & admittere, tamen non deſinant impoſturarum omnia hæc inſimulare. Sed ſatis eſt mihi, ſi gerronibus iſtis reſpondero, quamplurimos eſſe, eoſque præclariſſimos viros, in Germania præſertim, nec non alibi, imò etiam Principes, qui veritati auri potabilis ſuffragentur ac ſubſcribant, admittantque illius præparationem, qua in liquorem quadraginta aut quinquaginta variis modis per alembicum aurum extillat, ut in corpus amplius nunquam reduci queat: quorum modorum aliquos jam hìc legiſtis, quos ex Paracelſo citavimus: quibuſque veritatem derogare iis ſit nefas, qui vel tantillum in chymicis operationibus verſati ſunt. Hoc ipſum ego, qui vel omnium chymicorum infimus ſum, experientiâ poſſim, cùm libuerit, oculis videndum ſubjicere infra decem dies, extra-
ctam

ctam, inquam, variis modis tincturam auri: nec non in potabilem liquorem, ſupra viginti etiam formas, ipſam redigere: cujus rei ſpondeo me certiſſimam fidem re ipſa facturum, ei, qui ingenuè poſt conſpectum experimentum & rei veritatem, ignorantiā ſuā ingenuè fateri velit, & tam nobilia ac præclara artificia, antiquitati incognita ſuſpicere ac admirari.

Quòd autem varias ac admirandas proprietates auro aſcribant Hermetici, in ſpiritualem naturam, corporeâ relictâ, adducto, ratio eſt, quòd inter naturalia omnia corpora, auri corpus emineat, & alia corruptione ac perennitate ſuperet: idque ratiocinantur majore jure, quàm Hippocrates, & poſt illum Meſues aliique, cùm helleboro, tot venenis ex eorū ſententia implicato, majores curandorum morborum vires, quàm auro potabili, tribuant.

Superiores illæ omnes auri præparationes, quùm ſpiritualem naturā, & aëream ſubſtantiam ei concilient, ipſum idcircò reddunt epilepſiis, apoplexiis & paralyſibus, de quibus hìc ſcribimus, opportunum auxilium, cùm ex aliquo congruo liquore adminiſtrantur.

Unam hoc loco adjiciemus remediorum noſtrorum Solarium deſcriptionē, cujus formula iſtis morbis ſpecifica, certiſſima, ac facilis breviſq; eſt præparationis. Si tamen ænigmatica videbuntur vobis mea verba, non

eſt quòd miremini. Tantum enim tamq; præſtans argumentum aliter, quàm philoſophico eloquio, tractari haud poteſt, cùm ſolis etiam Philoſophis illud dicatum ſit, & eis pervium.

Calcinate philoſophicè ſolem, ad ſupremũ puritatis gradum prius per antimonium adductum, & aquæ ſtygiæ glaciatæ immergite, quæ ex draconis omnivori fontibus hauritur. Ibi Sol paſſurus eſt eclipſin, & ſplendorem ſuum depoſiturus, ac in nigrum, lividum & mortuũ colorẽ ſeſe mutaturus: cujus tamen mortificatio hæc vitæ ipſius initium eſt. Huic igitur ſic moribundo aquam nubium depluito, quâ toties tam diuq; illi faciem abluito, donec ſenſim inclareſcat, & ex fuſco colore paulatim depoſito ſplendidior fiat. Nec quicquam periculi verendum ex crebra illius ablutione, ut neq; ex illius mortificatione. Quò enim magis extinguitur, eò ſplendidiorem vitam, majoremq; gloriam ſibi cõparat ex ſulphureo & ardente liquore fructuum maturorũ juniperi: qui ex Sole vitalem ſuum balſamum & ſanguinem exquiſitiſſimum extrahit, corpusq; ejus album, pallidum, ac tanquam exanime, aut omni ſpoliatum vita, relinquit. Hunc balſamum & ſanguinẽ ſolis vitalẽ ſi crebris cohobationibus ex ſpiritu flagrante Saturni per alembicũ exercueris: exuperantẽ acquiret activitatem ac operandi vim, virtutesq; eximias, quibus balſamũ noſtrũ naturalẽ corroboret, ac potentiorem reddat, ſeſe omnibus

bus ſuis hoſtibus expediendi: cujus doſis ſit quatuor aut quinq; guttarum aut granorum ex aqua lilii convall. aut florum tiliæ adverſus epilepſias & vertigines: ex aqua lavendulæ contra apoplexias, & ex calendulæ aqua adverſus paralyſes ac contracturas.

Sed hunc proceſſum tincturæ ſolis, & auri potabilis idcircò ænigmatica verborum obſcuritate de induſtria involvi: non quòd cælare quicquam velim poſteritatem, aut illi tam egregia myſteria invidere; etſi tamen certus ſum, hoc à quibuſdam Cenſoribus exiſtimatum iri, quibus etiam hæc noſtrà ludibrio futura ſunt; qui tamē aliquando, depoſitâ ignorantiâ, & comparatâ tantorū arcanorū ſcientiâ, faſſuri ſint, me citra rationem hoc non feciſſe: quòd ea ſcilicet non ſint, quæ dicata ſunt doctis, plebi promulganda, & quæ ſunt ſecreta, taliaq; haberi debent, vulgò propalanda. Alioqui enim arcana deſinerent eſſe arcana, & gloriâ ſuâ, depoſito velo, ab indignis & profanis hominibus exuerentur ac proculcarentur. Sic Pythagorici, aliiq; id genus Philoſophi doctrinā ſuam numeris velarunt: Lulliani primariis literis Alphabeti, quæ muta ſunt omnia, & docendo nihil docentia ſua tradunt: nunquid majore jure & ratione, voces draconis omnivori & aquæ ſtygiæ conglaciatæ, ex ejus puteis hauſtæ, aliarumq; id genus vocum

longè magis omnibus Philoſophis perviarum ac apertarum, quos noſtris myſteriis dignos cenſemus, à me uſurpari liceat?

Virtutes & remedia, quæ ab Hermeticis ex Luna eruuntur.

Priuſquam autem huic capiti finem imponamus, aliquid nobis de Luna aut argento dicendum eſt, ſimiliq; ordine, quem hactenus ſequuti ſumus, docendum, quid de ea, ejusq; virtutibus ac proprietatibus Antiqui ſenſerint, & in quem uſum hoc metallum retulerint, qui medicinam ſpectet: ut ſubnectamus poſtea Hermeticorum ſententiam, qui adyta Naturæ altiùs, quàm cæteri omnes, ingreſſi ſunt, ejusq; ſinum ac viſcera in apertum protulerunt, unde arcana quàmplurima, eaq; admiranda magnâ induſtriâ eruerunt, nobisq; evolverunt.

Scripſimus jam in libro noſtro de medicam. ſpagyrica præparatione, idq; pridem, compoſitiones & antidotos argentum & aurum admittentes: quarum adhuc paulò antè de auro loquentes, mentionem fecimus, ac ſimul docuimus, cui uſui illa eſſent apud antiquos, & cur compoſitionibus inſerta: nec non oſtendimus, Galeni, aliorumq; Græcorum, qui ſequuti ſunt, temporibus illorum in medicina uſum fuiſſe incognitum: atq; ab Arabibus primis in Antidotos ſuas cardiacas ea fuiſſe invecta. Unus tamen inter Græcos Ægineta illo uſus eſt in ſcorpionũ ictus extrin-

ſecus

ſecus plagæ inducto: ſicq; de eo loquitur 5. lib. de re medic. c. 8. de Scorpionis plaga: *Facit ad eoſdem* (ictus ſupple) *& trifolii ſemen potum & ocymi ſemen: Præter opinionem quoq; facit argentum ſtatim plagæ appoſitum.*

Nunc verò patefaciamus, ut metallum hoc non ſecus ac aurum, utq; exactioribus modis ac præparationibus, quàm Græci & Arabes fecerint, ab Hermeticis, elaboratum ac diſſectum fuerit. A quibus ſic exenteratum eſt, & omnibus modis comminutum, ut in impalpabilem naturam, hoc eſt, ſpiritualem, corpus ejus ſublimarint, & quod in eo materiale erat, formale prorſus & incorporeum reddiderint: unde virtutes ejus admirabiles & proprietates agnorunt, aliasq; non minus nobiles ac efficaces, in remedia internorum affectuum vel graviorum etiam, quàm ſint ſcorpionũ ictus, extrinſecus in laminas plagis appoſitum, erui poſſe & elaborari deprehenderunt.

Paracelſus ipſe in ſuis ſcriptis, varias ipſius argenti perinde ac auri præparationes tradidit. Ex eo enim non ſecus ac ex auro vitriolum aut ſalem, ſulphur mercuriumq;, eadem fermè methodo extrahit. Quin & ex illo docet, quemadmodũ ex auro, quatuor elementa ſeparare, tom. 6. pag. 16. de ſeparatione elementorum. *Tria Lunæ principia.*

Nec nõ magiſterii Lunæ elaborandi ejuſq; pota-

potabilis reddendæ artificium aperit, non ſecus ac auri, tom.6.pag.60.

At quùm Luna propriè ac privatim cerebrum ſpectet, ejusq; morbis, ut maniis & melancholiis, epilepſiis, &c. ſpecificum ſit medicamentum, ei adaptatur: ut cordi ex ſua proprietate aurum.

Liquor viridis Lunæ, inquit Paracelſus, *cerebrum confortat & quaſi novum reſtituit.* Proceſſus autem ejus elaborandi exprimitur tom. 3. lib. 2. de viribus membrorum, pag. 7. hoc modo:

Liquor Lunæ viridis.

℞ *Lunæ calcinatæ, q. ſ. cohobetur diebus ſeptē per vinum vitæ: tum calx Lunæ reſolvitur in liquorem tenacem. Hic digeratur in Bal. per menſem unum, tum reſolvitur, & ſuccum viridem repræſentat.* Quicunq; noverint hanc Lunam philoſophicè calcinare, facilè in liquorē hoc proceſſu eam traducent.

Eâ igitur hoc modo calcinatâ ac mortificatâ, quem ſuprà docui de ſole calcinando: ex ea liquoris ſulphurei ſalviæ beneficio, ut auro juniperinus cōgruit, tinctura elicitur ſapphyrica, eſſentia, liquor, & oleum lunæ exquiſitiſſimum ad omnes epilepſias, apoplexias, paralyſes, aliosq; id genus affectus conferens, ſi quatuor guttarum numero ex congrua aqua aut liquore propinetur.

Libavius lib. 2. Alchymiæ, tract. 1. pag. 94. tres

tres modos conficiendi iſtius Lunæ liquoris aut Lunæ potabilis aperit: qui quidem author deſcribit, pariterq́; docet tres ejus in calcem adurendæ proceſſus, eodem lib. & tract. pag. 99.100.

Atq; hæc ſatis de utriuſq; metalli auri & argenti diſſectione, ac interna terreſtrium duorum luminarium eviſceratione, hoc loco dicta ſint, quatenus iis quatuor affectibus, de quibus nunc agimus, conducunt: reliquas eorum proprietates ac varia aliis morbis congrua remedia, aliorumq́; metallorum virtutes ac effectus, in morbis varios excutiendos, rejicimus in Antidotarium noſtrum Spagyricum. In concluſione tandem, quæ ſequuntur de mercurio aut argento vivo, annectemus, ut pateat nihil ab antiquis de hoc metallico individuo ſcriptum nec dictum, niſi per tranſennam & obiter: quòd potiùs ipſum in venenorum catalogum referrent; quàm in pretio, ut exquiſitum remedium, haberent, ejus proprietatum prorſus ignari: at contrà Hermeticos, Præceptorem ſuum ſequutos, (qui ſemper aſſeruit: *Quod eſt ſuperius, illud & idem eſſe inferius*) longè alias agnoviſſe in eo proprietates ac remedia, partes omnes ejus interiores accuratè diſſecando ac revolvendo: in quibus infinita arcana deliteſcere, morbis vel graviſſimis ac deploratiſſimis conferentia,

com-

compererunt: quæ etiã juxta varias illius præparationes, varia eruerunt, ejusq́; infinitas compoſitiones in magnum medicinæ ornamentum tranſcripſerunt, ut ſequenti capite oſtendemus.

CAPUT XXXIII.
De Argento vivo ſive Mercurio.

SEQUENTES ſemper eum ordinem ac methodum, quam in hoc tractatu obſervavimus (præſertim de metallicis auxiliis agentes) ut, quid de illis ſenſerint veteres Dogmatici Mediciq́; celebriores, primò diceremus, ſive de proprietatibus illorum differerent, ſive eorum compoſitiones & uſum in medicinam inveherent; deinde ut apertum vel luſcis etiam, quid Hermetici ſplendoris ac lucis contulerint, faceremus, ac quàm varia ex illis arcana excogitarint, & in magnum Medicinæ decus ac ornamentum eruerint. Primùm hoc loco, quid de eo ſenſerint, dixerint ac ſcripſerint Dogmatici, in medium afferemus, tribuemusq́; illis hunc honoris gradum (ſicut hactenus fecimus) ut priores ſententiam pronuncient.

Veterum de Mercurio ſententia.

Dioſcorides inter veteres Græcos antiquiſſimus ſcriptor, virtutes ac proprietates metallicarum ſubſtantiarum interpretatus, hæc

de

de argento vivo ſubnectit lib. 5. ſui commentarii, c. 70. *Argentum vivum,* inquit, *fit ex minio, quod falsò cinabaris dicitur, in fictilem patinam, ferream concham habentem, minium conjiciunt, calice concham tegunt, argillaq; illinunt, & carbones ſuccendunt. Nam fuligo, quæ calci inhæſit deraſa argentum vivum eſt. Quinetiam invenitur in argentifodinarum tectis in guttas concretum. Servatur in plumbeis, ſtanneis aut vitreis vaſculis. Aliam namq; materiam exeſt.* Et lib. 6. c. 28. idem hæc ſcribit de ejus virtutibus: *Argentum vivum potum eadem procreat, quæ argenti ſpuma, torſiones nempe, inteſtinorumq; dolores: atq; eadem uſurpanda ſunt auxilia. Videtur autem juvare lac epotum in magna etiam copia: ſed pòſt emovendum eſt.*

Oribaſius medicin. collect. lib. 13. tranſcripſit verbum verbo, quæ dixerat Dioſcorides lib. 5. c. 7. de mercurio.

Idem & Actuarius inſeruit iiſdem verbis lib. 5. method. medic. c. 12. ſub finem, proprietatesq; ibi argenti vivi deſcribit, quas priùs Dioſcorides docuerat: nec non etiam in lithargyrii aliorumq; metallorum deſcriptione, eundem Dioſcoridem æmulatur ac ſequitur lib. 6. c. 28.

Ex quibus omnibus liquet, nec ipſum Dioſcoridem, nec poſteros ejus longo pòſt tempore exortos Græcos, unam eandemq; cantionem

tionem ſemper recantantes, magna argenti vivi cognitione imbutos fuiſſe. Nec aliud de eo etiam ſenſiſſe videtur magnus ille Galenus, etſi aliis verbis utitur, cùm ſic ſcriptum reliquit 9.lib.ſimplicium: *Ipſum non eſſe ex ſimplicibus ſpontè naſcentibus medicamentis: ſed ex iis, quæ præparantur, velut ærugo, litharg. &c.* Attamen de proprietatibus ejus idem nihil refert, nec qualitatibus: cùm ingenuè fateatur, ſe nullum unquam ejus feciſſe periculum, neq; quòd interimat, ſi devoretur, neq; ubi admotum ſit. Vel minimus autem tyronum, qui leviſſimam etiam rerum foſſilium cognitionem attigerit, novit, argentum vivum vulgare eſſe minerale à natura productum, in formam liquidam & aquam ſiccam, ut multis in Germania & Hiſpania (unde optimum alportatur) locis reperitur.

Error Dioſcor. Argentum vivum igitur ex minio non conficitur, ut Dioſcor. ejuſq; ſequaces ſentiunt: ſiquidem minium aliud nihil quàm plumbum eſt, vi ignis calcinatum ad rubedinem uſque, quemadmodum ceruſſa plumbi calx eſt altera, vapore aceti prolecta, ut à Monſpeſſulanis ex venere aut cupro vapore vini & racemorum extrahitur calx cupri, viride æris, aut barbarè verdetum dicta. *Miniũ quid ſit?*

Quod ad Cinabarim attinet, pauca etiam de illo ſibi eſſe nota ſatis teſtatur: Cinabrium enim,

enim, quod in officinis Pharmacopœorum proſtat, factitium eſt, ex argento vivo cum ſulphure primùm mortificato, deinde ſublimatione exaltato concinnatum: quod facilè etiam ferè totum in mercurium currentem convertitur, hoc eſt, ut ex lib. I. xiiij. unciæ propemodum exprimantur, ſi, ut in conſilio noſtro de lue venerea docuimus, calci vivæ admixtum ex cornuta aut retorta vi ignis protrudatur: quæ quidem mercurii præparatio longè melior ac exquiſitior eſt vulgari. *Cinabrium.*

Eſt & aliud minerale Cinabrium, formam lapidis rubri referens ponderoſiſſimi, quod variis locis reperitur. Sed apud Marpurgenſes ampla, elegans & ferax illius minera eſt in Haſſia, cujus magnâ ſatis copiam attuli, quam doctiſſimus vir Johannes Hartmannus, in Academia Marpurgenſi Mathematicus Profeſſor, ac celeberrimus Medicus Philoſophusq; mihi donavit. Ex eo Cinabrio non dubium eſt, quin poſſit eo modo, quem deſcribit Dioſcorides, & poſt eum Oribaſius, ſublimatione mercurius extrahi, cujus etiam capax eſt ipſa fodina, copioſiorq; eo modo elicietur à Dioſcoride deſcripto, ex eo minerali mercurius, quàm ex artificiali. Quod igitur minium vocat Dioſcorides, poteſt intelligi de Cinabrio illo minerali, non de minio illo, quod vi ignis potiùs in vitrum vel plumbum reducitur, *Alia cinab. ſpecies ad Marpurgū.*

Ff nun-

nunquam verò in mercurium vertitur, niſi alia methodo, quàm quæ à veteribus tradita eſt, procedatur: quos inde conſtat parùm in rerum metallicarum cognitione ac præparationibus fuiſſe verſatos. Quorum in hac re ignorantiam ſatis ſuperque teſtatur mercurii conſervandi ratio, quam docent: cùm dicunt, vitreis vaſculis, plumbeis aut ſtanneis excipi & cuſtodiri debere: ut qui alioqui vaſa alia omnia exedat: cùm tamen nihil magis voret, quàm metalla illa duo ſuperiùs commemorata, terrena vaſa ne minimùm quidem arrodens, unde eos inſcitè de illo loquutos eſſe veteres, & citra experientiam videre eſt.

Alius error Dioſcor.

Sed in iſtis fruſtrà tempus diutiùs teramus, niſi eo fine, ut pateat non omnia omnibus Antiquis fuiſſe cognita: magnis tamen laudibus illos eſſe celebrandos, ac beneficia eorum erga nos agnoſcenda. Quinetiam & qui ſequuti ſunt, gloriam ſuam mereri, & à nobis gratum animum: quòd quæ ſupra antiquos calluerunt, candidè nobis impertierint, & indies adhuc publicæ utilitati invigilent ac conſulant: nec non ut oſtendamus etiam nunquam Medicinam tantum perfectionis gradum attigiſſe, quin in ſecula & dies ſingulos, incrementi aliquid, gloriæ ac ornamenti poſſit accipere, ut apertè patebit ex hoc etiam mer-

mercurii argumento, de quo nunc agimus.

In quo Ægineta aliquid amplius agnovit, quàm ſuperiores qui præceſſerunt: ſiquidem de quadam mercurii præparatione ac præcipitatione ſcribit, quæ erat in uſu, quæq; intus etiam aſſumebatur: atq; hæc ſunt, quæ docet; *Argentum vivum ad medicum uſum non ita valdè aſſumitur, quùm venenum exiſtat: verùm quidem uſtum ipſum ac in cinerem redactum, aliis ſpeciebus permixtum, colicis & volvuloſis bibendum dederunt.*

Avicennas ipſe cum aliis Arabibus, qui poſt Græcos ſcripſerunt, eos riſit, qui argentum vivum factitium eſſe opinabantur: hujus habuit & cinabrii artificioſi cognitionem, nec non etiam mineralis Priſcis incogniti. Semper enim aliquid lucis rerum veritati, & ejus cognitioni tempus addit, ac ut vulgò dicitur, roſas profert.

Videamus igitur quid ille lib. 2. tract. 2. de illo in formam interrogationis ſcribat: *Argentum vivum quid eſt? Argentum vivum aliud eſt purgatum à minera ſua, & aliud extrahitur ex lapidibus mineræ ſuæ cum igne. Secus ſit aurum & argentum.* Addit: *Et Galenus quidem & alii exiſtimaverunt, quòd ipſum ſit arte factum, ſicut lithargyrium: quoniam eſt extractum cum igne, & quoniam ſubſtantia ejus eſt ſimilis ſubſtantiæ Uziphur. Exiſtimavit itaq;, quòd*

ipſum non fit, niſi ex algenzinpher in vaſe lutato, ſuper quod eſt ignis accenſus & ſublimatus: ſed non eſt ita: imò uzifur (id eſt, cinabrium) fit ex eo cum ſulphure. Deinde poſſibile eſt, ut extrahatur ex eo ſubſtantia argenti vivi.

Qua occaſione Mercurius in uſum Medicum venerit.

Poſt Avicennam aliosq; Arabes novis multis iisq; graviſſimis morbis exortis, ac inprimis horrenda illa venerea lue graſſante, multi iiq; magni viri ac celebres, de hoc morbo tam gravi extinguẽdo, anxiè ſolliciti fuerunt, omniaq; hinc inde meditati ſunt, quibus tam diro veneno tot ſymptomatis ulcerum ac nodorum, puſtularum, cancrorum ac phagædenorum ſtipato poſſent ſuccurrere: in cujus curationem à nonnullis eorum tentatum jam fuerat argentum vivum: atque huic curæ accommodatiſſimũ remedium cognitum: perrexerunt itaque ipſum in uſum admittere linimenti primùm ulceribus inducendi, unde egregios effectus perceperunt, imò præſtantiores, quàm ab ullo alio auxilio fas eſſet experiri: poſtea frictionis, ac demum medicamenti intrò aſſumendi: quod idcircò in pilularum formam Barbaroſſæ dictarum vel crudum etiam exhibitum eſt. Quin & ſunt adhuc hodie Medici, qui eodem argento vivo utuntur crudo, ex theriaca, mithridatio, aut cõfectione Alchermes, cum moſcho, ambra, aut cardiaco aliquo pulvere: unde ſæpè feli-

ces

ces ſucceſſus experiuntur, in ardoribus urinarum, gonorrhæis fœtidis, & puſtulis venereis minùs malignis. Alii ipſum argentum vivum præcipitarunt, & in pulverem variis modis redegerunt, edocti fortè ex lectione ſcriptorum Æginetæ. Deniq; in quaſcunq; formas fuerit paratus & mutatus mercurius, ſingulares ſemper ſuæ virtutis effectus fœliciter prodidit, ita ut à Recentioribus pro veneno, contra veterum opinionem ejus facultatis imperitorum, haberi deſierit: imò ſummis laudibus elatus ſit. Sive enim eo crudo complures noſtri ſeculi celebres Medici uſi fuerint, variis tamen morbis ipſum, citra præparationem etiam opitulari tutò deprehenderunt: quemadmodum magnus ille Braſlavola in examine ſimplicium teſtatum reliquit, ſe crudum etiam infantibus lactantibus & pueris & grandioribus ætate, magno cum fructu argentum vivum exhibuiſſe, cùm morti proximos ex vermium torſionibus illos animadverteret: quibus tamen nulla alia auxilia profuiſſent.

Sed de argento vivo jam plura attigi, ſive crudum, ſive præparatum adminiſtretur: ejusq; in conſilio noſtro de lue venerea proprietates ac virtutes, ex Dogmaticorum etiam ſententia enarravimus. Diutiùs igitur in hoc argumento verſari, & ſententias veterum tum

Digitized by Google

Græcorum, tùm Arabum, tùm etiam recentiorum Medicorum hìc copioſiùs congerere, ſupervacaneum fuerit. Quocirca elegantiſſima illa ac ſumma variaq́; ejus ornamenta, varias præparationes, varia remedia, eorumq́; fœlices adminiſtrationes, quas Hermetici in uſum revocarunt, & adhuc quotidie exhibent, aggrediamur.

Inter omnes Chymicos Philoſophos antiquiores & recentiores, Paracelſus præ aliis ſumma cura & induſtria virtutes, qualitates & proprietates ipſius argenti vivi excuſſit: cujus varios etiam apparatus, variaq́; ac præſtantiſſima adverſus vel deploratiſſimos morbos conferentia remedia docuit: Cujus idcircò conſilium, authoritatem, & operandi modos potiùs, quàm aliorum omnium ſequemur. Attamen inter alia notandum eſt, mercurium variis modis eſſe conſiderandum, vel crudum & qualem natura procreat: quem ſic adminiſtratum noxiorem, quàm ſalubrioré eſſe duco, ut ſentit idem Paracelſus, qui de eo ſic ſcribit tom. 6. pag. 61. *Mercurius crudus tremorem & rigorem in homine facit.* Et eodem tom. pag. 65. *Mercurius, niſi optimè paretur, tùm eoſdem morbos inducit, ſi intra corpus ſumatur, quos efficit extra corpus:* qui quidem ſunt jam antè expoſiti tremores, aliaq́; gravia ſymptomata, ut facilè aurifabri ſeu inauratores, & qui in fodi-

Varia Mercurii conſideratio.

fodinis verſantur, experiri ſolent. Aut conſiderandus eſt mercurius ſolertis Artificis ac Philoſophi manibus paratus, qui arte antiquã pellem exuit, novasq; qualitates ac virtutes induit. Quod idem ſic confirmat Paracelſ. tomo 5. pag. 45. *Mercurius*, inquit, *optimè præparatus eſt naturalis theriaca*, *&c.* Sed hìc plura de argenti vivi natura non diſſeremus, ſive ea ſit frigida, ut nonnulli volunt, ſive calida, ut alii ſentiunt, ſive temperata, ſive ſecus, ſive perniτioſa, ſive ſalutaris, ut variæ ſunt & diſcordes multorum ſententiæ: quemadmodum fusè jam ſatis in Conſilio noſtro de Lue Venerea iſta tractavimus: ubi lector poſſit diſcere, cujus ſit ex mea ſententia naturæ. Quicquid ſit, ſpirituale eſt corpus, aut ſpiritus corporalis admirandæ naturæ: aqua eſt frigida & ſicca extrinſecus: calida verò & humida intrinſecus, utq; poſſit liquefacere, ſolvere & amplecti in ſe metallica corpora (prout aqua marina continet in ſe ſoluta ſalina corpora) homogeneus eſt ſpiritus, cujus vel minima pars mercurius ſemper eſt, perinde ac ejus totum: ut qui vi ignis poſſit quidem avolare, tanquam ſpiritus volatilis, corpus tamen ubique ſuum ſemper retineat volando, utcunque altiſſimè etiam elevetur: nec ullam inde patitur alterationem aut corruptionem, cùm ſummè adæquata ubique in ſua ſomatopſychia elementa habeat,

Natura Mercurii.

habeat, non ſecus ac in Solis pſychoſomatia talia reperiuntur. Quæ quidem elementorum in mercurio adæquatio, tantam illi parit cum Sole analogiam, præſertim cùm uterq; in eſſentiam & ſimpliciſſimam puritatem redactus eſt, quæ prima eorum eſt materia, ut mutuo amplexu avidè ſeſe excipiant, & naturam ſuam invicem communicent, ac in unionem ſummam corporis & ſpiritus vinciantur: ſiquidem alterius ſpiritus ab altero corporalitatem mutuatur: alter verò à ſpiritu, corporis ſpiritualitatem, ut uterq; ſimul fiat & ψυχοσωμάτως & σωματοψύχως.

Solis & Mercurii ſympathia.

Mercurius autem ille tribus modis ex vulgari redditur Philoſophicus, ſublimatione, præcipitatione & deſtillatione.

Ex ſupremis Solis in eſſentiam aut tincturam præparationibus, ſuprà didicimus, quî ex corpore ejus ſolari rubedo quædam virtutibus gravida & ſpirituali tincturâ, ſublimatione per alembicum elicitur, relicto in fundo vaſis albo corpore: haud ſecus ex mercurio in veram ſuam eſſentiam ſublimationis apparato, extrahitur artis beneficio Mercurius eſſenſificatus, ut vocant, à quo variis ſublimationibus & mundificationibus (ſi ita libet) nigredo illius mira abſtrahitur, ut tandem verè homogeneus is & ſplendore ac claritate puriſſima, inſtar cryſtalli perſpicuus emicet: atq;

Mercurius eſſenſificatus.

atq; ſic puriſſimus redditus, & omni pernicie ac veneno exutus, totus tum rapitur miro Solis amore, ut quàm ocyſſimè ipſi advolet, ſi admoveatur, & promptiſſimè ac firmiſſimè illi uniatur, quaſi vi magnetica & proprietatum ac eſſentiarum ſimilitudine Solem ad ſe attrahens, ac ſibi arctiſſimo matrimonii vinculo copulans & devinciens: cùm alioqui ante ejuſmodi illius præparationem, non ita arctè cum auro conjungi poterat, cruditate ſua interpellatus: quòd cum cocta materia crudum, ut volunt Philoſophi, nullum conſortium habeat.

Sic itaq; mercurius præparatus deſinit eſſe vulgaris mercurius: at verus & Philoſophicus tum vocatur, ut qui veri artificis philoſophica manu talis ſit redditus.

Innumeri præſtantiſſimi Philoſophi multùm hujus mercurii præparationi inſudarunt, quam vix aſſequi potuerunt: partamq; variis celarunt figuris & ænigmaticis verbis, tanquam totius operis potiſſimum caput, involverunt, ut profanum vulgus à tanto arcano arcerent. Quod tamen ſperamus aliquando nos patefacturos, vel in Antidotario noſtro ſpagyrico, vel alio aliquo loco opportuniore ac commodiore, ne quid invidiſſe doctis viris videamur.

Arnaldus Villanovanus hoc fundamentum

Ff 5 jecit

jecit præcipui ſui operis, ut conſtat ex lib. d
perfecta lapidis phyſici inveſtigatione, cap. 3

Eſſenſificatus mercurius ex Paracelſi doctri
na tom.6.pag.298. *fit reiteratis mercurii ſubli*
mationibus ex vitriolo & ſale, ac ejus reviviſi
cationibus. Si idem mercurius novies ſublimetur
& toties reſuſcitetur, tum ad ſummam puritatem
eſt perductus, omnemq; vim venenatã, qua ſca
tebat, depoſuit: cujus virtutes tunc immenſæ ſunt
tom.6.pag.299. *Deniq; certum eſt, ſublimatio*
nis artificio argentũ vivũ ad ſupremũ puritati
ac perfectionis gradũ adduci poſſe: nec ideò tan-
tùm, quòd nigris ſuis fuliginibus ac impurita-
tibus exuatur: at potiùs quòd illa ſublimatio-
ne, ſulphure & igne naturæ imprægnetur, à
quo cœleſtes & efficaces proprietates, admi-
randasq; virtutes mutuetur. Unde verè philo-
ſophicus mercurius, & verũ acetũ metallicum
Philoſophorum reddatur ac vocetur: utpote
qui Solem & Lunam tunc in primã ſuam ma-
teriam revocare, & ex corporeis ſpiritualia, ex
mortuis vitalia, cũ eorũ radicalis humoris, ac
virtutũ ſeminalium, ignis ſulphurisq; naturæ
(quod tamdiu celarunt Philoſophi) conſerva-
tione, reddere poſſit. Ignoſcant autem Philo-
ſophi, ſi, quod hactenus miris obſcuritatibus
velatũ eſt, in gratiã rei literariæ aperire cõten-
do, & clariora luce præclaris ingeniis & veri-
tatis ac arcanorũ ſtudioſis afferre; quod & jam
pri-

pridẽ tentavi, & citra ænigmata aut parabolas illis tantùm, non autẽ malignis hominibus & nihil quàm invidiã, odia,& ignaram arrogantiã ſpirantibus,quos nihil hîc moror,expoſui.

Addo porrò, cũ hoc eſſenſificato exaltato mercurio,in aceto philoſophico ſoluto,ubi Sol quoque ſeorſim ſit reſolutus philoſophica ac debita proportione,ſi uterq; jungãtur,poſtea à menſtruo ſeparẽtur, deinde humidi ſegregatione, arte ſublimationis facta ambo exaltẽtur, tùm mercuriũ purpurea ſolis veſte exornatũ iri,Solis vitã & virtutes in ſeſe transferentẽ,unde præſtantiſſimũ oritur magiſteriũ, & admirandũ vitæ elixir ad ſanitatis cõſervationẽ, & omniũ corporũ mundificationẽ perfectã. At Cenſores noſtri irradiantẽ hunc Solem nunquã ſunt perſpecturi, quòd ſopito nimis & tenebroſo cerebro, ingenioq; bruto ac hebete ſint. Maneant igitur iſti homines in ſuis tenebris. Solis enim dicatur hoc lumen, qui ſagaci ingenio & indefeſſo ſtudio huic arti,ſecreta naturæ verſanti incũbunt,indagantque cum quinq; his qualitatibus, oratione videlicet, ſtudio,induſtria,labore & patiẽtia, ad hoc opus neceſſariis. Addo & hoc inſuper,internũ illũ naturæ ignẽ in illo mercurio eſſenſificato latentem,ſiſtere poſſe,coagulare,conglaciare,& in cryſtallinã duritiẽ,uno momento,propriæ ſuæ aquæ metallicæ ac fluẽtis juſtũ pondus,aut circiter,cõpingere; à qua viciſſim

ille ſic extinguitur ac contemperatur, ut contrariis utriuſq; effectis ne minima quidem de ſubſtantia illorum portiũcula depereat, at etiam diminuatur: ita ut hoc artificio, qui ante Draco erat omnivorus, lenis ac ſuavis columba reddatur: Aquilaq; cœleſtis, cœleſtium ac admirandarum virtutum ferax, tum præſertim, quùm ejuſmodi aqua (ut ego quotidie operando experior, qui coctas aquas magis quàm crudas probo ac commendo) ex omnibus ſimul junctis Planetis, aut ex uno ſolo, extracta fuerit: vel etiam ex fonte illo uberrimo, cujus ſcaturigo excelſioribus montibus oritur, uſq; adeò dulcis ſaccharata ac mellita, ut ſimul ac Aquila eum depaſta eſt liquorem, & ad ſatietatem ebibit, hoc eſt, quantum poteſt haurire (quæ nota eſt plenæ ſatietatis) ea, inquam, Aquila, quod non caret admiratione, agreſtem, acerbam, ferocem, mortiferamque ſuam naturam, ſtatim & uno momento in benignam, ſuavem, mitem ac ſalutarẽ commutet: atq; ut paucis dicam, quod fuit antea non inferius venenum viperino, in theriacam tamen theriacarum, hoc eſt, in nobiliſſimum omnium ac præſtantiſſimum remedium convertatur: cujus vires ac proprietates ſunt detergere, mundare, rectificare, repurgare, modò per alvum, modò per urinas, totam ſanguinis maſſam: inſtaurans ac corroborans bal-

ſamum

ſamum noſtrum naturalem, cùm naturam etiam balſamicam in ſe poſſideat. Hinc idcircò lepræ, ſcrophulis, lui, variolis, morphæis, febribus putridis ac continuis, inflammationibus internis, peſtilentialibus affectibus opportunum auxilium eſt, ac tanquam panacæa omnibus morbis profligandis idonea: cujus ne ipſi quidem infantes, nec gravidæ mulieres uſum refugiant: ut quòd etiam omnis generis hominum tuendæ ac conſervandæ ſanitati conducat, ſcrupuli unius doſi, aut etiam majore, ex aliqua conſerva, aut ex cochleari vini, aliusvé congruentis liquoris.

Non me fugit, ô Cenſores, Chymicorum conjurati hoſtes, vix ſuperficiem verborum meorum vobis fore perſpicuam, ac iis, quantum in vobis erit, fidem eſſe pro viribus derogaturos: ſed quid moror iſta, cùm mihi tantùm animus ſit, tam elegantes margaritas in agrum alium longè veſtro cultiorem ac feraciorem immittere ac ſerere, unde meſſis laboribus meis debita certò ſperetur ac expectetur: neque putetis, ſono tantùm verborum meorum aërem verberari, nihil verò ultrà præſtari poſſe: Verum utique eſt & citra mendacium veriſſimũ, quod loquor: quodq; luculento potentiſſimi Principis, cui hoc opuſculum conſecratur, omni virtutum ac perfectionum genere clariſſimi teſtimonio fulciatur:

ciatur: Cujus utiq; unius fides vel ſexcentorũ aliorum teſtimonia ſuperat: etſi ei oculato eorum, quæ dicimus, teſti tres alios celeberrimos Profeſſores in ejus celebri Academia docentes,& ordinarios ipſius Medicos adjungimus,qui ejus mandato & ſtudio,quo flagrabant,cernendæ veritatis ipſis oculis viderunt, & re ipſa probarunt, quæcunq; hîc à me dicta ſunt:iidemq; varia hujus remedii experimenta ediderunt, ut de illius effectis fierent certiſſimi. Quin & ipſe potentiſſimus Princeps in ſe ipſo illius fœliciſſimè periculũ fecit, ut qui ſic & ſuave & jucundũ ac gratum deprehẽderit eſſe purgans medicamentũ, omnes intentiones ac ſcopos ab Hippocrate cõmendatos aſſequutũ, ut citò, tutò, & jucundè operetur.

Mercurius vitæ. Hæc medicina cum aquis & mercuriis duorum luminariũ parata, Arcanũ, magiſterium, elixir ac mercurius vitæ dici poteſt: quibus titulis ipſum inſignit Paracelſus, ſic ſcribens: *Mercurius vitæ*, inquit tom.6.pag.33. *eſt arcanũ & quinta eſſentia: hic præſervat, inſtaurat & renovat hominẽ. Idem hominem ita depurat, ut ungues, pilos,cutim & omnẽ impuritatem tollat:* Eodẽ tom.pa.45.Et eodemmet tom.6.pag.51. *Mercurius vitæ*, inquit, *omnia metalla in primã materiã reſolvit & perficit in homine: omnia membra renovat, quæ in ſenibus ſunt abſumpta, virtuteſq; deperditas reducit.* Cum auro multis in locis ipſum comparat.

Qui

Qui plura videre volet de admirandis virtutibus, quas Paracelſus eidem arcano aut vitæ mercurio aſcribit, legat Archidoxorum lib. 5. de arcanis, cap. de mercurio vitæ.

Sed ſat ſit de præparationibus dictum, quæ per ſublimationẽ aut exaltationem fiunt. Quicunque capiet, quæ à nobis modò ſcripta ſunt, varios præparationum modos aſſequetur, qui pro varietate mercuriorum virtutes etiam ac proprietates variant, ut aliæ ſint Solis & Lunæ præparationum virtutes ac facultates, aliæ plumbi, cupri & ferri.

Nunc verò ad præparationes præcipitati ſuperiorum mercuriorum accedamus.

Qui nos ætate præceſſerunt, parum in anatomia interna mercurii verſati, ipſum primùm calcinarũt, aut juxta Paulum præcipitarunt, & in calcem redegerunt: *Alii quidem ſolo ſulphuris vapore, unde genus quoddam artificioſi cinnabrii cõcinnabant magnæ virtutis, intrò etiã ſumpti. Alii verò ipſum præcipitarunt fortibus aquis vulgaribus, atq; hoc præcipitatũ dulcorarunt crebris ablutionibus aquarum cordialium & vitæ:* unde remedium educebant in curationem luis venereæ, exhibentes ad gr. viij. x. aut xij. aut extrinſecùs inducentes ipſum perfectè edulcoratũ, vel ſolum, vel aliis mixtũ, ut butyro: unde linimentũ formabant in omnia phagedænica & exedẽtia, cacoëtica, virulenta, cancro-

Præcipit. Mercurii.

cancroſa, ac vitriolica ulcera, quod omnia lia virtute unguenta ſuperabat.

Hujuſmodi præcipitatum ſic elaboratu à quodam celeberrimo Medico pulvis Ang licus mercurii, ob egregias ac divinas dote quibus pollebat, vocatum eſt. Mihi tamen hu juſmodi præparationes diſplicent, nec unqu ego mercurii præcipitationes, aquarum for tium vi factas, hactenus probavi, nec adhuc commendo: ſiquidem ejuſmodi aquæ noxiæ ſunt ac exitiales, utpote quæ ſalium ſuorum pernicie ac corroſione præcipitatũ inficiunt, quod à vulgaribus artificibus emendari, corrigi, ac edulcari nequit ut decet, quò ſalubre fiat & fœlix remedium.

Si idem mercurius cum ſpiritibus vitriolicis ipſius vitrioli, aut ſalis gemmæ, aut ſalis communis, aut ſalis petræ præcipitatus fuerit, qui penè omnes eandem naturam poſſident, eoſdemq; ferè aut ſimiles effectus producunt, ſi optimè philoſophico more præparati fuerint: hic inquam mercurius, ſi ex cinnabari artificioſa vel minerali extractus fuerit, ſupplebit mercuriorum corporum metallicorum defectum, quibus caruerit: Iſq; mercurius præcipitatus ita eleganter artificio dulcoratus reddetur & manſuefactus, ut longè lateq; vulgarem viribus ac effectis ſuperet.

Ex eo porrò (loco aquæ fortis communis) ſi ex aqua philoſophica, de qua jam à nobis facta eſt

ſuprà

ſuprà mentio (cujus ſpiritus, faciliùs quàm aquæ fortis ſeparantur) præcipitatum feceris, additis fluxibus tartari & nitri, omnia perfectè contemperantibus ac edulcantibus, id bonitate alia præcipitata longè ſuperabit. At ſi in eadem aqua philoſophica alterum duorum luminarium intinxeris ac diſſolveris, eidemq; aquæ mercurios cinnabaris mineralis, aut Antimonii ſeorſim immerſeris ac ſolveris, cum minore elegantis noſtri reguli ſtellati portione addita, cujus pondus jam pridem alibi in libro noſtro de medicam. ſpagyr. præpar. tradidimus cap. de Argento vivo: omnibus dein rectè permixtis & obumbratis, ſi crebris cohobationibus ac reverberationibus exerceantur, & ex arte edulcorentur, inde turpethum noſtrum minerale naſcetur, vel Aquila cœleſtis Paracelſi ac Phædronis : quod turpethum, trium, quatuor, quinq; aut ſex granorum pondere vino infuſum exhibitâ ejus colaturâ admirandos effectus operatur, leni tamen & facili evacuatione, nec moleſta corpus exercens: nec tamen eorundem granorum perierit vis, quorum novæ ſubinde infuſiones iterari & propinari commodè poſſint. Atq; hoc præſtantiſſimum, nec ſatis unquam laudandũ remedium eſt, adverſus omnis generis lues, epilepſias, paralyſes, nec non hydropes, ut ſic teſtatur Parac. tomo 5. pag. 295. *Arcanam vim habet*, inquit, *auferendi aquoſitates hydropicas*,

Aquila cœleſtis Paracelſi & Phædronis.

quod nec colocynthis, hermod. eſula, turbith præſtare poſſunt, hæc enim poros non ingrediuntur, ſicuti mercurius.

Mercurii metallici, Solis, Lunæ, Veneris, aliorumq́; metallorum cum ſpiritu vitrioli aut ſulphuris præcipitatorum: aut ſaltem idq́; meliùs (ſed majore temporis diuturnitate) cum calcibus ſuis philoſophicis vi ignis: Ejuſmodi, inquam, mercurii ut plurimùm ſunt diaphoretici, unam aut alteram tantùm ſedem operantes, tantarumq́; ea auxilia ſunt virium, ut adverſus peſtes, lepras, lues, contagioneq́; ſerpentia morborum genera ac venenoſa, febres, epilepſias, paralyſes, ac alios deſperatos affectus, uſq; adeò potentia ac ſingularia præſidia ſint, ut ingenuè fatear, ad laudes eorum ſatis celebrandas deeſſe mihi orationem: quæ quidem remedia ſi ritè adminiſtrentur, etſi parva tantùm pixide contineri poſſint, ſexcenta tamen alia amplis & magnis vaſis ingenti faſtu concluſa medicamenta, virtutibus ſuperent, & multis longè à tergo ſtadiis relinquant. Ejuſmodi remediis brevi, Deo dante, Antidotarium noſtrum ſpagyricum copioſè inſtructum habebimus, ut nos etiam tempori & ſtudiis omnium veræ medicinæ ſtudioſorum ſerviamus: quæq́; multis ornamentis ac divitiis longè latèque vulgaribus medicamentis clariora ac ſplendidiora futura ſint, & ſexcentas

eorum

eorum non vulgares præparationes oculis omnium ſubjiciemus.

Mercurium quendam præcipitatum diaphoreticum deſcribit Parac. tom. 6. pag. 288. lib. de morte rerum in hunc modum: *Mercurius in aqua forti graduata calcinatus, ab eaq; quinquies ſeparatus, donec rubedinem elegantem acquirat, poſtea dulcoretur. Deniq; ſpiritus vini novies ab ipſo deſtilletur, donec mercurius ignem ferat & candeſcat: tum præparatus eſt mercurius diaphoreticus, qui mercurius cum aqua ſaltaberi dulcificatur: & eadem ab ipſo per deſtillationem ſeparata, ſemper nova affusa, donec nulla acrimonia in aqua percipiatur, dulcis verò recedat, tum præcipitatus hic mercurius dulcedine ſaccharum & mel ſuperat, in morbo Gallico, cancroſis ulceribus, aliisq; variis morbis ſupremum remedium, omniaq; efficit, quæ Medicus deſiderare poſſit.* ***Mercurius diaphoreticus.***

Præcipuum igitur tanti hujus remedii momentum, alibi apertè declaratum, in perfecta ejus dulcificatione poſitum eſt, quæ cum ea aqua ſaltaberi fit, quam à veris chymicis ignorari eſt nefas, cùm ſecus eos callere oporteat, qua in re vera ſita ſit dulcificatio, quibus liquoribus, præ aliis omnibus, inſint vires ac proprietates uno momento edulcandi, quod vel acerrimum eſt, ne hujus rei ignari ad hanc præparationem ſe accingant,

alioqui venenum potius, quàm utile medicamentum aut Alexipharmacum paraturi ſunt: cujus quidem deleteria noxa medicamento ipſi non eſt aſcribenda, at tota imperiti artificis ignorantiæ vendicanda.

Omnes propemodum elegantes mercurii præparationes, quæ præcipitatione fiunt, paucis verſiculis complexi ſumus. Cenſores igitur noſtri, qui aſſiduè præcipitato allatrant, videant (ni planè voluntariis ignorantiæ cataractis oculos mentis ſibi velent ac excæcent) quàm vera philoſophorum præcipitata differant à vulgaribus mercurii præcipitationibus aut calcinationibus leviter elaboratis, de quibus Æginetaverba fecit: aut ab iis, quæ ab ignaris empiricis paſſim in uſum adducuntur: quas quidē omnes reſpuimus & damnamus, ab illiſque tam procul recedimus, quàm propinquiſſimas nobis mercurii verorum Philoſophorum præparationes totis ulnis amplectimur & admittimus: quas totius noſtri corporis valetudini tuendæ aptiſſimas eſſe credimus, multiſq; experientiis didicimus.

Tertia & ultima mercurii præparationis ſpecies reſtat nobis explicanda, quæ eſt de oleis aut liquoribus ſuavibus ac potabilibus ab eo expreſſis. Qua de re jam alibi in Conſilio noſtro de Lue Venerea obiter & pauca quædam attigimus.

Mer-

Mercurius ſublimatus, coagulatus & præcipitatus reſolvitur facilè in oleum, inquit Paracelſus tom. 6. pag. 282.

Quinta eſſentia ſeu oleum Mercurii paratur, ſicut quinta eſſentia aut oleum Solis, tom. 6. pag. 34. ubi vera loquitur Paracelſus. Conſulantur igitur, quæ jam ſuprà de variis quintæ auri eſſentiæ olei & liquoris ejus potabilis modis ſcripſimus ac docuimus: & quiſque ad eorum imitationem (ut repetitionem ſingulorum moleſtam omittamus) ſimili modo, præparationes varias oleorū & liquoris mercurii, aut mercurii potabilis aggrediatur, qui mira ſua dulcedine, quam in ſe continet latentem, condiatur, & in uſum intrò aſſumendum, non ſecus ac Saturnina eſſentia, adducatur.

Quod ad proprietates ac virtutes mercurialis iſtius olei dulcis attinet: eas abundè in Conſilio noſtro de Lue Venerea explicavimus, ut quod ſupremum curationis luis gradum occupet, tum intus aſſumptum, tum extrinſecus inductum. Externa enim ejus inductione quævis vel deploratiſſima ulcera, ut cancroſa, fiſtuloſa, polypi prorſus abſumuntur, exiccantur, & planè convaleſcunt, nullum à medicamento dolorem paſſa. Quin & citra ullum dolorem carunculas veſicæ, aliarumq; partium ſenſiles penitùs conſumit &

abſorbet. Denique ut ſcribit Parac. in majore Chirurg. pag.201. *Argentum vivum in oleum converſum æquiparatur balſamo ſolis.* Addit, *hoc oleum coagulatum per colchotar, cum aqua parthenionis adhibitum reliquos balſamos ſuperat: ſi in crocum aut in florem mutetur, tum ſummam curam in ulceribus omnibus perficit.*

Et alibi, tomo nempè 4. pag.91. *Oleum & quinta eſſentia mercurii ab amentia præſervat.* Item in eodemmet tomo pag.77. *Amentiam tollit.* Ibid.pag.88. *Inſaniam curat.* Et pag.85, ejuſdem tomi: *Oleum*, inquit, *mercurii in ſuffocatione intellectus uſurpatur.*

Libavius, qui ingenioſè, doctè, & accuratiſſimè rimatus eſt, ac collegit remediorũ metallicorum flores, quiq; ea non rejicit aut damnat, ut ex ejus ſcriptis apparet, quemadmodum noſtri Cenſores ſumma cum inſcitia reſpuunt ac contemnunt, de quodam oleo mercuriali potabili, ejusque proprietatibus verba facit lib.2. Alchymiæ, tract.1. pag.95.

Quin & eodem lib. 2. & tractatu, pag. 89. videre eſt mercurii præparationes, ut ſuis impuritatibus expediatur, & philoſophicus reddatur: ibidem etiam legimus mercurii præcipitati correctiones quàm utiliſſimas, de quibus ſcribit hæc verba: *Hydrargyrum præcipitatum corrigunt, ſpiritus vini infuſione & incenſione, additioneq; theriacæ*: ubi apparet, Libavium

bavium attentiſſimum eſſe ad correctiones veras & debitas præparationes præcipitati perdiſcendas: ut poſſit adminiſtrari citra periculum, & cum utilitate exhiberi: tantùm abeſt, ut ejus uſum reſpuat aut damnet, & igne ac aqua iis interdicat, qui eo ſcitè & methodicè utuntur: quemadmodum nonnulli Cenſores ſumma cum temeritate ac improbitate crudeliter eos averſantur & abhorrent: debacchanturque non tantùm in omnes ſpagyricos ſeu chymicos Medicos, ſed & ipſam artem ſpagyricam damnant, idque etiam publico decreto: quod paulò poſt alio decreto non tantùm utcunque temperarunt, ſed prorſus etiam palinodiam canentes, reſciderunt: ne videlicet tantum facinus aggreſſi, quòd in ipſam artem Chymicam, à quibuſvis doctiſſimis Medicis comprobatam inſurrexiſſent, in odium & acres reſponſiones tantæ temeritatis incurrerent.

In conſilio noſtro de Lue Venerea, liquorem mercurialem, inſtar moſchi fragrantiſſimum, tanquam præſtantiſſimum diaphoreticum deſcripſimus, cujus formula fuſiùs docetur in hoc tractatu, capite de Antimonio, in noſtræ Panaceæ enucleatione, quòd eo liquore mercuriali utamur, ut ſit perlarum & corallorum diſſolvens, atque tum ſingulare in multos affectus remedium.

Poſtremò in concluſione remediorum variorum, quæ ex mercurio extrahere novimus, eis adjiciemus ſolarem noſtrum vitæ mercurium, qui extremum agmen diriget: tanquam omnium aliorum primarium, aut ex primariis alterum: à quo ſcilicet admirandæ curationes morborum vel graviſſimorum, ac deploratiſſimorum perficiuntur.

Mercurius vitæ Solaris.

Accipiatur igitur liquor mercurialis, qui capite de Antimonio à nobis deſcriptus eſt in noſtri polychreſti Antimonii Antidoto, cui vel tantundem, aut amplius etiam ſudoris hermaphroditi, virilis & fœmineæ naturæ, aqueæ & terreſtris, volatilis & fixæ, adjiciatur, ac omnia digerantur, cohobentur, ac deſtillentur, ut diſſolvens fiat Lunare ac Solare, admirandæ operationis. Vtrumq; luminare ſic ſolutum, corpus recipere poteſt, etiam cum proprio menſtruo conjunctum, atque uno momento, nec citra admirationem in pulverẽ ſiccum reduci, cum liquefactivo & humectativo omnium rerũ primo. De hoc pulvere ad ſummam dulcedinẽ adducto, exhibentur à 5. ad 7. grana ex duabus unciis infuſionis vini albi, aut liquoris alterius congruentis.

Ex hoc præterea mercuriali liquore, citra alterius diſſolventis ſolaris aut lunaris additionem, fit præcipitationis artificio pulvis etiam candidus, quem nonnulli mercurium vitæ vocant: qui optimè præparatus, dulce fit vomitivum & ſolu-

ſolutivum medicamentum: cujus etiam vel unicum granum, linguæ tantùm admotum citra deglutitionem, vires ſuas ſpirituoſas ſtomacho impertit, lenemque vomitum provocat: quæ quidem purgatio nō uſquequaq; clamoribus inceſſenda eſt, ut fit hodie: cum Antiqui ejuſmodi vomitoriis uti ſolerent, & in variorum morborum curam commendarēt: ut qui etiam in hunc finem helleboro albo uterentur, vomitivo quidem, ut exiſtimo ego, longè violentiore ac perniţioſiore, omni antimonii vitro, aut mercuriali præcipitato, inter vomitiva potentibus: quæ tamen, ut vulgò parantur, non admittimus nec probamus, ut ſæpè alibi diximus, & varia alia longè præſtantiora ac ſalubriora remedia, vitrificationibus ac præcipitationibus iſtis vulgaribus Empiricis tantùm, non veris Medicis & Chymicis notis, extrahendi ex duobus illis mineralibus modum docuimus.

Sed ut ſolarem illum noſtrum vitæ mercurium repetamus, cujus doſim diximus granorum eſſe quinque ad ſeptem ex vini infuſione exhibitam, remedium eſt quàm rariſſimè, etiam iis qui ad vomendum proclives ſunt, vomitum concitans: talisq; eſt ejus concitatio & tam lenis, ut potiùs expuitio aut ſalivatio, quàm vomitus dici debeat: attamen per ſeceſſum electivè quidem, ſed citra moleſtiam

 humo-

humores peccantes noxios ac pernitioſos expurgat. Iſtis enim ſic vacuatis, quamvis idem remedium repetatur, & majore etiam doſi poſtea ſumatur, nulla futura eſt ejus operatio, quòd ſubjecto careat, in quod agat. Nec non & hoc maximè conſiderandum (quod tàm huic, quàm aliis remediis, quæ jam deſcripſimus ex antimonio, auro, mercurio & vitriolo, proprium eſt) ſpiritualiter potiùs ea operari, quàm materialiter. Etenim ſi pulveri jam infuſionem paſſo reaffundatur vinum, & iterum in eo maceretur ad aliquot horas: idque etiamſi ſæpiùs iteretur, ſemper vinum iſtud medicamentoſum futurum eſt, purgans, ſudorificum & diureticum, prout natura ægri in earum evacuationum aliquam propenſior fuerit: nec tamen pulvis (etſi virtutem ſuam in vini infuſionem ſæpiùs immittat & exerat) quicquam de pondere ſuo deperdit.

Interea dum hanc metallicorum remediorum ſylvam complebam, & finem ei imponebam, tot ac tam variis artificiis ornatæ, ac tanta liberalitate noſtra cumulatæ ac ditatæ: ut candidus ac æquus lector jam habeat, quod ſatis ſit, medicaq; Reſpubl. non mediocriter ſit nobis congratulatura, ac beneficium agnitura; incidit in manus meas cujuſdam intimi mei, non ultimæ notæ, nec levis famæ viri operâ,

perâ, libellus quidam, ex Italico idiomate in Gallicum verſus, ex typographia Antuerpiana, apud Hieronymum Verduſſen Anno 1603. profectus, inſcriptus: *Compendium virtutum, naturæ, adminiſtrationis & uſus cujuſdam pulveris, qui pura eſt auri medicinalis eſſentia quinta, recens ab egregio viro, D. Victorio Algureto, Medico ac Phyſico Scholæ Veronenſis, &c. editus.* Hunc libellum ubi ſtatim percurri, infinitas easque ſublimes proprietates notavi, quæ huic pulveri aſcribuntur, quem ſolarem eſſe ferunt, & fixum auri ſpiritum. Nolo hîc præclaris ejus effectis & virtutibus immorari, nec de iis dubitare, aut quidquam detrahere, cùm tot tantorumque virorum teſtimoniis, & experimentorum, quæ citantur, fide eæ fulciantur ac confirmentur: præſertim etiam cùm metallicorum remediorum admirandæ vires mihi abundè ſint cognitæ ex eorum uſu & adminiſtratione, parva etiam doſi exhibitorum, frequentique ſua repetitione mira operantium: quemadmodum modò de noſtro vitæ mercurio ſolari ſuprà ſcripſimus.

Contigit autem, ubi primùm revolverem hunc libellum, quendam cujuſdam ægrotantis honeſti viri & chronico morbo languentis, quem curandum ſuſceperam, amicum ac familiarem detuliſſe apud eum iſtius pulveris

Google

ris famam, virtutumque ac experientiæ illius fidem, cujus alter vir honeſtus & mihi cognitus periculum feciſſet fœlici ſucceſſu: cumque æger meus conſuleret me, num eo eſſet uſurus, nec ne? reſpondi, ad honeſti illius viri, qui tam promptum auxilium perſenſiſſet, relationem, me ejus uſum nequaquam eſſe reformidaturum: idcircò repentè pulverem iſtum ab illo amico ſuo acceſſivit, qui habebat, rogavitque ſibi dari: quem ab illo accepit ea lege, ut doſi granorum ſeptem uteretur: hunc pulverem vidi candidiſſimum & tenuiſſimum, ut qui amylum in pulverem redactum æmularetur, at qui pondus mercurii non æquaret. Hic pulvis macerandus eſt in unciis duabus generoſi vini albi ad tres aut quatuor horas: deinde ab ejus ſumptione dimidia pòſt hora ſorbendum juſculum datur. Hujus cras ſpero me operationes tanti medicamenti perſpecturum, ut de ejus compoſitione poſtea poſſim certius quid pronunciare. Qui enim ex auro ipſum elici opinantur (qua ratione inſigniunt ipſum ſpiritus auri fixi titulo) falluntur meo judicio.

At & in hoc fallitur ipſe interpres, aut ipſe libelli author, cùm ſcribit, antiquitati ignoratam fuiſſe ex uno auro fixo ſpirituum extractionem, omnibusque hodiernis Medicis adhuc eſſe incognitam: ſi omnes prorſus ab hac

cogni-

cognitione excludit, nec opinatur, ingenia hodie acutiſſima reperiri, quæ in anatomia metallorum interna verſati, poſſint ejuſmodi ſpiritus ex auro, tincturamq; illius prolectare, ipſumque aurum in eſſentiam potabilem variis modis redigere, prout infinitas illius præparationes jam docuimus, ut ex eo nempè vitriolum auri educatur, ſulphur ſolare ſolaris mercurius, arcanum ſolis, magiſterium ſolis, quinta eſſentia, liquor, elixir, & innumera alia id genus præſtantiſſima remedia, quæ ex auro parantur, corpore auri in ſpiritum converſo.

Quicunq; autem præter Paracelſi ſcripta, Gebri, Lullii, Arnaldi Villanovani, Riplæi, Rogerii Bacchonis, Alberti Magni, Rupeciſſæ, ſexcentorumq; aliorũ commentarios perlegerit, percipiet, ignotam illis nequaquam fuiſſe auri potabilis cõficiendi rationem: minusq; iis incognitas illius virtutes ac proprietates, in omnes corporis humani affectus. Quin & auſim vel Chymicorum minimus affirmare, ex quadraginta vel quinquaginta ſpiritus auri prolectandi modis, quos calleo, Dei beneficio, omnes medicinas, quas ex illo ſpirituali reddito extraho, aut citrinum floris calendulæ colorem aut ſubrubrum, aut purpureum, aut papaveris rheas dicti tincturam retinere. In ſumma, vergunt omnes ejuſmodi

medi-

medicinæ in flavum aut rubrum colorem, utcunque etiam pręcipitatæ ſint ex mercurio ſolari, extrinſecus candorem maximum & albedinem referente: quod non ſine admiratione obſervari debet, ut quæ extrinſecus tam albũ colorem referunt, interna ſcateant rubedine ac flavedine. Subit igitur mirari hujus pulveris tantam albedinem, ſi auri ſpiritus fixus & conſtans eſt, ut volunt; Animadverti tamen in ſecunda libri authoris appendice, mentionem ab eo fieri non auri, ſed marcaſitæ aureæ, aut alterius mineræ, ex qua, aut ex aliqua alia magneſia, aut ſemimetallico alio ſubjecto, quod radicem & primum ens auri eſſe autumat, pulverem illum ſpiritualem extrahit, cùm ſic ſcribit: *Qui quidem noſter pulvis aliud nihil eſt, quàm quinta quædam eſſentia auri ab origine ipſa talis profecta: ſed in fluxibus & caloribus cœleſtibus ac radiis ſolaribus concocta & contemperata: occulta & ſparſa per hanc noſtram mineralem materiam albam artificio ex radice & materia noſtri auri. Quæ quidem materia & radix poteſt etiam aurum purum ſufficere, ſi vario operationum artificio ingenioſè tractetur & exerceatur: Atq; hæc auri quantitas ſatis eſt ad patefaciendum hujuſce rei veritatem, quòd nempè materia illa ſit radix & veluti mater ac origo auri, unde pulvis noſter propriè quintum eſſe auri meritò à nobis dicitur, &c.*

Hìc perſonam Oedipi nolim induere, ut enodem, aut enucleem, quid ſit: veruntamen poſſim ego ex vera magneſia, quæ Paracelſo eſt aliisque Philoſophis primo auri enti par & æqualis, aliquid ſimile, quod utiliſſimum fuerit, extrahere: imò etiam ex ea potentiores ac præſtantiores medicinæ educi poſſint, quàm ex auro ipſo, vel ſpiritualitatem adepto: utpote quæ materia nondum adhuc ignem ſit experta: atque idcircò metallicis ſpiritibus admodum efficacibus prægnans ac referta turgeat. Ex ea magneſia elicere etiam poſſum liquorem, quem ſpiritu ſolari impragnare queam, ut potentior & efficacior reddatur, eamque poſſum candidiſſimam præcipitare, unde fiat præcipitatum, quod lenes vomitus citra moleſtiam cieat: cujus unica doſis poſſit non una vice tantùm, ſed pluribus variis operationibus commodare: quod inde apparet, magnum utique remedium & multis ac variis morbis præſentiſſimum eſſe. Nec hujus effectus ab operationibus illius pulveris albi valdè diſſimiles ſunt, ut obſervavi in noſtro ægrotante poſt uſum illius, qui corruptos admodum humores bis vomitu expurgavit.

Quæ autem hìc dico, nolim ſiniſtrè detorqueri, quaſi ſtudeam alicui detrahere, aut ſtudia ac piam voluntatem authoris hujus pulveris

veris criminari aut carpere, qui candidè eum publicè erogavit: at majorem ille laudem mereatur, majoremque animi gratitudinem, ſi ejus conficiendi, obſcuris tamen verbis & velatis, deſcriptionem in eorum gratiam, qui illo digni ſunt, traderet exemplo multorũ Philoſophorum, meoq́; : qui libenter noſtra aliis non invidemus, certi, non nobis ſolis, ſed partim patriæ, partimque parentibus nos eſſe natos.

Priuſquam finem faciamus remediorum variorum, quæ ex mercurio parantur, & quæ jam ego in ordinem redegi, ac ſcriptis mandavi: aliquid porrò de cinabrio artificiali factitioq́;, nec non de nativo ex mineris, nobis dicendum eſt.

Cinabrium artificiale. De factitio quidem, quod aliud nihil eſt, quàm modus quidam ſublimationis per ſulphur factæ (ſicut ſublimatum mercurii, quod vocant, per vitriolum efficitur) per ſulphur quidem, quod liquatur in vaſe terreo vitreato, cuique liquato ſenſim poſtea mercurius affunditur ad dimidium ſulphuris pondus: ubi omnia probè ſpatulâ ferreâ aut ligneâ agitanda ſunt & commiſcenda, dum ſpatula illa tota calce nigra obducatur, quæ tum ſublimationi, in vaſe congruo ad ſublimandum poſita, apta eſt. Hac ratione mercurius ruber elevatur, quod minium aut cinabrium refert:

ejuſq́;

ejusq́; eſt doſis pondus granorum trium, quatuor aut quinq;, ut fiat medicamentum ad ſudores educendos præſtantiſſimum. Ex eodem fiunt præcipitata candidiſſima cum liquore ejuſdem ſulphuris, ex uno eodemq́; fonte hauſta, miræq; virtutis in purgando & ſudores eliciendo, variis morbis, imò vel epilepſiis, apoplexiis, paralyſibus opportuniſſima, ſi dextrè, ut decet, à Medico non Empirico, adminiſtrentur.

Quod ad nativum & minerale cinabrium attinet; Natura nobis in quibuſdam aurifodinis in Hungaria profert genus quoddam mineralis cinabaris ponderoſiſſimæ, ac longè artificiali rubicundioris: Imò etiam quæ uſque adeò transparens ac dilucida eſt, ut non minoris pretii, at majoris etiam ipſo auro æſtimetur: quæ per ſe & citra ullam præparationem aliam, quàm qua naturæ coctionibus temperata eſt, remedium eſt nobiliſſimum, & admirandarum virium adverſus minores epilepſias aut analepſias: ſed verum præcipuè eſt ſpecificum vertiginum, tale à multis magnis Philoſophis Chymicis in Germania agnitum, à quibus hoc remedium , tanquam inſigne arcanum, magno habetur in pretio, cujuſque ego beneficio cum Dei gratia, quatuor aut quinq; egregios viros vertigine liberavi, vel unica hebdomada, quatuor aut quinque ad ſum- *Nativum Cinabrium.*

mum doſibus exhibitis, etſi malum hoc vertiginoſum uſq; adeò interdum exacerbaretur, ut judicium omne ęgris eriperet. Ejuſmodi remedium conficitur, ut ſequens fert formula:

Specificum ad vertiginem.

℞ *cinabrii mineralis veri ac lucidi* ℥ ß. *hoc in alkool ſuper marmore rediges, ſeu in pulverem impalpabilem. Huic adjice magiſterii perlarum, magiſterii corallorum ana* ℈ ij. *croci* ℈ j. *folia auri decem, aut potius decem grana auri flammam concipientis: fiat pulvis, omnia fortiter ſuper marmore agitando & commiſcendo. Hunc pulverem ſedulò aſſervabis, tanquam ſpecificum remedium, & inter alia adverſus ſuperiores morbos præſtantiſſimum.* Doſis eſto ſemiſcrupulus aut integer ſcrupulus ad ſummum, ex aqua liliorum convallium exhibitus. Magnos & copioſos ſudores ciet hoc medicamentū: Quod quamvis eo pretio ſit, tantique ęſtimetur à celeberrimis Germaniæ medicis: non dubium tamen eſt mihi, quin cane pejus & angue Cenſores noſtri ipſum oderint ac refugiant, quorum palato inſuave eſt omne metallicum medicamentum. Excipient autem illi, in eo argentum vivum contineri, atque idcircò venenoſum ac exitiale pharmacum. At ejuſmodi homines in perpetuis ignorantiæ ac ſuperbiæ tenebris ſinantur verſari ac iis immori, cùm perverſi uſq; adeò ſint judicii, ut carduos roſis præferant, & vilia quæq; exquiſitis rebus antefe-

referant, majoris facientes, quam didicerunt à quodam ruſtico, de pavonis ſtercore receptam ad vertiginem, quàm vel auri eſſentiam, vel perlarum ac corallorum magiſteria, nec non ipſius cinabaris mineralis (verè ſolaris naturæ) uſum, à tam doctis ac celebribus Medicis ejuſdem cum ipſis profeſſionis, certa multiplicique experientiâ comprobatum, & tanquam ſpecificum ſummumque remedium commendatum.

CAPUT XXXIV.

Victus ratio.

AErem perpetuò calidiorem & ſicciorem deligant, ac hyemali tempore cubiculi aërem igne luculento emendent. Fugiant longiorem moram ſub dio & radiis lunaribus, non minùs quàm in aëre nubilo caliginoſo, aut aliâs intemperato, maximeque ſi flaverit Auſter vel Aquilo.

Caput ſemel ad minimum ſingulis menſibus tondeatur, quotidie verò manè depectetur, & linteorum aut ſpongiarum ope à ſordibus & ſqualore probè detergatur, noctu æquè ac interdiu, ne plus juſto, ſed mediocriter tantùm caput ipſum contegatur, habita ſcilicet temporis & conſuetudinis ratione: fugienda & alia, quæ illud ipſum cale-

faciunt & opplent, veluti balnea, lotiones capitis, & quæ ſunt ejuſdem generis.

Reliquum verò corpus à frigoris æſtûsve injuria, quantum fieri poterit, accuratè vindicetur. Suffitus vaporum copia caput replentes, aliaque odoramenta ſummoperè calida omninò vitentur. Exercitium ante cibos mediocre, depoſitis prius alvi excremẽtis, haudquaquam erit inutile: Sed à cibo perpetuò tutior erit quies, aut certè levis deambulatio, ne, quod ferè fit, ſemicocti aut etiamnum crudi ſucci intempeſtivè nimium à ventriculo in totum corporis habitum rapiantur, nullo verò ludo aut exercitii genere utantur, in quo vehementius caput inclinare opus ſit, aut vehementer in gyrum vertere. Caveant & inſpectionem è loco alto in declive, itemque conſpectum torrentium & ſimilium rerum: exercitii vicem interdum ſupplebunt frictiones linteolo aſperiore factæ, primò quidem brachiorum, deinde pectoris, crurum, tandemq; ipſius capitis.

Porrò ſobrietatem ac temperantiam, cibive ac potus moderationem, ut aliâs ſemper, ita maximè in hoc affectu, & hoc corporis ſtatu, magnoperè utilem eſſe conſtat apud omnes: prandere tamen perpetuò paulò liberalius, parciùs verò cœnare præſtiterit.

Bis enim in die ſolummodò cibum ſumi velim,

velim, idque ex juſtis intervallis, quæ conco-ctioni ſufficiant, famem tamen æquè ac cruditatem vitandam cenſeo.

Alimenta deligantur & laudabilis ſucci & flatus expertia, quæq; ſint ad concoquendum facilia. In iiſdem ſtudioſè hic ordo obſervetur, ut quæ concoctu facilia ſunt, reliquis perpetuò præmittantur; ac nihilo minùs, quoad ejus fieri poterit, vitetur multiplex varietas. Nec enim præter rem eſt, quod ſolertiſſimus ait Plinius, *ſimplicem cibum eſſe homini utiliſſimum*. Quòd ſi tamen varius placeat, at certè in eo ipſo ſimilitudinem obſervari non fuerit difficile neq; inutile. *Nam diſſimilia quæ ſunt*, Hippocrate teſte, *ſeditionem movent*, dum ex his alia citiùs, tardiùs alia & mitificantur, & in corpus ipſum dividuntur.

Jurulentis aut nunquam, aut parcè utantur, nec niſi matutino tempore: Tum verò iis incoqui poterunt, ex oleribus, hyſſopus, thymus, pulegium, ſerpillum, ſalvia, majorana; A lactuca verò, portulaca, herbiſque cæteris frigidioribus & humidioribus abſtinendum cenſeo: ſed & fugiendum apium, quippe quòd proprietatem habeat excitandi & detegendi Epilepſiam.

Ex volatilibus eligendæ carnes pullorum gallinaceorum, caponum, pipionum, perdicum, attagenum, phaſianorum, cæterarumq;

 avium

avium montanarum, turdorum itidem, turturum, alaudarum & paſſerculorum ; At damnantur carnes anſerum, anatum, cæterarumq; paluſtrium.

In quadrupedum genere laudantur vitulinæ, hœdinæ, vervecinæ, & lepuſculorum carnes. At ſugiendæ vetuſtiorum leporum carnes, cervina item, ſuilla, aprugna, omniumque maximè caprina. Cæterùm aſſatæ carnes elixis perpetuò præferuntur. Piſcium rarus ſit uſus, ac horum tantùm, qui in fluviis rapidioribus degunt: nam ſugiendi penitùs, qui in lacubus, paludibus, aut ſtagnis victitant. Sed & illi aſſati ſuper craticula, elixis aut in ſartagine frixis anteponendi.

Inter εὔχυμα καὶ εὔπεπτα alimenta non ultimum locum ſibi vendicant ova gallinarum tremula, gammari item & ptiſanarium, quod hordeatum vocant.

A pinguibus, ſalſis, piperatis, aut alioqui acribus, itemque à vaporoſis omnibus aliis ac nidoroſis abſtinendum, qualia ſunt cœpæ, allia, porrum, eruca, raphani, ſinapi, & quotquot alia vapores in cerebrum tranſmittere apta nata ſunt ; neque his minùs legumina, ac præſertim lenticula, caſeus, lac, & quotquot ex lacte parantur fercula.

In fructuum genere commendantur, cappares, uva paſſa, piſtacia ; at nuces & palmulæ

viten-

vitentur. Panis ſecundarius primario utilior, dummodò ſit benè fermentatus, mediocriter ſalitus, & accuratè coctus. Placentæ, lagana, farcimina, cruſtula, & quotquot alia è piſtoriis operibus minimè fermẽtata ſunt, ſummoperè fugienda. In aromatum genere convenient interdum macis, nux myriſtica, cariophylli.

Parcior ſit potus & in paſtu ſolo, quoniam immoderatus corpus gravat, & concoctionem omnem impedit, potus verò ſit aqua mulſa, aut vinum rubellum, & ὀλιγόφορον dilutum aquâ, in qua Coriandrorum præparata decocta fuerint. Vaporoſa & potentia vina omninò fugienda ſunt.

Secundâ menſâ aſſumi poterit pirum auſteriuſculum probè coctum: aut cydoniati vel conſ. roſ. tantillum aut tale quid, quod os ſuperius ventriculi claudat exactè, atque adeò concoctionem adjuvet, & vaporum ad caput aſcẽſum inhibeat. Vitandus ſomnus omnis, meridianus ac nocturnus etiam immoderatior.

Alvus ut quotidie liberè fluat, diligenter proſpiciendum, quòd ſi ſopita, aſtrictáve fuerit, arte aliqua elicienda. Veneris uſum lubens ſciensq; prætermitto, quia cum moderatiſſima & temperatiſſima juvencula rem eſſe perſuaſum habeo.

Cæterùm vitet ſubitam omnem animi mo-

tionem, uti triſte ſeu lætum nuncium, & terrorem quàm maximè. Sic & ira, graviores curæ, mœror, ac totum denique animi perturbationum genus maximoperè fugiendum eſt. A cibo ſtatim, gravioribus ſtudiis, lectioni aut ſcriptioni ſeveriori ne incumbat.

Inter amuleta Epilepſiam inhibentia commendantur ſemina pæoniæ collo ſubnexa, ut & radix ejuſdem; coralli item, jaſpis viridis, ita tamen, ut ventriculum contingant. Ungula quoque alcis, vel collo appenſa, vel annulo incluſa & geſtata acceſſionem Epilepticam inhibere creditur.

F I N I S.

IN EVAGANTEM REIOLANI EXCVRSVM QUERCETANI *brevis Incurſio.*

VETABAT Sapiens ad ſtulti dementiam reſponderi: at cùm ex ſilentio ſtultus ſapientiæ titulum ſuperbè ſibi arrogare ſoleat, paulò pòſt reſponſionem hortabatur ac præcipiebat. Sed cur unum & idem ſaxum cum Ixione iſto volvendi onus & jugum mihi imponam, qui nullum unquam coaxationis ſuæ finem ſit facturus, in ἀπτσομισ-

μῷ ali-

μῷ aliquo, hoc eſt, lucernâ noſtrâ ad littus ejus paludis cœnoſæ coruſcante in Seriphiam ranam tandem μεταμορφῶται? Hoc amuletum perinde exhibendum, ceu cùm ſilentium capitoſis mulieribus imperatur, quorum rixoſa petulantia aliter coërceri non poteſt, quàm ſi ad clamoſas earum vociferationes aures obturemus. Quo minùs enim illis reclamatur, eo citiùs obmuteſcere, aut ex ſilentio, quod horrent, invidia crepare, certum eſt.

Quî tandem igitur Anonyme, aut (poſito nunc velamine) Reiolane ὡς ῥεῖ ὄλ' ἄνυς tecum agam diutiùs? Unum enim & idem ſaxum ab utroque noſtrûm perpetuò volvi ac revolvi, damnatorum ſupplicium eſt. Sed cur damnationem, quæ tibi nimiùm volupe eſt, ſubeam, quum à ſeriis occupationibus, publicæ utilitati potius debitis, quàm tuæ garrulitati, animum meum avocet?

Ad ſcribendum me impellis, ut diſcas Chymicè loqui. Quod idioma cum adhuc incompertum ſit tibi, & brutis naturis incongruum: ut agrum tuum hactenus ſqualidum ac vepribus & ſpinis horridum tandem utcunque colas, aliquem floſculum ex noſtrorum hortorum alveis, ſive aſtu, ſive protervia & loquaci importunitate, eruere conaris. Sed cùm nihil invitâ fiat Minervâ, fruſtraq; Æthiopem lavero, aut aſinum nitro defricuero, ſi te docendi

provinciam ſuſcepero: aliud accidit, quòd canibus ſcilicet filiorum panis non debeatur; quod enim tibi, mihi allatranti beneficium dignè congruat, quàm tuæ naturæ ἀνταπαμειβόμενον?

Non fuit utique opus, Reiolane, te denuò manum calamo admovere, ſi nihil habebas recentius, quod nobis occineres: quum quæ jam aliis tuis ſcriptionibus, auribus noſtris toties inculcaſti, plus ſatis eas novis attriverint. Βαττολογίαν nobis imponis, qui docemus, non ad nugas tuas reſpondemus. Hanc in te jure retorquemus. Quid enim tot nauſeabundis repetitionibus identidem citra judicium ingeſtis, βαττολογικώτερον καὶ ἀμαθέστερον dici poteſt? Quid inſulſius tot authoritatum ac teſtimoniorum citationibus, quæ nihil doceant? Solis credunt veri Philoſophi rationibus cum experientia conjunctis. Diximus amicos Hippocratem, Ariſtotelem, Galenum, &c. ſed magis amicam veritatem. Et ſi conſuetudo iſta tua vetus malè philoſophandi ac medicandi in alteram naturam tranſiit (ut tu vis) quo jure retinendam idcircò cenſeas? An vetus malum deſinit eſſe malùm, quod ideò non ſit fugiendum? Et vitium virtute antiquius, cur bono idcircò præferendum? Quis hoc ferat, quàm qui inverſo & obtorto fuerit ingenio.

Ut βαττολογίαν iſtam tuam vites, malè opuſculum

ſculum tuum ordiris, cùm excurſum brevem ei inſcribis. Quid enim eſt excurrere, quàm extra limites, & à recta orbita deflectere, atq; obliquè evagari? Sed ex tua tibi tam familiari in loquentia ἀυθαδεία, quam in te notavimus, liberè in gyros loquacitatis expatiaris. Fruere igitur iterum tuis iſtis deliciis. At non ſatis cautè expendiſti, tibi non ſic orationem contrahi, ut multa paucis, ſed pauca multis nugis doceas.

Congeris rurſus ac evomis in me multa cõvitia, ſtudio minore veritatis, quàm vindictæ ardore: nec mihi eò uſque excanduit bilis in perfectionem mei operis, hoc eſt, ut calcar eſſet ad perficiendum opus & impudentiam ac virulentiam linguæ tuæ coërcendam, ut mentem mihi eripuerit, quæ tibi judicium perdidit. Nunquid enim hoc carere eſt ratione, moroſis iſtis tuis argutiolis & tranſcriptionibus iteratis præfractè omnium aures vellicare? Cur potiùs tu veritati morem non geris, & eam tueris, ut junioribus ſtimulos addas ad noſtra conſectanda veſtigia? Si pavoni plumea illa cauda tàm eleganter à natura picta & variegata detraheretur, quid ſuperbiat ampliùs, & altiùs criſtas erigat? Deformitatem enim reliqui corporis ac præcipuè pedum intuens totus repentè pudore conſternitur. In hoc ab illo differs, Riolane, quòd detracto tibi

iſto artificioſo, quod adoras, pallio, corpus nudatum (etſi fœdum ac turpe fortè agnoſcis) ſupercilia tamen nuſquam demittas, & à pavone ἀλόγῳ τυ ἀλογώτερον ζῶον, modeſtia vinci te facilè feras. Nunquid noſti, virtutem, veritatem, philoſophiam, ſapientiam, fucato illo ornamento ſemper caruiſſe? ſeſeq; nudas ſemper exhibuiſſe, ut in omnibus & ex omnibus ſui partibus, ſplendor, decus & nativum ornamentum apertè ubique emicaret. Quid igitur pallio affigeris, & meretriciis illis fucis tam fœtidum vanitatis tuæ corpus obtegis, ut pigmenta ſola eventiles?

Spondes nunc demum, quæ tantùm antea delibaſti noſtræ Philoſophiæ fundamenta, te fortiter oppugnaturum: nec non ea te expugnaturum ac ſolo æquaturum confidis. Quæ tibi tam ἀμύσῳ, & ut alibi notavimus in Chymia ἀναλφαβήτῳ fides habeatur? An de fonte Chymiæ, vix initiatus, haurire tantum potuiſti, quòd hecticam tuam & phtiſim tam repentè refocillarit? Siccine uno momento tu tàm obtuſi ingenii, aut ruſtico etiam, ſi mavis, ſtupidoque judicio homo, chymicam ſcientiam exhauſiſti, ut non diſcipulus modò, ſed doctor, doctor etiam refractarius ſtatim evaſeris? ô ampulloſum doctorem, ô veſana ſuperbi hominis verba, nil præter verba oſtentantis!

Repre-

Reprehendi poſtremo meo ſcripto malàm tuam in accuſando & criminando fidem : nec tamen ceſſas ad ingenium redire, putaſque accuſando & calumniando, dictis tuis, ut dicuntur, fidem habitum iri : quòd lectores veritatis inquiſitionem non ſint anxiè perſecuturi. Certè veriſſimum in te & ex te reddis, quod Magi Aſtrologi aſſerunt, ut qui ex influentia aſtrorum devoventur cruci, alium vitæ exitum quàm ex patibulo iis expectare non liceat: Qui furtum ex genethliaco aut horoſcopò ſuo inſpirarunt, furandi neceſſitatem vitare vix poſſint. Sic cum inclementia cœli, aut ex ſyderum infauſto concurſu ad mentiendum & criminandum ſis natus, à mendacio & calumniis abſtinere tibi eſt nefas.

Non eſt quòd hìc plura Lectori tædioſa & tibi pudibunda exempla afferam : cùm ipſi ex lectione noſtri operis, ac erratorum ad calcem libri aſſutorum reſtitutione, ſatis ſuperque mendacii & obliquæ fidei te arguant. Aut enim diſſimulaſti typographi erratorum correctionem: aut ſi tibi omnia non ſunt perlecta & præmanſa, impudenti calumniarum anticipatione iniquè me obruere conaris. Ubi enim legiſti ſcuti pro ſcuta, cujus correctionem inter errata à Typographo admiſſa non compereris? Ubi præſequatur, in ea ſententia quæ habet: *Et præ-ut ex uſu eſſe animadverterent, noſtra*

ſtra veſtigia ſequerentur. Eſt ne tibi ignotum hoc animal tranſmarinum præ-ut, ut conjunctum non agnoſceres? diverſarum verò longo pòſt verborum circuitu, ſyllabarum voculam, præ, verbo ſequatur calumnioſè præfigeres? Sed quid nugis iſtius grammaticaſtri diutiùs immorer, qui cùm anſam maledicendi ubique protervè arripiat, anſa quid ſit ignoret? Cætera tædet ejuſmodi ridicula perſequi. O quàm faciliùs nobis fuerit Typographi noſtri lapſus excuſare, quàm tibi malæ mentis ſcelera tua diluere; Reformidare incipis quas promeritus es pœnas, cùm Majeſtatem Regiam convellere auſus fuiſti, & ſceleratiſſimæ eam conſcientiæ inſimulare, quæ medicos adſciſcat ſceleratiores, quorum crudelitate fiſcum ſuum augeat. Tendis ad diverticula & inanes excuſationũ diſtinctiones, quæ vereor ne te potiùs ad ſuſpendiũ promoveant, quàm à cruce amoveant.

Totum in iſto tuo excurſu intendiſti acumen ingenii, ut in ultionem veritatis tibi exoſę, *Quadrupedante putrem ſonitu Marathona ciéres*, ignarus frequentiùs quàm par eſt, à ſuperbo equo, qualis ſuperbia eſt, ſeſſorem ſuum atrociter excuti ſolere. Non eſt igitur quòd hìc ampliùs robuſtiorem Athletam optes. Quid enim in fortiorem ſervaſti, cùm totas tuas in me vires, quem infirmum agnoſcis, effuderis. At cùm nihil præter terſa & polita

verba

verba(muliebria arma)opponas, quis tuos inſultus robuſtior reformidet? Non meminiſti te illi jaculatori ſimilem eſſe factum, cui, cùm arcum intendebat Diogenes, ſe ob ſcopum ſiſtebat, ne ab eo feriretur? Uſque adeò ſcilicet bellè collineas, ut excurſus tui nullam Incurſionem minari cuiquam poſſint. Sed Thraſonem iſtum ab oculis noſtris arceamus, aut Stẽtorem illum vocaliſſimum, cum Mercurio etiam de vocis contentione concertare auſum confodiamus, ſic philomelam aut luſciniam Aſinus ad melodiæ certamen provocabat: cujus certaminis iniquum judicium inſulſus Midas cùm pronuntiaſſet, vereor ne qualem illũ ſententiæ ſuæ exitum aut præmium ſortitus eſt, idem ſchola Pariſienſis Medica ex ſuis decretis, non citra tædium noſtrum reportet.

Sed(ut ad rem propiùs)quorſum tàm fucata iſta & compta oratio, niſi ut aliquem fallat? & meretricium ſuum ſpecie quadam caſtæ virginitatis exhibeat? Hæc cùm nihil præter fumos exhalet, cur igneũ tonitru aquas noſtras exiccaturum expaveſcamus? An tibi ignotum eſt quercus Jovi ita eſſe amicas, ut nullis tonitruum fragoribus, aut etiam fulminum ictibus percelli unquam poſſint. Cur igitur quæſo in Quercetanum tuus tàm invidioſus livor arma concitat? & primam aciem tàm valido ſcilicet tuæ iſtius Chirurgiæ inſtruis? Tu né, Riolane,

Chirur-

Digitized by Google

Chirurgiam condas, qui ne leviſſimæ quidem puſtulæ, fungi aut acrochordonis ortus & interitus, cauſarumq; ac remediorum cognitionem certam calleas, quem certum eſt melius ſtipites aut baculos decorticaturum, aut lanienam quàm Chirurgiam facturum eſſe. Ubi enim prædicatur iſthæc tam inſignis Chirurgia? quæ ſi fortè in quibuſdam latet Doctorum bibliothecis, quid quam tota ſitu & pedore obſita cum tineis & blattis indigna legi rixatur? hoc ipſum fateri debes cum æterno ſilentio, nunc prorſus obruta ac ſepulta jaceat. Etenim à decennio, quot iteratis vicibus à prima editione (ſi ita eſt) repetita eſt impreſſio iſtius tàm celebris Chirurgiæ? Quid eam autoritate tanti viri Jeſſenii à Jeſſen armas, corroboras, atq; ſic commendas, qui fortè tùm juvenis, & nondum delibatis veræ Chirurgiæ fontibus iſta ſcripſit: aut potius, ut tibi tuisq; diſcipulis gratularetur (qualis eſt doctorum virorum, ac præcipuè Germanorum manſuetudo ac humanitas) hoc inſperſit encomium: cujus cùm longè nunc fœcundior ac firmior ſit eruditio, longè etiam aliud is judicium de te tuisq; ſcriptis ſit facturus, latrinis potius ea, quàm muſarum ſacrario dicaturus. Si de meis ſcriptis, quibus tua videris velle opponere ac etiam præferre, utcunq; vanum aucupandæ gloriæ ſtudium verbis temperes, quid ſenſerint olim

cele-

celeberrimi Germanorum doctores, & vacaret, aut è re eſſet, judicium hîc apponere, congratulationumque ac gratiarum etiam quas ſe mihi habere teſtati ſunt, fidem hîc apertam facere: Quot, Deus bone, quantasq; hîc laudes tibi etiam vel ringenti ac grunnienti, nec non invidia crepanti, quibus nomen meum celebrant, liceret hîc magnificas audire? Sed quis iſta appetat, quàm tumidus & vanus homo? Ne tamen nil præter verba dari credas, en, ex multis unam tantùm epiſtolam à viro doctiſſimo & percelebri medico nondum mihi adhuc cognito, ante paucos dies in gratiam editi mei operis, quod tu omnium hominum audaciſſime ac ineptiſſime, oppugnandum ſuſcepiſti, redditas, hîc exſcribere viſum eſt, non tàm ut inde gloriam vener, quàm ut tam docti tantique viri teſtimonio pellecti juniores medici, melioribus frugibus quàm hactenus, colligendis inſudent, & felicioribus ſtudiis tempus impendant. Sic igitur ille:

GRATIAM ET PACEM à DEO Patre Domini noſtri Ieſu Chriſti.

MAGNIFICE AC CELEBERrime Quercetane,

L*Ycurgus ſimpliciſſimas hoſtias Spartæ præſcripſit, ut ſemper Deos, ex iis quæ ad ma-*

num eſſent, colere promptè ac facilè valerent. Ergo ſingulari tua virtute ac eruditione, divinis conjunctâ meritis, anteà in ſummam tui admirationem abreptus, proximè edito aureolo de priſcorum Philoſophorum vera medicina libello, planè amore accenſus ſum teſtandi apud te quæ hinc accepiſſem beneficia, eaq; recolendi literario officio. Sed quæ me provocare poterant, ut facerem, ea deterrebant, ne efficerem. Magnitudine enim nominis tui oppreſſa verecundia, deſerere officium ſemper coacta eſt: donec heri evocatus ad generoſum Dn. Fridericum à [illegible]ihr, Patrem Nobiliſſimi & bonorũ amore digniſſimi iſtius juvenis, animadverti plures in ſcribendis Lutetiam Pariſiorum literis eſſe occupatos. Itaque arrepto ſtatim calamo, ſtatui ſalſa potiùs mola litare, & quibus poſſem ſubitò modis Magn. T. ire obviam, quàm ſub ruſtico quodam pudore, meam & proximi ſalutem negligere. Meam quidem, quòd tuis præcipuè adjutus laboribus ex corporea Philoſophia in ſpiritualem, ex mortuis rerum umbris in apertam lucem conſtitutus ſim, adaptataq; brutæ & incompoſitæ materiæ forma, veritatis proprium vultum contemplari, & quâ contendant myſteriorum profeſſores, per te porrò queam diſpicere. O licuiſſet frui ſole iſto in adoleſcentia, non conſumptus mihi flos eſſet in inani dubitationum ac quæſtionum prorſus Logicarum diſquiſitione: Vel Reges & PP. ſplendeſcentem veritatem ad pul-

pita

pita ſuggeſtus jam nunc admitterent, & præmiis (quod Deus vult) allicerent, longè fœlicior ipſorum eſſet conditio, jucundior medicatio: Pauperum verò, quod citiùs multò ac certiùs juvari poſſent, minori profectò facultatum diſpendio, majori certè cum pietate utriq; : quando ſapientiſſimæ conſolationes, & inſignia pro veritate Religionis Chriſtianæ argumenta, ex viſceribus beatæ & caſtæ hujus Medicinæ reſultant. O divine Quercetane, quot, quantaq; ſunt tua erga genus humanum merita. Tu ubique candidus & beneficus, ut Socrates: Tu præſtantis ingenii vi, rerum naturam indagans, omnibus ſemper veſtigiis aſſequeris, ut Pythagoras: tu adoleſcentum miſertus, laboribus & ſtudiis, artem exemplis laceram, præceptis reddis brevem, vitam verò longam: Tu exploſa illa Ethnica, Priſcam medicinam ab omni avaritiæ vel invidiæ ſuſpicione liber, gratis doces, eaq; mores & animos ad verbi divini inſtituta ſimul præparas. Sic igitur ſtatuo, te idcircò ante ultimum Chriſti adventum, datum mortalibus, ut multis animi ac corporis erroribus expulſis tantò minùs ad naturæ miracula Chriſtiq; veras voces obſurdeſceremus. Sed quò feror? Statueram quæ annis aliquot retrò de fictis elementis & humoribus, morborum cauſis, occultis proprietatibus Com. Montani, Ulmi, Minadei, &c. de facultate opii, vini, mercurii, atque aliis quæ ἐν ἐνχειρήσει τῇ χημικῇ didici, ſapientiſſimo tuo ſubjice-

 reju-

re judicio: Sed jam vereor, ne tanquam Marſyas ſuaviſſimè canenti Apollini diutiùs obſtrepam. Quare cujus cauſa properatum hoc ſcribendi genus ſuſcepi, oro etiam atq; etiam dignare, mi ſapientiſſime ſimul ac humaniſſime Quercetane, obnoxium me interdum doloribus colicis refocillare tuo vel Nepenthe nitroſulphureo illo admirabili, vel potius ambroſia. Video te vinum & aurum non occultare, quod quidam abuſivi ſint. Animadverto te liberaliter promittere amicis domi labore multo parta remedia. Subintelligo ædes tuas eſſe παντοχεῖον παντεδαπῆς σοφίας, καὶ πάσης ἀρετῆς σεμνεῖον. *Lætor te ex Europæis maximè favere Germanis in Conſilio de Lue Venerea. Patere ergo poſt contemplationem ſimulacrorum tuorum fructus quoſdam valetudo mea, vitæq; & vocationis decerpat officium. Concede benignus Nepenthes particulam, illuſtra me aquæ antipodagricæ, athleticæ cyatho. Exorna cryſtalli tartari purgantis & aciduli, vel ſi placet & mereor, aliorum nobiliſſimorum tuorum medicamentorum obolo: Conſule ſapientiſſ. aliis ſcriptis deſiderio: age aſcribe me numero Germanorum, quibus priſcæ medicinæ ac veritatis amorem tribuis, vel qui te potius & ſcripta tua exoſculantur. Quantum pretii neceſſe erit, exponet nobiliſſimus juvenis. Juro hoc candidum pectus, & ſpondeo me non niſi ſub nomine Quercetani celebratiſſimo prudenter exhibiturum: nihil mihi adſcripturum, &*

æternam

æternam tuis meritis aſcripturum gratiam. Oro, ſubleva humanitatis tuæ ſole longinquitatem itineris: tuere dignitatem artis & nominis tui: quod facis apud exteros in noſtra Sileſia, vicinaque Polonia celebris. Si ardua & regia permittunt negotia, verbo reſcribe, ne aut ſpreta admiratio, aut deſerta artis cultura videatur. Sic Dominus Deus Magnif. T. Domin. diutiſſimè animo & corpore florentem conſervet ſibi, Regi omnium maximo, & diviniſſimo Reipublicæ literariæ, ac mihi,

qui ſyncerè ac piè ſalutem fortunasque Deo quotidie commendabo.
Subjectiſſimus
Flaminius Gaſto, Doctor Medicus Reip. Guravienſis Sileſ. ordin.
manu propria.
Datum Buræ Sileſiorum 13. Martii, Anno Chriſti 1604.

TAliáne unquam audiviſti Riolane de tuis nugis à viro tam celebri & medicinæ coryphæo encomia? Sed quâ impudentiâ te Chirurgum & Chirurgiæ ſcriptorem audes profiteri? Quis te talem poſſit aut debeat agnoſcere, cùm nihil de tuo, ad omnia aliunde corraſa & tranſcripta ingeras: & ſi de praxi agitur, ea prorſus te deficiat, mendaciiq; idcircò arguat? Sed quorſum iſta quæ libenter tacerem, niſi plus æquo noſtra deprimendo & tàm temerè

damnando, tua attollere, & ſuſpicienda reddere, alioqui nullius momenti contenderes? Sed valeant iſta pro dignitate: ad alia tranſeamus. Arrogas porrò tibi tanquam genuinum ex te fœtum commentarium aliquem Therapeutices, quem gloriaris ab omnibus Pharmacopæis circumferri: Qualem, quæſo, rurſum potes Pharmacopæam condere, qui ne minimam quidem ullius ſimplicis ſignaturam, nedum facultatem aut proprietatem noris? Si quæram ex te cur plantago quinque nervis inſtructa ſit, cur euphraſia formam oculi gerat, cur perſicaria tot maculis diſtincta ſit, & quorſum ejuſmodi phyſiognomiæ rerum ſpectent, quid reſpondeas? certum eſt te & piſce taciturniorem, & talpâ cæciorem futurum. Unde igitur ſperetur te quicquam boni eſſe præſtiturum, cùm bubulco quàm medico longè ſimilior ſis, ad aratrumque potiùs quàm ad orationem natus? Quid enim exilius ac jejunius tua doctrina eſt, quæ niſi utcunq; furto alieno impinguata tota contabeſcit ac emarceſcit.

Eja eorum quæ ſunt argumenti libri quædam excutiamus. Doctiſſ. Libavium primò vis nobis opponere, mihiq; nomen tantùm ſpagyrici inſcribere, ut inde noſtram in contemptum Chymiam trahas: Miror te tàm hebeti eſſe ingenio, ut diſcrimen genuinorum ſpagyrorum ab adulterinis & ementitiis tàm apertum

tum in ejus ſcriptis non videas; & ſpagyricos illi veros, eſſe præſtantiſſimos medicos, quibus ut tales agnoſcantur, ſatis eſt ſpagyrici nomen κατ᾽ ἐξοχὴν, cùm alioqui medici appellatio communis ſit vulgaribus omnibus, ut tibi tuique ſimilibus medicis.

Properemus ad alia ut expediamus iſtas nugas. Cùm totum examen tuum ſecundi capitis, nihil præter authoritates quorundam Arabum, aut aliorum effumet, quibus torporem tuum augeas, non excutias, ὑπεδανούς τε prorſus ac ſtatuas velis medicos reddere: qua reſponſione alia dignus es, quàm ad brutas pecudes relegandus, otium ſuum & abdominis ſagimen unicè adorantes. Putas poſtea te appoſitè de Chryſopoeia in Chryſopoeiam ſcripſiſſe, quum ἀνοήτως juxta nominis tui Etymon quicquid diſſimules, aut ut repleres chartam, iſta tibi exciderint. Quicquid autem prætexas excuſationis ignorantiæ tuæ, alexipharmacum ſemper tibi erit inter venena repoſitum, donec palinodiam apertiùs canas, aut veniam depreceris.

At perbellè utiq; de magnetis virtute philoſopharis, cujus vires attrahendi ferri cùm antea ubique ad occultam proprietatem retuleris, nunc videri vis conſtanter iſtius facultatis rationem velle reddere. Age nobis gratias Riolane, quòd aſininum tibi pontem reſci-

reſciderimus, & caliginem tuæ mentis cæperimus diſcutere. Attamem hîc non adhuc cares ingrati animi crimine, qui non amplius rationem ignoras, ſed quòd noſtram diſſimules, fucato tuo pallio, ut tibi propria & à te profecta videatur, eam perſonans.

Si hoc eodem capite, Riolane, conſenſum medicamenti cum humore purgando nobis phyſicè repræſentaſſes, ut mercurialia mercurialibus, ſulphurea ſulphureis, & ſalina ſalinis adaptaſſes, benè id quidem: at contrà, dices hæc à te impugnari: nec mirum, cùm ipſi naturæ audeas etiam reluctari, quæ carnea carneis, oſſea oſſeis, nervoſa nervoſis ſolet ex alimento in corpus ingeſto aſſociare: tu verò cum aqueis oleoſa, nulla permiſtione amica, aut cum terreis parùm etiam ſociis aëria: denique aquam cum igne conaris inſcitè & perperam confundere. Diſce Phyſicam meliùs Ariſtotelicam, Riolane, & cogita plures etiam fuiſſe Ariſtoteles, unum Stageiritam, cujus te diſcipulum profiteris, alterum Chymicum, & verè Philoſophum, qui tibi adhuc ignotus eſt.

Aggeris porrò ſequentibus capitibus multa quæ jam pridem nobis tranſcripſiſti, & adhuc tranſcribis: quæ cùm ſint nobis notiora, quàm tu tibi, & parùm ad noſtra ſcripta reſpondeant, ea tu tibi tuiſque diſcipulis aſſervato.

Hoc

Hoc unum inter cætera non prætermittendum, quòd modò ſpiritus noſtros mirum in modum deprimas, modò eò uſq; attollas, ut quàm altiſſimè utinam profundant. ô altum myſterium, & inſignis eruditionis argumentum, niſi naribus fœtorem inſpiraret. Tu tantùm ſubſidium à ſpiritibus præberi partibus vis: nos verò non tantùm facultates quibus pollent membra noſtra ab illis exhiberi: ſed conſtructionem etiam ac partium confirmationem, nec non ipſam temperiem ac concinnam mixtionem effigiari ac efformari ab iiſdem aſſerimus: Hinc fit ut ſpiritus ſibi ſimile propagent, ac inde veriſſimum Chymicorum axioma eruatur, ſimile ſimili delectari & curari. Cùm enim ægri ſpiritus ſentiunt ſibi ſanos & defœcatos in auxilium venire, iis ſtatim adhærent, & eorum puritate impuritatem ſuam emendare conantur, ac in rectam temperiem ſic ſeſe revocant. Non ſecus enim terra labore fatiſcens & novis novi pabuli ſpiritibus recreata, tandem reviviſcit, ac vitales fructus alacriter ac benignè elargitur. Hinc etiam omnium terræ naſcentium ſemina, etſi ſenio collapſa fatiſcant, additione novorum ſpirituum ſibi ſimilium facilè renaſcuntur, & novam prolem progenerant. Quod aliunde non accidit, quàm quòd ſpiritus inter ſe familiares facilè uniantur, & novas vires acquirant generandi, foven-

 di, au-

di, augendi, quod in poteſtate ſua habent, & ad quod deſtinatum ſemen obtinent.

Quæris, cùm duobus tantùm principiis metallum conſtet, Mercurio nempe & ſulphure, ut ego cum omnibus philoſophis aſſero, ubi tertium lateat, quod hîc non agnoſcitur, aut unde poſtea introducitur? Reſpondeo tertium in utroque aliorum latere, ut ne ſulphure quidem & ſale careat Mercurius: nec ſulphur ſale, Mercurioque: Sulphur autem & Mercurium hîc ſola denominari, quòd ea ſpirituoſiora, attamen craſſiorem partem potentiâ in ſe continentia, & ſenſim actu ea compingentia in compoſitionem individui, priora intellectui occurrant: quod jam pridem ex ſcriptis noſtris didiciſſe potuiſti.

Quid alioqui accidat, ſi divulſæ partes inter ſe fuerint, & nullo vinculo colligentur? Quomodo vel minimum calefieri aqua poſſit, ſi ſpiritu ſulphureo, quo à natura prædita eſt, deſtituatur. Si nullam enim incaleſcendi ab igne potentiam haberet innatam, quæ in actum reduceretur, fruſtra ignis ei admoveretur. Niſi enim unione quadam vinciantur (quod ex ſpirituum idemtitate proficiſcitur) fruſtrà alterum alteri admoveas, ut ſeſe mutuò afficiăt. Atqui ex ſulphureis ſpiritibus calorem aqua non retineret, niſi ſalino corpore tanquam retinaculo ipſum coërceret. Cùm enim Mer-

curia-

curiales & ſulphurei ſpiritus volatiliores ſint, facilè evaneſcerent in ſalinis corporibus utrinque tanquam glutine continerentur.

Cæterùm maritatio tua, aut conjugium, quo Mercurium cum Venere copulas potiùs, quàm cum Marte, adulterinum eſt: cujus rei rationem in aliis noſtris ſcriptis comperies, ſi ingenio polles. Hîc enim dicta dicere tædioſum eſt.

Vis autem à corporeo fixoq; Mercurio purgatricem vim potiùs, quàm à volatili profundi, idque probas exilibus admodum & jejunis rationibus, quòd ſcilicet medicamenta fixa & corporea diutiùs in corpore moram ducant, unde eminus & meliùs vacuent. Egregius utique philoſophus es, qui ignoras à calore nativo, vel potiùs à ſpiritibus naturalibus volatilem & ſpirituoſum Mercurium educi ex medicamento, ut vires ſuas exerat, non corpoream & fixam materiam. Quod quàm ſit veriſſimũ, ignoras adhuc Philoſophe? Nunquid rectè ratiocinaturus es, ſi dicas, ſpiritus nutriens in cibo, cum corpore ingeritur in ſtomachum, ergo corpus eſt cibi, quod alit, non ſpiritus. Si corpus eſt quod alit, tranſit in ſimilem corporis noſtri ſubſtantiam. A ſpiritibus igitur educentur tot ſtercora, lotia & impuritates corporeæ, quæ excernuntur poſt concoctionem cibi ubique, cùm corpus cibi in ſubſtantiam

noſtram

noſtram converſum ſit. Quis iſtam Logicam & Phyſicam admittat?

Ex eadem Logica qua acutè diſputas, ita aptè definitiones inſtituis, *Mors*, inquis, *eſt privatio animæ*. Nunquid & privatio eſt corporis? At quid privationem animæ vocas? an illius interitum? quid ni ſic ſentias, cùm ſatis apertè ſenſa animi tui paulò poſt explices? Quid enim aliud eſt quod dicis animari corpus temperie & conformatione? Quid temperiem & conformationem vocas, quàm eſſe rei? quid eſſe rei quàm vitam, ut ipſe arguis? Si igitur corrũpitur, aut etiam diſſuitur ac interit temperies & conformatio rei, interit ſimul & eſſe illius. Si eſſe interit, ergo & vita, ſi vita, ergo & anima, cùm vita & anima ἀχώριστα ſint. Nunquid igitur apertè te prodis Galenicum ab hæreſibus tetris diſcipulum, & Saducæorum ſectatorem, animæ immortalitatem detrahentium? En quò te tuæ argutiæ aut potiùs voluntaria à veritate defectio, cum invidia & odio proximi tui conjuncta, te abripiat, & tranſverſum agat. Quid ex tua doctrina conjicere licet, quàm tibi unum & eundem eſſe hominis & jumenti interitum, majoremque fidem te Galenicæ impietati quàm Chriſtianæ doctrinæ arrogare? Reſipiſce Riolane, & veritatem amplectere.

Cætera omnia quæ ſequentibus capitibus expli-

explicas, vel ex nobis ſuffuratus es, diſſimulatis tantùm dictionibus, vel ab aliis ſcriptoribus exſcribis, vel uſque adeò parvi ſunt momenti, ut longiorem reſponſionem non mereantur: addo & præcipuorum capitum, quæ tu hîc faſtidiosè repetis, haberi in poſtremis meis tractatibus ſolutionem ita abſolutam, ut niſi diutiùs fueris pervicax, & prorſus indocilis, abundè tibi ſatisfactum ſit, eique acquieſcere ac ſubſcribere debeas.

Duodecimum illud tuorum examinum caput, Philoſophica Theologia, hoc eſt, mundana ſapientia, quæ ſtultitia eſt apud Deum, planè refertum, longè diſſentit à puriore illa ſacrarum literarum de Deo tractatione, quæ duplicem rationem in Deo non conſtituit, ut tu nimium audax & parùm pius aſſeris. Rationes enim in Deo cùm ſint meræ eſſentiæ infinitæ, juxta Platonicorum etiam ſententiam, non poſſunt eſſe plures una, quæ etſi unitrina Theologis dicatur, ut Deus ſit unitrinus, id fit trium ὑποςάσιων ſeu perſonarum ſub una & eadem eſſentia comprehenſarum diſtinctione, ordinis quidem & & proprietatum habita ratione, non gradus, non potentiæ, aut eſſentiæ varietatis aut diſſimilitudinis. Is Deus immensè bonus ac infinitè potens, non tantùm virtute ſua admirandâ hunc mundum creavit: ſed eadem & providentia ſua adhuc fovet, modera-

deratur & ſuſtinet. Neq; enim creatum mundum ſecundis cauſis ita regendum commiſit, ut ab omni opere jam abſtineat. Aliter enim affirmat Chriſtus, cùm dicit Patrem & ſe in dies ſemper operari. Non igitur ut otioſus Deus tibi putandus eſt, qui nunc omnem ſui operis curam abjecerit, & intermediis cauſis demandarit. Ita enim pergit in omnium rerum & ſingularum etiam adminiſtratione, ut nec paſſerculus, atq; ne pilus quidem ex nobis decidat citra ipſius voluntatem aut providentiam rerum omnium adminiſtratricem. Si enim Jovis omnia ſunt plena, hoc eſt potentia Dei omnia fovente & gubernante, non planeta illo Jovis, quem Solis vocas animam, quid poteſt ab illo disjungi, quod ſeorſim ſeſe, vel alia regat? Si enim (ut tu voluiſti anteà) anima tota in ſingulis totius partibus poſita, corporis membra variè regit, non eſſentię multitudine, ſed facultatum variis proprietatibus ſibi inſitis, & ſingula membra juxta ipſorum diverſitatem gubernet, ut eadem auribus auditum, manibus tactum, oculis viſum, naribus odorandi vim, cùm tamen una & eadem ſit anima, non plures eſſentiæ vel rationes, exhibeat: Cur quæris an una & eadem anima cœlos omnes & elementa uſq; adeò differentia poſſit informare? Videris velle Deum dividere, ut illi ſenſus videndi, audiẽdi, odorandi diſtinctos λόγῳ,
hoc

hoc eſt, eſſentiâ, καὶ ἔργῳ tribuas, quaſi verò non idem poſſit ac anima microcoſmi, quæ una & eadem, diverſos tamen ſenſus, aut ſentiendi facultates progeneret. Num tibi compertum eſt unam & eandem formam motuum tàm differentium eſſe cauſam? Si enim benè notaſſes, eum generationis rerum, ab ipſo ovo, modum à me tibi explicatum, non dubitaſſes ſpiritus eſſe dicere, ab anima mundi profectos, tanquam Solis radios, qui ubi irradiant, proprietates ſuas generationis, auctionis, nutritionis, conſervationis in ſubjectum ſuum explicant: atque inde eoque modo omnia rerum individua concreſcere ac conſervari. Sed quid mirum te, qui cum tuo Galeno & Epicuro animas interire cum ſui corporis craſi infideliùs quàm Chriſtiano æquum eſt, aſſeris, tàm impiè etiam de Deo philoſophari? An excuſaberis Ariſtotelis & Galeni autoritatibus, quorum ſapientia de divinis diſſerens, mera fuit apud Deum ſemper ſtultitia?

Vis naturam interire, quum interiturus eſt mundus. Atqui mundus nunquam eſt periturus, Ergo neque natura, quæ ſi anima eſt, nec ſic quidem perire poteſt. Docent ſacræ literæ tranſiturum quidem eſſe mundum, ſed non periturum: Nobiſcum Apoſtolus conſentit, dum dicit, inſtauratum non corruptum iri mundum, ſiquidem ſingula quæq; tendunt ad

ſuam

ſuam perfectionem, ad quam perpetuò anhelant. Vide Riolane quàm diſſimilis tuæ ſit philoſophiæ profanæ Theologia ſacra. Cætera, quæ in hunc locum dici poſſunt, ex meis aliis ſcriptis abundè potes mutuari. Quid enim vel à me, vel ab aliis non dictum dicis? Quinuſq; adeò impudentia ſunt tua furta, ut ex meis ſcriptis audeas integras ſententias tranſcribere, quaſi iſtud nemini venturum ſit in cognitionem. Unde expiſcatus es ea arma, quibus me offendere conaris, dum me cum Phormione comparas, quàm ex meis libris in Aubertum jam ante viginti & novem annos editis, in quem ut delirum hominem hoc jaculum intorqueo. Non enim puto te eò uſque progreſſum eſſe πολυϊστορείας, qui nihil præter Grammaticalia dicidiſti & docuiſti, ut hiſtoriarum commentarii tibi unquam pervii fuerint. Hoc ſatis indicant conſarcinatæ undequaque tuæ rapſodiæ, ex quibus ſi ſingulorum pennæ, quas tuo corvo tu aſſuiſti, detrahantur, planè nudus & implumis futuris ſis.

Sed quid ad nugas tuas attero ingenium, niſi ut ex præcepto ſapientis, prudentię arrogantiam ſtulto excutiam? ut tamen non nihil utilitatis reportent tyrones ex diſſidio noſtro, eja liceat adhuc quædam ex tuis ineptiis capitula præ-ut occurrent exagitare.

Tu te torques Riolane, quòd in diviſione mundi

mundi quam inſtituo, ignem ab elementis excludam. Nunquid adhuc didiciſti ex noſtra ſchola Elementum nullum dari, quod fructus non producat? Hinc dicuntur matrices fœtuum & fructuum, quos in finibus ſuo tempore parturiendos fovent & conſervant. Nónne vides elementum terræ, quos maturo tempore excludat? Quid de aqua tot piſcibus, mineralibus metallis, ſplendidis ac pretioſis gemmis, lapidibus, corallis, & id genus ſexcentis fructibus referta dicam? Num & aër, roribus, mannis, mellibus aëriis, thereniabin & noſtoch variis generibus fœcundat? At quid ignis fructuum utilium progignit? Imò quid non utile corrumpit, & ad extremum interitum perducit? An dici poteſt id elementum, qnod non mater, ſed noverca fructuum eſt, quodq; non fovet, ſed deſtruit? Liceat ergo cœlum in tui deſtructoris ignis locum ſufficere. Etenim cùm infinitis virtutibus præditum ſit, quibus tot nobis fructus procreat opportunis ſuis temporibus: pluvias nimirum, nives, grandines, gelu, fulmina, calores, frigora, Zephyros, Euros, & id genus alia: nunquid jure in album elementorum, utpote tàm fertile & fœcundum accenſeatur? Faceſſat igitur tuus iſte ignis ab elementorum conſortio: etſi fateor quàm utiliſſimum eſſe, cùm ejus moderata adminiſtratio poſſit externi & topici re-

medii, quibuſdam in rebus uſum, eumq; maximè neceſſarium præbere. Hoc enim frigus corporis obrigẽs extrinſecus, temperatur, aut etiam propulſatur: carnes, piſces, & mille alia coquuntur & præparantur in ſalubriorem uſum. At ab ipſo aliquid produci, elementorum more, quis niſi inſanus auſit aſſerere? Quas igitur laudes formandi, generandi, augendi, igni adſcribas? Si cœleſti calori & ſydereo aut æthereo tribuiſſes, philoſophicè magis, veriusque eſſes loquutus: Siquidem aſtra ſunt quædam calida, quædã verò frigida, alia quinetiam temperata, ita ut propriè loquendo cœleſtes ignes alii ſint calidi, alii frigidi, qui in inferiora agunt, quod poſtremum agnovit etiam Poëta, cùm ſic cecinit: *penetrabile frigus adurit.* Proprium enim eſt ignis tàm frigidi quàm calidi urere. Ne caperes frontem Riolane, aut vellices pilos, ſed paradoxum hoc tibi diligenter meditare, volve & revolve, & ſi ingenió vales, in ipſum ſtylum tuum exacue. Ergo nullus alius inter elementa agnoſcendus eſt ignis à vero philoſopho quàm cœlũ: quod etſi quarta eſſentia à Philoſophis Hermeticis dicatur, quòd ſubtiliſſima ſit totius chaos ſeparata ſubſtantia, non excluditur tamen ab elementorum albo, & verè quartum eſt elementum, dicique debet. Sed dè his quæ de elementorum materia, numero, &c. vulgo ultrò

citroq;

Digitized by Google

citroq; dictitantur, perlege accuratè quintum mei magni ſpeculi librum, verſibus Gallicis conſcriptum; ubi percipies, ea omnia quæ de numero, qualitatibus & proprietatibus elementorum ab Ariſtotele aliiſq; veteribus Philoſophis tradita fuerunt, mihi eſſe familiariſſima: Ac in eo meo libro multa de elementorum natura ediſcere poteris, quorum hactenus ignarus planè fuiſti.

Cæterùm quòd πανσπερμίαν Anaxagoræ in ſinu materiæ poſitam, ex Ariſtotele reſpuas, & in Sole, ex eodem, vel ex Peripateticorum ſententia ponas: quia vis, in illo formarum phyſicarum ſeminarium incluſum: malè rurſum hîc philoſopharis, quòd in uno individuo ſolo colloces vim rerum ſeminariam, ſolique uni tribuas, quod ſpiritibus omnibus cœli, terræ, aliorumque elementorum adſcribere debuiſti. Anima enim illa mundi univerſalis cùm cœlum terramq;, hoc eſt, omnia tum ſuperiora tùm inferiora penetret, ſubeat, atque etiam impleat, ſicque omnia conſtituat, ut nihil ſit ſuperius, quod non ſit inferius, in illa potiùs rerum ſemina aut ſeminariam virtutem includere debuiſti, ut quæ & Solis & aliorum omnium aſtrorum tum cœleſtium tum elementarium (arfige aures Riolane) origo ſit & ipſa πανσπερμία; ita ut non abſurdè prorſus ab Anaxagora in materiæ ſinu, hoc

eſt, illius abyſſis & ſpiritibus collocata ſit. Materiam autem vocat agrum illum ſive cœleſtem ſive terreſtrem, ſpiritibus iſtis ſeminalibus refertum, ut ex utroq; agro cœleſti & terreſtri, vel ſpirituali & corporeo concurrentes ſpiritus ſeminibus gravidi, tandem congruos fructus efforment ac producant. Valeat igitur futilis iſte calor, quem vis ab igne deduci tanquam præcipuum organum, & vim omnium ſublunarium, adde etiam ſuperlunarium fœtuum formatricem ac generatricem.

Non firmiore judicio tueris privationem tertium eſſe rerum principium. Quale enim iſtud fuerit principium, quod nihil confert, unde aliquid oriatur: præterea, cùm privatio defectum notet, & potiùs ſit habitus extinctio, ut cæcitas viſus, quàm alicujus rei exhibitio, & ad rem inchoandam, materialis aut ſpiritualis eſſentiæ collatio: cur phantaſma hoc ex ſchola tua tàm inani & abſurda veris opponas philoſophis? Nunquid adhuc potuiſti comprehendere, quod toties tibi & rationibus & exemplo à grano tritici petito inculcavi, quod in primam ſuam materiam reducendum eſt à natura, hoc eſt in ſpiritum corporeum, aut corpus ſpirituale proprietates trium hypoſtaticorum principiorum retinens, ut ſenſim ex nutrimento ſpirituum elementarium individuum ordiatur, & corpus ejus provehat, dum ad ſuas

ſuas perfectas dimenſiones tandem adducat? Quid hebete diſcipulo Doctori moleſtius? Lege & relege noſtra, Riolane, & tu ex tuis ipſius monitis meliores fruges, relicta glande collige, quò mente & corpore ſanior degas.

Tu te nimium maceras Riolane, cum totis animi viribus contendis probare cœlum nec ab elementis extrahi, nec ad ipſum ea aſſurgere poſſe. Quid ſi ex nobis audias, quod verum eſt & ſine mendacio veriſſimum; cœlum in terra eſſe, & terram in cœlo? metus eſt, ne ad inſaniam adigaris. Attamen hoc veriſſimum eſt quod dico, & ſi modeſto ac docili præditus eſſes ingenio, hoc re ipſa oculis tibi ſubjiceremus. Videres nos ex terra cœlum educere, & ex cœlo ipſo terram. Sed relego te ad ea quæ jam ſcripſimus, & quæ brevi, favente Deo, in lucem ſumus edituri in libro noſtro de Recondita rerum natura, ut maturiùs ſapias, & acutiùs veriusq; philoſopheris. Interea retine iterum tibi tua Ariſtotelica, & diſcipulis tuis aſſervato, cùm centies jam dixerimus ea eſſe nobis quàm tibi notiora: deſinatque (ut in te æquius hoc, quàm tu in me, retorqueam) ſus Minervam docere, & cyathum aquarum tuarum putridarum in pelagus noſtrum limpidiſſimum transfundere.

Cæterùm impudenter imponis, cùm dicis, Nihilum à me explicari per chaos. Nam nihi-

lum illud eſſe dixi, merè ſpirituale illud primæ materiæ quod ex verbo Dei, FIAT, ut animam totius mundi univerſalem promanaſſe ex Dei verbo & Geneſis teſtimonio aſſeruimus. At quòd videaris ridere in medico Theologiam, cùm tu ſoleas eſſe potiùs ἄθεος quàm δεισιδαιμονέστερος, quid mirũ ſi totus tuus animus, dum in vanas cogitationes abripitur, prorſus in Phyſica divina & Philoſophia vera cæcutiat? Sic Athenienſes in Paulum reſurrectionem docentem, quam tu cum illis apertè nimium negas, cùm in craſi rerum ſoluta, animam, & eſſe rerum ſimul ſolvi & extingui dicas, cachynnos ſuos effundebant. Qui ſi magis frugi eſſes & mentis melioris, quantum adferat adjumenti vera veræ Medicinæ & Philoſophiæ cognitio, ad Deum ejuſque cultum toto animo amplectendum, facilè perciperes, & totus ſpiritu Dei illuſtratus ad id rapereris. Sed quid quæris in tua medicina, quàm inanem gloriam & nummorum copiam, parùm de veritate ſectanda & mordicus retinẽda ac tuẽda ſollicitus?

Si ſingulas tuarum ratiocinationum ineptias vellem excutere, quot horæ, dies, mẽſes, quot ſchedæ, & quantum atramenti eſſet mihi effundendum ac perdendum? ſinguli enim verſus nil præter ignorantiam & Philoſophiæ tuæ vanitatem ac incõſtantiam teſtantur: Hujus generis eſt bella iſta tua de eſſentia vini ratioci-

tiocinatio, de elementorum mutatione & illatione, de prima panis ſanguinea ſubſtantia, quòd panem dicamus in ſanguinem tranſire. Hæc ſunt non trimeſtrium Phyſicorum, ſed ἀφιλοσόφων plane καὶ ἀμύστων ruſticorum.

Multus es in ovi diſſecandi ratione, & ſubſtantiis excutiendis. Quid mirum, cùm tibi quid eſſentia ſit & viva anatomia prorſus incompertum ſit, quique corporum reſolutiones fiant adhuc ignotius? Qui autem microcoſmus cum macrocoſmo conſentiat & conveniat, nondum ſatis didiciſti. Audiſti aliquid de illorum conſenſu in genere, at quemadmodum in ſingulis conveniant, nondum ingenio aſſequutus es. Etenim non tantùm conſtat microcoſmus anima & corpore, hoc eſt, cœlo & elementis, ut vis, ſed principiis iſtis tribus, quibus conſtant elementa, in quæ vides à Chymicis apertè omne ſolutum corpus reſolvi: vel ſi craſſius exemplum deſideras, quod ipſi ruſtici ſatis norunt, en nónne in ligno Mercurium, cùm aduritur, in auras evolare, ſulphur incendi, & ſalem remanere in cineribus fateberis? quas præterea in ligni reſolutione partes obſervabis? Porrò ſi cœlo conſtat microcoſmus, ut tu quoque in hoc mihi aſſentiris (attamen imperitè, quòd animam hominis cœlum eſſe dicas) nunquid cœlum majoris mundi, naturæ minoris erit lumen, ut

quid lateat in homine, ex majoris mundi proprietatibus & effectis apertè eluceſcat? Ut cœlum majoris mundi aſtris ornatum eſt: ſic minoris, ſuis ſyderibus & planetis inſtructum eſt. Hinc fit, ut quemadmodum macrocoſmi aſtra delinquunt, errant, aut etiam laborant: Sic aſtra hominis ſuis morbis divexentur. Hinc apoplexia microcoſmi ex fulmine majoris mũdi κατὰ συμπάθειαν demonſtratur, Epilepſia, tonitruis cœli majoris: ſiderationes coruſcationibus, paralyſes gelibus & glaciebus, tinnitus aurium, colici dolores ventis terręq; motibus, catharri, hydropiſes hyadum & pleiadum copioſis pluviis in microcoſmo lacum ex ejuſmodi ſtellis & meteoris replentibus, ſiquidem ex ſemine meteorico quod reſolvitur in pluviam, dum pluvia in imum cadit, & lacum efficit, hydropiſis generatur, non quòd majoris mundi aſtra microcoſmum offendant: ſed quòd eadem ſint aſtra in microcoſmo, quæ in macrocoſmo: ita ut ſæpè dum errant majoris mundi aſtra, eodem tempore microcoſmi ſidera ſimul hallucinentur. Si hæc & ſingula quæque minutiùs expenderes, unde morbi omnes naſcantur in homine, apertiùs cognoſceres. Nunquid vides etiam in terra macrocoſmi, varia foſſilium, herbarum & arborum genera? Cur quoque in ea quæ microcoſmi eſt, ſimilia non animadvertantur? Si eſt in terra

majo-

majoris mundi napellus, aconitum, aron, urtica, ranunculus, chelidonia, papaver, &c: ne dubites quoq; in terra microcoſmi, quæ ejuſdem eſt eſſentiæ & proprietatis cum altera, accidẽtibus tantùm & formis differens, ineſſe eaſdem herbas eſſentia ſimiles, quæ cùm florent, ſeu efflorescentias ſuas producunt, peſtes, carbunculos, herpetes, pruritiem, ſcabiem, puſtulas, icteritiam, lethargum, & alios tum internos tùm externos morbos excitant, quæ omnia veris Philoſophis digna fuſiùs & dilucidiùs in libro noſtro de Recondita rerum natura explicabuntur. Ex aluminibus, vitriolis, arſenicis, ſulphuribus, aqueis, alii efflorescunt morbi, ut fiſtulæ, ſcrophulæ, anthraces, lupi, cancri, febres, variæque inflammationes tàm internæ quàm externæ, & id genus alia, quæ tamen etiam ex plantis, aſtris cœli, roribus aut mannis & mineralibus etiam oriri poſſunt, ſiquidem, ut tibi ſæpè inculcavimus, nihil eſt ſuperiùs quod non ſit inferius, & nihil inferius, quod non ſit ſuperius. Quæ quidem cùm ita ſe habeant in microcoſmo, an uſque adeò hebeti fueris ingenio, ut iſta non comprehendas? Quæ ſi non aſſequeris, quomodo potes mederi morbis, & honorem ex tuo officio tibi comparare?

Si bonus vis eſſe Anatomicus, Riolane, diſſeca primò macrocoſmũ, hoc eſt, omnes ejus

partes, ἐκφύσεις, ἀποφύσεις, productiones, flores, fructus, ſemina, diligenter examina & ſimilia omnia in microcoſmo puta evenire; alioqui non potes eſſe medicus, at mendicus oſtiatim remedia corrogans, & citra judicium exhibẽs.

Inepta ſunt & puerilia quæ adfers de fibris in ſanguine partes corporis coagulantibus & formãtibus: à medio curſu rem inchoas, quam ab ipſa ovi origine deducere debuiſti. Etenim cur prætermiſiſti unde ſanguis generatur, priùs quàm de fibris ejus faceres verba? Nunquid intelligis eam cauſam, quæ principia ſanguinis conſtituit, eandem & ſanguinem & fibras ejus, nec non partes corporis, & tandem compagem integram perficere? At quæ eſt ipſa cauſa, præter eam, quæ poſt Deum, chaos illud primum conſtruxit, ex tribus principiis hypoſtaticis: deinde ſeparavit in quatuor elementa, quæ anima eſt univerſalis. Ergo tibi ſi benè vis philoſophari, ad unum primum omnium principium eſt recurrendum, quod univerſalem illam mundi aſpectabilem ubique faciem infinitis virtutibus dotavit, ut ſingula quæque individua terra mariq; variè procrearet, & ſemen ſingulis inderet, quo perpetuitatem generis ſui conſervarent. Multa prȩterea hìc garris alia, quæ quòd tuæ ſententiæ non reſpondeant, errores vocas, & quòd judicio careas, ſtultè improbas: idcircò ut reſponſione indi-

gna

gna facilè hîc ſilentio ſepeliemus. Multa inſuper nobis imponis pro more tuo&juxta tuum horoſcopum, genium tuum ſemper ad mendacium & calumnias propellentem: quæ prærerquam quòd mendacii & malæ mentis te arguunt: inconſtantiam etiam plurimam & literarum incertitudinem ac imperitiam notant: Solidas partes tantùm vis diſſecari, idcircò ad humidam diſſectionem non pertinere, quorſum igitur diſſecentur urinæ? Otium tuum, & nimis ſupina quies, aut potiùs inſignis pigritia, quâ genium foves, imò etiam ſuperbia illa qua turges, efficiunt, ut nihil præter trivialia noris, & quæ bubulcis ac laniis compertiſſima ſunt uſu & experientia, ea fallaci judicio doctis hominibus & magnis ingeniis digna exiſtimes: ſi noſſes quantum ſapientiæ medicæ in urinis lateat, expenderes omnia tua, ut vivam ejus anatomiam tibi comparare poſſes. Hujus enim certa imbutus cognitione, in prętantiſſimum medicum evaderes, & quod tibi maximè arridet, loculos tuos ſummis votis impleres.

Arguis quòd ſomnum ſulphureo ſpiritu ſoporifero non frigore doceam conciliari: tu verò benignam *ἀνατμίασιν* in cauſam vocas, ignarus quid *ἀνατμίασις* ſit, & à quibus ſpiritibus proficiſcatur, naturam parentum redolens. Nec tantùm *ἀνατμίασιν*, ſed frigus etiam ſoporis aut ſomni cauſam eſſę dicis. At ſi quæ-

tam

ram ex te quid ſit frigus, putabiſne te bellè reſpondiſſe, ſi dixeris eſſe qualitatem? At qualitas ut accidens nec per ſe ſubſiſtit, nec ex ſe ipſa oritur, ſed à ſubſtantiali virtute, aut ſpirituali eſſentia proficiſcitur, non ſecus ac pomi aut pyri color, aut ſapor, aliævé qualitates ejus, non ex ſe ipſis, ſed ex ſpiritibus pomi eſſentialibus proficiſcuntur: nil moror hîc dialecticas tuas diſtinctiones, quæ mihi quàm tibi ſunt notiores, & quas admitto ubi opus eſt. Hoc te docet hyemale frigus, & calor æſtivus, ab aſtris aut ſtellis ſpiritibus frigidis præſentiam ſolis iſta referas, ignarus proprietatum ſtellarum Solem comitantium, & earum quæ viciſſitudine ſua poſt æſtatem hyemem introducunt. Sed quid diutiùs cum imperito homine contendam, qui, ſi vinum habet familiare, ex ejus vaporibus calidis ſpiritus & mentem perturbantibus, ineptias iſtas ſcriptitat, vel ſi abſtemius frigore uſque adeò congelatus eſt, ut in hanc omnis rationis ac ratiocinationis expertem catochen planè inciderit, metuſque ſit ne tandem *ferreus inſtet ſomnus, & æterna claudantur lumina nocte*. De opii natura multa ineptè & tanquam delirus garris. Nec reliqua omnia tua ſophiſmata majoris ſunt ubiq; momenti, quæ idcircò valere jubeo.

Ultimum tuum examen cùm nihil notet præter meram ignorantiam, quâ laboras in rerum

rum naturalium cognitione: in vitarum unius etiam & ejuſdem rei diſcriminibus notandis, quorſum hìc in confutando & docẽndo ejuſmodi Midam me excruciem.

Reſtat ut ex quibuſdam literis nunc demum mihi redditis, quum hæc ſcribo, ſceleratum tuum animum ac malam mentem patefaciam: ex earumq; lectione omnes videant quàm impudenter in bonos viros & Reipubl. ſummè neceſſarios debaccheris. Nam quid te, cum quibuſdam Luſcis Fabrisque tui ſimilibus invidis ac maledicis publico utilem dixerim, qui ſoli faſtui & lucro inhiatis? qui nullo veræ medicinæ ſtudio rapti, omnemque certam ac tutam theoriam reſpuentes in perpetuâ ignorantia verſari mavultis, modò ne quicquam de veſtro lucro excidat, quàm aliquid ex doctis viris, naturæ lumen aperientibus ac illuſtrantibus diſcere ac doceri? pudibundum vobis ſuperbè credentes, ſi vos qui doctorum ac magiſtrorum nomine in autoritate eſtis, ſubire diſcipulorum locum, & in claſſem revocari audiatis?

Duo igitur illa quæ in me vibraſti crimina, & mendacia, nempè quòd triginta coronatis pillulam unam ex meis vendiderim, & quòd ex uſu earum D. Bertrandus Medicus regius miſerè vitam trahat, & perpetuis adhuc doloribus crucietur: Falſa ſunt omnia, & impudens

hæc

hæc tua accuſatio. Ad primam jam reſpondi alibi. Altera tua calumnia per ipſum D. Bertrandum apertè hoc epiſtolio jugulatur, & te inſigniter ac impudenter mentientem arguit, cujus verba omnia tanquam colophonem huic meæ reſponſioni attexere, & verbum verbo tranſcribere mihi viſum eſt, ut impudentia tua omnibus pateat, & de reliqua tua doctrina tanquam falſa & mendaci judicium fiat. Ejus eſt ſuperſcriptio hæc, & quæ ſequuntur, omnia Gallicis verbis expreſſa:

A MONSIEUR MONSIEUR DE LA VIOLETTE, CONSEILlier du Roy, & ſon Medecin ordinaire.

Monſieur & frere, n'ayant peu la preſente annee m'acquitter de ma charge pour aller ſervir mon quartier pres le Roy, à cauſe que ma ſanté ne me le permettoit point, i'ay obtenu ma decharge par Monſieur de la Ryviere noſtre premier. Si Dieu me tient l'annee prochaine en pareille ſanté, que ie ſuys à preſent, i'auray ce bien de vous voir: cependant ie vous feray ce mot pour me ramenteuoir au bien de voſtre ſouvenir, en qualité de voſtre ancien amy & treshumble ſerviteur, & pour vous prier bien affectueuſement, me tenir la promeſſe, que vous m'avez faicte par voz der-

dernieres lettres, qu'eſt de m'envoyer voſtre œuure nouvellement imprimé, enſemble une maſſe de voz pilulles ſi petite ou ſi grande, qu'il vous plairra. Car il fault que ie vous die avec la verité, que ie me ſuis tres bien trouvé de l'uſage deſdites pilulles pour la gueriſon de la maladie que i'eus à Paris, laquelle me continua aſſez longuement aprez que ie fus arrivé en ceſte ville, & n'ay trouvé aultre remede, apres la benediction de Dieu, qui m'ait plus proffité. I'ay faict la diette de puys le 13. d'Apuril, & me ſuis ſervi au commencement & à la fin deſdites pilulles, ut præſcripſeras cum bono & felici ſucceſſu. *Mais ie n'en ay plus une ſeule, ceſt pourquoy i'ay recours à vous pour vous ſupplier au nom de noſtre ancienne amitié de m'en donner*, ut anteà pollicitus es, quod te facturum ſpero. *Et ſi vous eſtes en ceſte volonté, vous le donnerez à Iehan le grand compagnon Chirurgien, qui vous rendra la preſente*, & dabit ipſe pecunias ubi opus fuerit. *Il y à vng Præſident de la Cour de Parlement de Bourdeaux, nommé Monſieur de Pichard, qui s'en va à Paris pour quelques affaires qu'il y a. Il eſt homme d'honneur, & commence d'entrer en aage. Ie vous prie s'il luy ſurvient quelque maladie, l'aſſiſter de voz bons remedes. Et ce que vous ferez pour luy, ie le tiendray faict à moy meſme, pour vous en rendre tout le temps de ma vie tres-humble ſervice avec aultant de bonne volonté,*

que

que treshumblement je vous baiſe les mains, & à toute voſtre famille. Croyez moy ſans fin.

Monſieur

Voſtre tres-humble & tres affectionné tel que frere & ſerviteur

Bertran.

Ce 26. Apuril 1604.
à Bazas.

Atque hæ ſunt D. Bertrandi literæ, quas ante ſeptem aut octo dies quum hoc ſcriberem, accepi, redditas à quodam juvene Chirurgo, tibi tuiſque notiſſimo, utpote in hac urbe jam pridem degenti, quibus apertè conſtat quàm impuris mendaciis & calumniis ſcripta tua ſcateant, & quàm turpe ſit à ſene homine, eoque qui literas profitetur, veritatem oppugnari, & infeſtiſſimo odio proculari. Sed qui mirum cùm tale ſit γενεθλιακόν σου, & natalitiis tuis horis ſeſe invidiæ, mendacii & vertiginis ſpiritus quidam ſathanicus inſeverit, teque ea labe infecerit ac inebriarit, ut nil niſi ex ejus ore & loquaris & ſcriptites. Augetur autem invidia & animi tui malitia, quòd quas dotes in nos Deus contulit quarum effectus humano generi ſalutares conſcientia tua admiratur, eas aſſequi non poſſis, aut emendicari turpe & pudibundum ducas. Quàm autem & noſtra theoria verior & certior ſit tua, noſtraque praxis tuam tutioribus, jucundioribus & effica-

ciori-

cioribus remediis ſuperet, indicant quotidianæ curationes, quibus eos quos in ſævis & pervicacibus morbis deſeris, reſtituendos ſuſcipimus: Inter innumera exempla, & præter ea quæ alio meo libro protuli, audiamus quàm inſignis fueris medicator cujuſdam nobilis Advocati, nomine Abrahami Gateau, Domini de Vignaux, in cujus morbum & ea diagnoſi, & curæ felicitate uſus es, ut vix tyro in medicina trimeſtris uſque adeò turpiter & imperitè hallucinari potuerit, quem cum ſcirrhoſo tumore & gibboſo, citra abſceſſum, laborare ineptè conjiceres. Siciis remediis uſus es, quæ naturalem carnium & oſſium excreſcentiam comprimerent & coeërcerent, lorica videlicet ferrea, aut thorace ocellis firmiſſimis conſuto, ut potiùs ægrum apoſtemate tibi incognito laborantem, propemodum ſuffocares, nedum ſublevares. Qui tandem, cum copioſa abſceſſus ſanie ex tuis loricatis remediis exhalaret coactus ad D. Turquetum collegam meum, & me confugere, agnito circa muſculorum hepati incubantium ingenti abſceſſu illum aperuimus, ex quo plus quàm quadraginta aut quinquaginta ſaniei & puris fœtidiſſimi libras eduximus, quem idcircò cum aliis adhibitis multis remediis intra menſem reſtituimus, quem tu cum tuis per biennium miſerè excruciaveras, uſq; adeò ſagax es medicus.

Sed totam morbi hiſtoriam ab ipſo ægrotante bona fide enarratam propediem animadvertes. Interea vide quantâ ſis gloriâ dignus, Riolane, aut quid præ te promereamur, experientiâ ubique noſtrâ tuam incertitudinem & fluctuationem in medendo ſuperante.

Cæterùm, etſi nimium hebes, & ſtupidum in te ingenium notaverim, non crediſiſſem tamen eò ſtuporis & inſcitiæ prolapſum te, ut ſecundum meum Tractatum à primo tãquam alienum non agnoſceres, præſertim cùm in ipſo limine ſatis declarem priorem à me non tàm tuarũ ineptiarum confutandarum gratia, quàm medicinæ tyronum, quos igni & ferro à noſtra diſciplina avocabas, docendorum ſuſceptum: Alterum verò tibi tuisq; nugis deſtinatum. Hinc arripis occaſionem philoſophandi de natura & anima, ut aliquid contumeliosè diceres: ſed ex ritu tuo de iſtis diſputas, generalia à ſpecialibus, & ſpecialia à particularibus neſcius dignoſcere.

Habes abundè in meis ſcriptis, quid de iſtis ſentire debeas: nec hìc expectes ad ſingulas tuas nugas reſponſionem. Videbis in libro meo de Recondita rerum natura, ſi eo dignus es, cætera; quæ in aliis meis ſcriptis jam editis deſiderabuntur, etſi ſatis ſuperq; ineptiis tuis ſatisfactum eſſe puto.

Quod ad cenſuram veſtræ ſcholæ attinet, quid

quid eam moramur? quorſum brutum iſtud fulmen veſtrum expaveſcamus? Sed quo jure in alios doctores medicos vobis etiam eruditione, doctrina & experientia pares, hanc ſtatuendi & decernendi licentiam uſurpetis? Cur veris philoſophis, philoſophandi libertatem præcidâtis? Unde iſtud vobis arrogatum Parlamentum, aut ſupremus Medicinæ Senatus conſtitutus eſt? Nunquid potiùs reformidanda eſt vobis Regis vindicta, quì cum Imperium dividitis? Quanta iſthæc audacia eſt vos homunciones, leges & decreta contra mandatum Regium, vobis ab uno veſtri ordinis diſertè ſignificatum (ni proditor ille fuerit veſtri) aſpernari & floccipendere? O inſignem audaciam! Cupio bonos à malis ſejungi, ut hœdos ab hircis.

Tu verò Riolane, *ἵνα μὴ ῥεῖα καθ᾽ ὅλα ἄνως ᾖ* (ut notat nominis tui Ethymon) ne ampliùs calamum meum laceſſito, aut meliora ſcribito. Quæ enim in me tranſcripſiſti, aut, ut oſtentares ingenium, ex multis authorum teſtimoniis diſſeruiſti, *οὐδενὸς εὑρητὴς ἐκ σεαυτοῦ ὤν*, debuiſti credere, mihi eſſe notiſſima, idcircò ab ipſis docendis tibi ſuperſedendum eſſe, nec recalcitrandum amplius. Alioqui te capitoſis mulieribus ſimilem fas ſit dicere, quæ non poſſunt pati ultimum in ſe jaculum vibrari, quin poſtremum ipſæ in adverſarium retor-

queant: at facilè hanc rixandi & garriendi victoriam tibi concedemus, memores ſemper iſtius Salomonis dicti: *Ne ſtulto ad ejus dementiam reſpondeas, ne cum eo videaris ſtulteſcerere.* Ut igitur ſemel concludam, nobiſcum ἢ πῖθι ἢ ἄπιθι.

Vale.

F I N I S.

RERUM

RERUM ET VERBORUM IN Tetrade Morborum Capitis præcipuè memorabilium,

INDEX.

A.

Abiegnum lignum ſulphure ſcatet. pag. 57

Aceti generatio. 67. multæ ſpecies & differentiæ. 406.407

Acetum Philoſophicũ Quercetani. 407. Philoſophicum Metallicum. 458

Actionum omnium fons & origo. 77.88.90.92.93.113

Actionum corporis humani liturgia unde vitietur. 78.82

Actus primi & ſecundi differentia. 110

Æginetæ de Mercurio ſententia. 451

Ætas puerilis variolis & morbillis obnoxia. 1

Agendi vehementia non ſemper ab acri aut alia quavis ad ſenſum manifeſta qualitate pendet. 96

Agentia naturalia ſunt duplicia. 92

Αἱμάτωσις Hepatis. 49

Amuleta Antepileptica. 156

Analepſia. 16.302

Analogia mineralium cum natura humana à Galenicis abſurdè negatur. 98.243.244

Andernaci in inveſtigandis ad uſum Medicum naturæ arcanis φιλοπονία. 168

Anima hominis immortalis. 112. mundi. 99.100

Animalis ſpiritus origo. 61

Annus duodecimus aut decimus tertius referandis menſtruorum clauſtris præfixus. 1

Antepilepticum Paracelſi. 370

Antidotus de Margaritis iniquè Galeno adſcribitur. 420

Antidotus antepileptica Catholica Quercet. 203
Antidotus Theodoreti. 171. 172
Antimonialium aquarum facultas. 248. *eas cognoſcendi modus.* 249
Antimonii anatome Spagyrica in tria principia. 323. *antidotus Iſochryſos.* 413. *lyſiponos.* 414. *lyſipyretos.* 409. *panaretos.* 411. *panchreſtos.* 400. *pantagogos.* 401. *polychreſtos.* 412. *Soterios.* 408. *Theodotos.* 409. *Theopemptos.* 410. ζοήφιλ☉. 403
Antimonii Panacea. 398
Antimonium non eſt venenum. 389
Antimonium à Mathiolo magnoperè commendatur. 373. *varia ſuppeditat remedia Spagyrica.* 374. 386. 391. 417
Antiqui uſi ſunt Metallicis. 138. 139. *exitialibus violentisq; aliis remediis, vel abſq; ulla, aut ſaltem frivola quadam adhibita præparatione.* 218. *non habuere omnia cognita.* 450
Antiquorum ſententia de Antimonio. 387. 388 *de Mercurio.* 446. *Sole & Luna.* 429
Apoplexia quid. 27. *deſinit in paralyſin.* 29. 30. 257. *cur ſenibus familiaris.* 35
Apoplexia cauſa non conſiſtit in craſſitie materia. 118. 120. *cauſa externa.* 32. 34. *interna.* 31. 33 34. 117. 120. 121. 122. *fomes & minera.* 29. 74. *gradus.* 258. *diſcrimen ab Epilepſia.* 26. 29. 30. 117 *ſigna.* 28. 119 *ſpecies quadam venæ ſectionem poſtulat.* 122. 259. *phlegmatica ſigna & curatio.* 266. *curatio ſecund. Dogmaticos.* 257
Appetitus unde excitetur. 68
Apozema ſolutivum Antiparalyticum Quercet. 276
Aqua antepileptica Quercet. 211
Aqua à fluxu ſuo perenni prepedita putreſit. 6
Aqua fortis qua ratione metalla reſolvat. 79. 96
Aqua hirundinum Antepileptica Quercet. 148. 150

Aqua

Aqua Minerales affectibus quatuor, de quibus hoc libro agitur, ſpecifica. 247. 248
Aquarum ſtillatitiarum correctio & conſervatio. 149
Aqua Theriacalis Antepileptica Querc. 302. 303
Aqua vitæ ex Margaritis. 344
Aquila cœleſtis. 460 *vires. ibid. & 461. Paracelſi & Phadronis.* 464. 465. *ejus vires, ibidem.*
Arabes omnium primi aurum & argentum nec non gemmas in uſum Medicum invexerunt. 422. 432
Arcanum Solis ſimplex Paracelſ. 433. *Vitriolatum ibid.*
Arcana non ſunt proſtituẽda indignis. 441
Aretæi commendatio. 137
Ars naturæ dona ad uſum hominum reddit idonea. 339
Ars Spagyrica imitatrix naturæ. 299
Arſenicum cancroſa ulcera ſanat. 361. *vi magnetica venena è corpore attrahit.* ibid.
Artium magna varietas. 188
Aſſyriorum præputium circumcidendi modus. 32
Aurum potabile Paracelſi. 435
Aurum potabile veteribus pariter & recentioribus eſt cognitum. 476. 477
Auri Spagyrica analyſis. 432. *& ſeq ſumma perfectio.* 427. *vivificatio.* 428
Avicennæ de Mercurio ſententia. 451
Axungia ſerpentum morſibus eorundẽ vi magnetica medetur. 368

B.

Balſamus & quinta eſſentia Hellebori nigri. 311. *Plantarum.* 102. *Solis Paracelſi.* 414
Bilis eſt craſſior Melancholia 68 *in lapillos concreſcit. ibi. ejus officium.* 66
Boracis facultas. 389
Βελιμία. 65. 79
Buxi anatome interna, ejusq; natura & facultas. 214. 215

C.

Calcinatione humidum primigenium in Salibus non abſumitur. 227. 341

Calor noſter naturalis corpora gemmarum & metallorum diſſolvere nequit. 425.426
Camphora vis anodyna unde. 213
Cancri centrum. 73
Canon curativus generalis. 40
Caſſia anatomia interna. 201. *vehemētia.uſus ſalutaris & noxius. ibid.*
Catalepſia. 16.302
Catalogus Arab. Medicorum. 193
Cauſa antecedentes morborum. 85
Cauteriorum in cura Epilepſ.uſus. 225.320
Chirurgica Epilepſia curatio. 224.225
Cinabrium factitium. 449 480.*ejus doſis.* 481. *redit in Mercurium.ibid. ejus præcipitatum.* 481
Cinabrium nativum Vngaricum. 481. *Minerale apud Marpurgenſes Haſſia.ib.ex eo elicitur Mercurius vivus. ibi.*
Citoniorum odor nonnullis noxius. 232
Clyſteres Dogmaticorū revulſioni & derivationi cauſa Epilepſia inſerviētes improbantur. 319
Clyſterum in cura Apoplexia uſus. 268.319
Colica quadam ſpecies per Criſin in paralyſin tranſeunt. 274
Convulſivi motus brevioris vel longioris cauſa. 9
Coralli anatome. 343
Corroborātia antapoplectica Dogmaticorum. 272
Corroborantia antepileptica Dogmaticorum. 225. 226.231.321. *Hermetico.* 322
Corroborantia antiparalytica tam interna quàm externa Dogmaticorum. 279.280
Cotula fœtida anatome Spagyrica. 213
Cranii humani Epilepſ.ſpecifici electio, legitimuſq; ejus uſus. 227
Creatura ſingula natura tēdunt ad perfectionem. 426
Crocus Metallorum. 319
Crocus Solis Paracelſi. 433
Cruditates obſtructiones pariunt. 7
Cryſtalli dulces ex Sale marino. 349

D.

Dentium αἱμωδία. 123

Diaphoretica principalia Dogmaticorum. 234. & *ſeq.*
Diæta Dogmaticorum eſt irrita. 239
Difficultas artis Chymicæ neminem ab ea abſterrere debet. 306.307
Dioſcoridis error de Cinabari. 449. 450. *de Mercurio.* 448
Diſtributio corporis humani in duos Elementorum globos. 43
Dogmatici in præparatione Cranii humani diſſentiunt. 324
Δύναμις ὑποώδης Peripatetic. 89.110
Dyſenteria. 58.72

E.

Elementa Hermeticis quid. 70
Elixir Solis. 434.459
Empirici notantur. 184
Empiricorum Encomium. 181.182.189.191
Epilepſia Idiopathica. 15. 16. *Sympathica.* 8.15. *fit duobus modis.* 16. *habet plures ſibi affines morbos.* 11
Epilepſiæ definitio. 15. *Differentiæ.* 15. 16. 75. 131. *varia nomina.* 13.114. *pernicies.* 11. 12. 26. 130. 142.160. *cauſa.* 7.30.87. 114.115.116. *non eſt materialis & craſſa.* 21. *ſed ſpiritualis.* 22. 26. 302. *cauſa externa.* 18.21. *ſymptomata & ſigna.* 17.75. 85. 115. *ejus fomes non ſemper latet in cerebro.* 76. *curatio ſecundum Dogmaticos.* 129. *Hermeticos.* 301. & *ſequent. Remed ſpecificum in ſpiritu vitrioli viridi conſiſtit.* 114.376
Epileptici paroxyſmi radix & origo. 9.115
Equus junior non minus eſt equus ac ætate grandior. 111
Eſculenta ſunt tartarea. 64
Eſſentia Solis. 456
Exhalationum Mercurialium effectus. 52
Exhalationum ſulphureorum effectus. 53.54
Experimenta Scribonii Largi ad Epilepſiam. 177. 178
Extractum Hellebori nigri. 312

F.

Facultates rerum non à craſi qualitatum Ele-

mentarium procedunt. 92.208

Facultas Spiritus Vitrioli ſpecifica adverſus Epilepſiam unde promanet: 358.359.360.367

Faginum lignum Sale abundat. 57

Febris definitio duplex. 83

Febres nõnullæ per Criſin in paralyſin tranſeunt. 274

Febrilis radicis ſignatura. 85

Fermentum natura. 354

Ferrearum aquarum facultas. 248

Florum Antimonii vehementia. 96

Fœcunditas & ſterilitas ovorum unde. 5

Fons & origo affectus nobilis mulieris. 4

Forma ſubſtantialis Peripatetic. 92.93. *non creſcit* 112

Fuliginum natura. 56. *Differentia.* 56.57.124.125. *effectus.* 57.124.125

Fumi carbonum & lignorum effectus. 120.124

Fumi vertiginis autores cur nullos dolores pariant. 125

Fumus cornuũ cerebro funeſtus. 35

Functionum Cerebri animalium vigor languorq́ unde dependeat. 32

Fundamentum generationis rerum naturalium. 103.104

G.

Galenici à ſua opinione veteri difficu'ter dimoventur. 182.295.338. *in cura Epilepſiæ calida & odorata remedia perperam adhibent.* 232. *de mineralibus perperam ſentiunt.* 242. *cur tantoperè in Mineralia & Medicos Spagyricos debacchentur.* 245

Galenicorum faſtuoſa & magnifica de natura medica ex pulpitis publicis eloquentia. 186. *in praxi puſillanimitas.* 187. *Vatinianum in Paracelſum odium.* 180

Galenicis Mineralia aſpernantibus eadem ſunt extremum refugium. 139. 242.338

Galeni error de cauſa Epilepſiæ. 20. *de ſubjecto Epilepſiæ.* 75. *opinio de cauſa Apoplex. & Epilepſ. eſt abſurda.* 116. *ſententia de Mercurio.* 448.

de

de Victriolo. 355.365
Galenus in re metallica parum verſatus. 372
Gallia aquarum mineralium ferax. 249
Generatio corporum imperfectè miſtorum. 44
Generationis & perfectionis differentia. 109.110
Guajaci vires. 235
H.
Harmonia & conſpiratio naturæ in ſingulis rerum ordinibus. 98.127
Hellebori nigri præparatio juxta antiquos. 219. *virtutes.* 220
Hemiplexia 39. *ejus cauſa.* 40
Hepatis ſcirrhus. 69
Hercules Melancholicus. 14
Hermetica humorum anatome. 61
Hiſtoria mulieris Epilepticæ. 1
Homo eſt microcoſmus. 43. 57
Humorum præparatio. 205
Hyacinthi facultas. 423
Hydromel antepilepticum. 209. *ad paralyſin ſpecificum Quercet.* 275
Hydrotica Hermeticorum quatuor illis capitis affectibus ſpecifica. 333
Hydroticum antepilepticũ Quercetani. 237
Hyſtericæ mulieres paroxiſmo epileptico correptæ quomodo ſint tractandæ. 151.308
Hyſterica ſpecifica. 223. 378.401
I.
Icteritia. 7
Ἰδιοπάθεια morbifica duobus modis fit. 15
Ignis natura. 428. *ejus vires in Mercurio eſſenſificato.* 459
Ignis Philoſophorum. 301
Impreſſionum cœleſtiũ cauſæ. 88.89
Indicationes curativæ affectus epileptici mulieris duæ. 10
Indicationes paroxiſ. Epilept. reſpicientes. 141.142 *ſeminali Epilepſiæ fomiti radicitus evellendo inſervientes.* 233.332
Indicationes curativæ Epilepſiæ unde varientur. 131. 132. 199. 207. *Apoplexiæ Dogmaticorum generales.* 257. & *ſeq. ſpeciales.* 271
Infantes cur ſint ad Epilepſiam proni. 116. 170. *correpti epileptico paroxiſmo*

xiſmo quomodo ſint tractandi. 143.307
Infantum Epilepticorũ curatio. 135
Inſomniorum diverſitas. 52.53
Inſtrumenta quatuor artis. 429
Inſtrumentorum Chymicorum varietas tanta unde orta ſit. 299

L.

Laboratorii Spagyrici ἐκλογή. 298
Lac corruptũ qualia inducat incommoda. 116. 107
Lactis anatome. 126
Lapidis Lazuli facultas. 389
Laudanum Diaphoreticum & ſolutivum Paracelſi. 412
Libavii ſtudium Alchimicum. 470
Lien eſt aceti ſeu fermenti natura domicilium. 66. *non eſt humoris craſſi & feculenti officina.* 66.68
Lienis ſcirrhus. 68
Ligni Laurini & Juniperini facultas. 236
Lipothymia. 50
Liquor Lunæ viridis, Paracelſi. 444
Liquor Solis Paracelſi. 433
Liquores Mercuriales microcoſmi. 48
Loca morborum. 71. *aſtralium morborum difficilimè inveſtigantur.* 73. 74. *methodus eadem indagandi.* 72
Loci differentia & conſideratio juxta Hermeticos. 71.72
Lues Venerea quandoq; per Criſin in Paralyſin deſinit. 274
Lunæ Spagyrica diſſectio. 443

M.

Magiſterium Cranii humani. 325. *Solis.* 433
Magnetica vis adverſus Epilepſiam in Vitriolo latet. 360
Magnetica vis in plurimis naturæ individuis apparet. 361
Manna facilè bileſcit. 201
Margaritæ. 344
Martis & Veneris ſympathia à Poetis cur deſcripta. 353
Matricis ſuffocationes nonnullæ in paralyſin degenerare ſolent. 274
Materia prima Hermeticorum. 98
Mat-

Matthiolus carpit Medicos. Antimonium ex Medicament. claſſe excludentes. 373
Mechanicus affectus epileptici in prædicta muliere nobili proceſſus. 6
Medicatrix ſimplicium facultas non à qualitatibus primis procedit. 208. *in quo deliteſcat.* 107
Medicamẽta extrema. 340
Medici officium. 128. *In graviorum morborum curatione ſæpius ab Empiricis ſuperantur.* 182 *cum JCtis conferuntur.* 185
Medicina indies incrementum ſumit. 450
Mel contra apum infixos aculeos vi magnetica auxilium præſtat. 361
Melancholia Hypochondriaca. 65
Melancholici humoris generatio & effectus. 62. 63. 65. *natura & uſus.* 67. 68
Melancholici cur ſint Epilepſiæ obnoxii. 116. 361
Mellis anatome. 261
Menſtruus fluor in quem finẽ à natura deſtinatus. 5. *ejus retentio qualia inducat ſymptomata.* 2
Menſtruorum Spagyricorũ varietas. 405
Menſtruum Perlarum & Corallorum. 399
Mercurius corrodit vaſcula metallica, conſervatur in fictilibus. 450. *diaphoreticus Paracelſi.* 467. *ejus dulcificatio fit per aquam ſaltaberi.* *ibid. eſſenſificatus.* 456. *citò rapit Solem.* 457. *ejus præparatio occultatur à Philoſophis. ibid. eſſenſificatus Paracelſi.* 458. *Solis Paracelſi.* 432. *in quaſcunq; formas immutatus ſemper viribus pollet peculiaribus.* 453. *non eſt recẽtioribus Medicis venenum. ibid. redditur philoſophicus tribus modis.* 456. *venit in uſum Medicum.* 452
Mercurius vitæ Paracelſi. 405. 462. 463. *Solaris.* 472. *vires.* 473. 474.
Mercurii crudi uſus. 452. *præbetur infantibus & pueris.* 453. *varia conſideratio ſecundum Paracelſum.* 454. *natura.* 455. *ejus & Solis ſympathia.* 456. *præcipitatio.* 463.

olea

olea & liquores. 468. 469. 471. vires, ibid. Spiritus moſchum redolens. 398. præcipitata vera quantum differant à vulgaribus. 468
Mercurii Metallorum præcipitati ſunt diaphoretici. 466
Metallorum in Medicina legitimus uſus. 426
Metaptoſis eſt duplex. 16
Meteora Macrocoſmi. 45. Microcoſmi. 46. 51. 57. 74
Methodus curativa Epilepſiæ Dogmaticorum. 127 &c. antiquorũ. 162. &c. Arabum. 192. &c. Neotericorum. 198. &c.
Minerales ſpiritus in familiam vegetabiliũ tranſeunt. 48. 99. 101. 102
Mineralia non deſtituuntur vitâ. 247
Mineralium medicamentorũ præſtantia. 139. 181
Minerarum morbificarum anatomia interna & vitalis. 47
Minium. 448. Miniũ Dioſcoridis. 449
Morbus ex imbecillitate balſami radicalis expulſionem illius molientis augetur. 7
Morbus omnis fit vel per ἰδιοπάθειαν, vel per συμπάθειαν. 15. quomodo ſpiritus inſit. 83
Morborum ſcaturigo. 50. 51. loca. 71. ſemina & radices in corpore humano decreſcunt. 85. radices & ſeminaria. 56. 59. 60. 81 cauſarum & ſymptomatum diſcrim. 81. 82. 84. 86
Mors quid ſit. 105
Moſchi natura. 232. ejus odoratus mulieribus hyſtericis noxius. ibid.
Motus alicujus partis poteſt aboleri, ſalvo manente ſenſu, ſed non contrà 37.
Muſici concentus vis & facultas Medica. 155

N.

Natura erga homines benignitas. 252
Narcotica vis cicutæ, rutæ, mandragoræ, papaveris unde dependeat. 214
Nepenthes Quercetani eſt ſpecificum Epilepſiæ remedium. 214
Nervorũ differentia. 30. 37
Nutrimẽtum hominis. 103

O.

Obſtructionis apoplecticæ cauſa

cauſæ externa. 32. *interna.* 33
Odor hepatis caprini aſſati Epilepſiam excitat. 19
Oleum ligni Heraclei Rulandi unde fiat. 210
Oleum ſcorpionum adverſus ictus eorundem vi quadam magnetica pollet. 361
Oleum ſerpentis ad paralyſin. 282
Opiata corroborans antepileptica Quercetani. 230. *purgatoria ad eundem affectum eiuſdem.* 202
Opiniones diverſæ de cauſis epilepſiæ. 19
Orexis. 65
Oxymel Helleboratum majus Juliani. 210

P.

Pœonia ſignatura. 157.158. *facultates. ibid. ejus in Epilepſiæ curam legitima collectio.* 229
Paraceljus interna rerum metallicarum anatomia peritiſſimus. 367
Paracelſi aliorumq́ Hermeticorum philoſophorum ſententia de Antimonio. 395. *de auri virtutibus & præparatione.* 431. *de Victriolo.* 363. *de uſu metallorum medico.* 426
Paralyſeos cauſæ. 41.122. 123.286 *ſpecies.* 36.38. *ejus & ſtuporis differentia.* 38. *curatio juxta Methodum Dogmaticorum.* 273
Paralyſeon humoralium cura. 289
Paraplegia. 38.39
Pariſienſes Medici nimium ad Phlebotomiam proclives. 290
Paroxiſmi Epileptici vehementia & pernicies conſueta curandi methodo neglectâ ſine mora promptum requirit auxilium 142.143
Pavoris vis. 10
Peſtilentialis veneni natura & effectus. 58.59
Perfectio renum. 110.427
Phlebotomia in cura Paralyſeos legitimus uſus. 290
Pilulæ Barbaroſſæ. 452
Pleuritis. 58.72
Pleuritidis peſtilentis cauſa & ſigna. 72
Podagricæ radicis ſedes eſt occulta & inperveſtigabilis. 73
Potio purgatoria antapoplecti-

plectica Quercet. 270
Principiorum Hermeticorũ facultates. 93
Prodromi Paroxiſmi Epileptici. 2
Prophylactica Epilepſiæ cura antiquorum Dogmaticorum. 162
Prophylactices tria inſtrumenta. 162. remedia. 163. 164
Propria πάθη. 110
Ptarmica antepileptica. 152. 153. 320. non niſi caute infantibus adhibenda. 146
Pulvis angelicus. 464
Pulveris Algureti poteſtates. 476. unde fiat. 478
Purgantia antepileptica Hermeticorum. 310, 311
Putrefactionis vis & facultas, ejusq; inſtrumenta. 383
Pythagorica litera ſignificatio. 297
Pythia oraculum remediũ antepilepticum deſcribẽs explicatur. 158

Q.

Qualitatum & ſignaturarum vitialium fons & origo. 91. 92. 342
Qualitates elementarium actionum vis unde promanet. 88. natura & effectus. 92
Quercetanus ſtudet benè de Rep. Medica mereri. 294 pacem & concordiam cum Dogmaticis colere. 298. Callet 50 modos ſpiritum auri prolectandi. 477
Quernum lignum ſale abundat. 57
Quinta eſſentia Solis Paracelſi. 434
Quinta eſſentia ex vegetabilibus extrahenda methodus. 312

R.

Rabies. 65
Radicales Epilepſiæ fomites difficulter è globis ſuis eliminantur. 233
Radices ſeminales rerũ quæ ſint. 78
Radix vitæ. 104. 107
Regeneratio Naturæ putrefactionem conſequitur. 384
Renovatio Mundi. 429
Rex Galliarum Chymiæ favet. 297
Roſæ odor nonnullis eſt noxius. 232
Roſarum, violarum, &c. emarcidarum reſuſcitatio artificialis. 351

Sal

S.

Sal Naturæ regenerationis multiplicationisq́ autor in ſingulis rerum ordinibus eſt conſpicuus. 384
Sal cranii humani ipſo crudo eſt præſtantior. 329
Sale qua abundant, diuturniore vita fruuntur. 329
Salia humiditate ſua qua ipſorum malignitas obtunditur, privata, acrimoniam liberius oſtendunt. 63.65
Salia Microcoſmi. 48
Salis Armoniaci fixatio. 398
Salis cranii humani præparatio. 331
Salis marini analyſis Spagyrica. 346
Salis principii hypoſtatici ſubſtantia fixa. 218
Salium proprietates. 341
Sambucus conſtat ſulphure Anodyno. 213
Sanguis eſt mare Microcoſmi. 6. *purgatur per variolas & morbillos.* 4. *ex Epileptici vulnere dimanans labiis illius inunctus paroxiſmũ ſedare perhibetur.* 154
Sanguinis corruptio. 6. *bilis.* 62. *Ichor. ibid. anatomia.* 61.126
Sanitatis & morbi idem eſt ſubjectum. 71
Saturni interna anatomia. 342
Scorpionis ictus epilepſiam infert. 22.30
Semina actu ſunt animata. 108.109
Seminum fœcunditas & ſterilitas à præſentia vel abſentia ſpirituum mechanicorũ dependet. 90. 91.92
Separatio puri ab impuro. 42
Singultus ventriculi. 9
Solis proprietates. 101
Somni generatio. 52.119
Spaſmus. 9
Specifica antepileptica. 213. 226
Specificum ad vertiginem. 482
Spiritus ſunt inſtrumẽtum Naturæ. 90. *Mechanici ſcientiâ ſunt instructi.* 16 91
Spiritus ſalis aurum ſolvit. 95
Spiritus Victrioli dulcis. 375. *ſolificatus Paracelſi.* 369
Spiritus Victrioli antepileptici

pitici præparatio Paracelſi.368.369. ſumma ſubtilitas.358.virtus & præſtantia.316.357. cum ſuo virore extractio. 376
Spirituum actio terreſtrium corporum mole, quorum vinculo devinciuntur, impeditur. 95
Spirituum duplex conſideratio. 82. differentia & varii effectus. 91.94.95.106
Stillicidiorum, Italis Doulches dictorum uſus. 253
Strumarum ſedes. 73
Strutio-Camelus qua ratione ferrum poſſit concoquere. 97
Stupor membrorum. 123
287.eſt πρόδρομος paralyſeos. 38.123
Suffitus bituminis & lapidis Gagatis cerebro funeſtus. 15.19
Sulphur Solis Paracelſi.432
Victrioli Epilepſiæ ſpecificum. 215
Superſtitioſi Epilepſiam curandi modi. 154
Syncope. 32.50.358
Synochus. 55
Syrupus antepilepticus Quercet. 309. ejuſdem helleboratus purgans antepilepticus. 222

T.

Tarantularum ictus quomodo curetur. 155
Therapeutica Epilepſiæ curatio. 132
Thermæ ſpiritibus metallicis ſunt referta. 92.242. earundem effectus. 241
Tinctura Lunæ ſpagyrica Quercet. 444. Solis, Paracelſi. 436. Quercet.437.440. Gemmarum. 322.345
Tincturarum vegetabilium origo. 354
Τὸ θεῖόν τι morbis aſtralibus ſubeſt. 14.46
Topica antapoplectica, antiparalyticaque Hermeticorum. 344
Topica antiparalytica legitimus adminiſtrādi modus. 285

V.

Vegetativa in agrum Microcoſmi tranſplantata in ſenſitiva tranſeunt. 47.99.101.103.
Vena ſectio in cura apoplexia ſecundum veteres. 260.261. ſecund. Querc. 262
Venarum jugularium inciſarū conglutinatio. 263.

Ventorum qualitates & effectus. 89
Verborũ in ſpiritus noſtros vis atq; efficacia. 155.156
Vermium generatio. 105
Vertigo eſt parva Epilepſia. 8.24.26.253
Vertiginis cauſa externa. 24. *antecedentes & conjuncta.* 25.124.125. *Symptomata.* 126. *curatio juxta Dogmaticos.* 254
Videndi actus vitiatur ab inſtrumento malè diſpoſito. 90
Victorii Alguretbi libellus. 475
Victriolum eſt ſedes & habitaculum omnium ſpirituum metallicorum. 357. *ſolum & integrum Pharmacopœi officinam adornare poteſt.* 362.371. 372. *ejus uſum cur tantoperè ignari mineraliũ cenſores reformident.* 375. *& cur ex eo tot tantaq; ad quoſvis graviſſimos omnium ferè totius corporis humani partiũ morbos ſpecifica remedia educi queant.* 356.357. 389 *ex omnibus metallis elici poteſt, & viciſſim hac in illius familiam tranſeunt.* 384
Victrioli ſignatura interna. 353.354. *multa ſunt ſpecies.* 355. *Cyprii præſtantia.* 356. *proprietates ex Paracelſo.* 363.364. *Magiſterium.* 364.380. *uſus ſecundum veteres.* 365. 366. *in tria principia diſſectio.* 367. *Tinctura Quercet.* 378. *Elixir.* 381
Vinum abundat ſale vitriolato. 63. *liberalius hauſtum cur ſomnũ inducat.* 119. *ejus anatomia.* 61
Viſci querni in epilepſia curam legitima collectio. 229
Vitrii Antimonii agendi ferocia unde dependeat. 96. *rejicitur.* 139
Vngula Alces Epilepſ. ſpecifica electio legitimaq; adminiſtratio. 226. *quâ occaſione innotuerit.* 15
Vomitorium præſtans. 153. 320.473.479
Vrina humana anatome. 80
Vteri ſuffocatio. 32.34.232.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

MARPURGI CATTORUM,
EXCUDEBAT PAULUS EGENOLPHUS
TYPOGRAPHUS ACADEMICUS, AN-
NO AB INCARNATIONE SALVATO-
RIS M. DC. XVII.

Google

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google